VII. 8.

102 A. 3

Ex Bibliotheca antiquo - nova Monaſterii ad ſanctum Petrum Salisburgi O. S. Benedicti ab Anno 1767. in alium ordinem redacta.

Armarium.	Claſſis.	Numerus.
X	E	27

ARNOLDI FERRO-
ni Burdigalenſis, Regij con-
ſiliarij, de Rebus Geſtis
Gallorum li-
bri IX.

AD HISTORIAM PAVLI AEMYLII ADDITI,
perducta hiſtoria uſque ad tempora Henri-
ci II. Francorum Regis.



Cum Cæſareæ Maieſtatis gratia & priuilegio.

B A S I L E Æ,
PER SIXTVM HENRICPETRI.
M. D. LXIX.

Acc 2006-112(2)
Whitney(763)Fd.

7260
.8
.E537
1569x
Fd.

NOBILI VIRO, PRVDENTIA ET LITERARVM COGNITIONE PRAESTANTI, DN. IOANNI ANDREAE A' SCHVVANBACH S. Cæſ. Maieſtati à ſecretis & conſilijs, Domino ſuo colendiſſ. S.

QVASI ſatis non eſſet, re ipſa oſtendere quàm grata tibi eſſent officia erga te mea; Vir prudentiſsime: ſic, cum nuper tuas plenas humanitatis & eruditionis literas ad me mitteres; accuratas etiã, innumerasq́ gratias egiſti. In q̃, niſi fatear te plus, quàm acceperis, reddidiſſe; planè non modò ferreo animo eſſe. ſed prorſus omnis humanitatis expers meritò uideri poſsim. Etſi enim illa amplisſima ſunt; quibus ego à tali uiro contentus eram: multò tamẽ hæc maiora & ampliora fiunt, quod approbatio ſententiæ tuæ & orationis authoritas acceſsit. Sed ut uerum fatear, in eo ipſo, quòd tam facetè de mutata uitæ conditione iocaris: prudentiam in tua pręſtantia agnoſco, in me fortunam & caſum. Quod enim in te ingenij quædam uis maior ſtatim uidit: in eo ego, aliò tendens, forte fortuna in id incidi, quod præter expectationem meam optimè quadraret. Quæ quidem commutatio, etſi ut tu ſcribis rariſsima eſt: (arbor enim quædã Lotus eſt, ut poetæ fabulantur, quæ ſemel guſtata, non modò Ithacę aſperis ſaxulis affixæ: ſed etiam ſalutis nonnunquam obliuiſci facit) tamẽ cum ὑπηρέτης nihil aliud ſit, ut Ariſtoteles inquit, quàm κτῆμά τι ἔμψυχον καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων (Cur enim non tecum Gręciſſem, cum tu mecum Gallicè agas?) maximoperè omnibus gratulor, quibus illinc tanquam ab imperioſo & moroſo domino profugere licet. Sed in hac ſatietate hominum & negocij fuga, utinam omnes, qui ſe huius mundi curis renunciaſſe prædicant, eiuſmodi ſeceſſus peterent, in quibus Philoſophiæ, eruditioni, pietati locus eſt. Quæ ſi eadem plurium uoluntas & ſententia eſſet, minimè dubitarem res humanas multò melius, conſtantius ac tranquillius habituras. Quod ſi ita habet, ut qui omiſsis curis moleſtioribus, totum ſe ad cognitionem rerum bonarũ dederit, eamq́ ſolitudinem & quaſi turbæ fugam appellet, in eorũ ſanè numero me quoq́ pono. Nec hoc exemplum noſtrum modo eſt, factitarunt hoc & ueteres Prophetæ, atq́ etiam Philoſophi Ethnici: & omnes quibus cura fuit bonæ mentis. Cur autem hanc ſolitudinem dicã, in qua confabulones de omnib. rebus maximis ſuppetunt plus quàm mille? quorum colloquia feſtiuiora ac ſuauiora ſunt, quàm ulla nugaciſsimorum, loquaciſsimorumq́ hominum tædioſa deliramenta? Rectè itaq́, qui ad uitæ commoditatem non quàm ſplendidiſsimum, ſed quàm tutiſsimũ locũ quærunt. Sed hoc diligenter quoq́ animaduertendum cenſeo, ut qui ita ſe abdiderunt, de adiutorio etiam co-

gitent: abſq́ hoc enim uiuere, quid aliud eſt, quàm degere more ſe ręs ut illa dicebat, quæ paruo Iulo recreari cupiebat. Nam cũ extra nos quodãmodo poſiti, rerũ magnarũ aut ad benè beateq́ uiuendum utiliũ cogitationi inhæremus: nonne interea dum corpore tanq́ collega noſtro neglecto, animũ ſolum curamus, uel Meliſſa aliqua opus eſt, quæ cibum in os ingerat: uel Ouidiana Baucide, quę ignem ſuſcitet, ramalia minuat, olus truncet? Sed ſatis iocorũ. Reliqua placẽt & tuo præſtãti iudicio digna ſunt. Vnũ modò addas: non ſolùm triſtia triſtib. & ſeueris apta eſſe: ſed etiã cõſiderandũ his ipſis eſſe, quid dies, quid tẽpora poſtulẽt: ſæpe. n. Faſto die licet, quod idẽ ſi nefaſto peragas, ineptus habearis ignoratione tẽporis. Venio nunc ad tuum iudiciũ de cõmentatione hiſtorica, ut tu uocas, mea: q̃ tantoperè tibi probari, uiro acerrimi iudicij ac multi rerũ uſus, mihi ſanè q̃ gratiſsimũ eſt. Abs te. n. uiro laudato, & in hoc ſtudiorũ genere uerſato, laudari me lętus ſum, ut Hector apud Nęuiũ dicebat. Itaq́ teſtimonijs ſentẽtiæ tuę, quã de plenitudine huius meæ cõmentationis, quã de genio bono, quo me impulſum ad te hæc miſiſſe augurararis, nihil eſt quod me non aſſecutum putem. Sed quantum quæſo illud eſt, q̃ ijs, quæ à clariſs. uiro Glareano (quẽ honoris cauſa, tanq́ præceptorem, nomino) accepiſſe te eadem de re ſcripta ſignificas, hæc mea pleniora facis: ac te ad hiſtoriæ lectionẽ poſthac expeditiorẽ & alacriorẽ futurũ ſcribis? Quid enim uel illa collatio ſimilitudinis? uel hæc mea uia & ratio, ordinis aut cõpendij habet, q̃ tibi uiro doctiſsimo ignotũ ſit? Itaq́ hæc humanitati tuæ, & egregiæ nos incitandi ad perficienda ea quæ deſunt uoluntati, tribuemus. Verum ut tua pręſtantia munus perfectum propemodum habeat, hoc Tilij regum Gallicorũ Chronicon, ad tuã præſtantiam mittere uolui: multis de cauſis id non minus, q̃ priora quę miſi, gratum fore ſperans. Nam & regni Gallicani miſera tempeſtas nunc ad has hiſtorias cognoſcendas pleroſq́ incitat: & exemplũ huius Chronologię docet, quo pacto ad rerũ certitudinẽ, ſummatim colligere hiſtoriã, & tanq́ σωματοποιεῖν oporteat, obſeruata in primis tẽporũ ratione. Nam hoc modo & hiſtoriæ facilius intelliguntur, & memoriæ ſubſidium comparatur, & animaduertuntur orationis ornamenta, quæ ſæpè de ſuo, rerum geſtarũ corpori, hiſtorici affingunt; qualia ſunt iudicia rebus geſtis interpoſita, adiectæ orationes, deſcriptionesq́: & ſi qua ſunt alia. His itaq́ ſe tua præſtantia ſuauiter oblectet: & quo modo ſibi in hiſtoricæ lectionis progreſſu placeat, aliquando per literas ſignificet. Vale. Dat. Baſileæ, 16. Martij anno Chriſti M. D. LXIX.

Tuæ præſtantiæ ſtudioſiſs.

Ioan. Thomas Freigius.

AD LECTOREM TILIVS.


FRancorum gens ē Germanica nobilitate in Galliam ueniens, regnum condidit: quę tanta fuit animi magnitudine & uirtute, ut nullus uſquam populus fuerit, quem ferociter bello non appetierit: aut laceſsita, magna cum laude non repulerit. Gallias enim debellauit, cum quibus non pro imperio & gloria, ſed pro ſalute atque uita omnes fere orbis nationes armis contenderunt. Ea prima toti pariter Germaniæ imperauit: quam neque Romani, neque alij quantumuis potentes, non modo domare, ſed nec uincere potuerunt, Nullum porro in Europa florens ac nobile regnum eſt, uel principatus, qui non ut olim à Troianis originem ducere nobiliſsimus quiſque gloriabatur, ita à Francis ſanguinem trahere ſe iactet, & liliorū inſignia circumferat. Reges quos Beroſus ordine commemorat, ſciens prætermitto, nolens quicquam literis mandare, quod non incorruptis rerum geſtarum monumentis ſit traditum. In primis enim operam dedi, & id maxime ſtudui, ut quæ adhuc immenſis uoluminibus, & ueteribus fabulis diſperſa iactabantur, ea paucis & certo ordine comprehenſa, ueriſsimaq́ꝫ, quantum fieri potuit, in lucem emitterem. Franci igitur, quibus Duces antea, aut ſi mauis, Reguli imperitabant, Faramundum primum Regem potentiſsimum habuerunt.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Boston Public Library

http://archive.org/details/arnoldiferronibu02lefe

ARNOLDI FERRONI BVRDIGALENSIS, DE REBVS GESTIS *Gallorum, Liber Primus.*

MORTVO Britannorum Regulo, bellum Britannicum, quod iam extinctum eſſe uidebatur, repentè renouatum eſt. Proceres Britannici, dum diſſentiunt de Anna Britanni filia collocanda, id bellum excitarũt: Nam pars Alanum Alebretum Aquitanũ multorũ oppidorum dominũ præferebat, iſque uoluntate patris cũ ea matrimoniũ contraxiſſe falſò iactabatur, priori die quàm is decederet: ſed repudiante Anna, uanum eorum erat ſtudium. Pars tacitè Gallo ſtudebat: pars Maximilianũ Federici Cæſaris filium ad eas nuptias apertè uocabat, non ſolùm præſidio futurũ (ſi quid aduerſi à Gallis accideret) ſed libertatẽ etiã Britannicã confirmaturũ. Nec ignota eorũ ſtudia Gallo. Vltrò citróque legationes ijſſe ſciebat. Iã omnia cõpoſita ex animi ſentẽtia Maximilianus coniectura augurabatur, totamq; Britanniã animo inuaſerat. Iam matrimonij nomine potitus parte Gallię opulentiſſima, Belgarumq; principatu, quid non ſperaret adiuncta Britannia? Diu deliberatũ eſt apud Gallos, quæ ratio iniretur depellendæ huiuſce procellæ. Cunctatio Maximiliani conſilium confirmauit. Adhibiti in conſiliũ prudentiſſimi homines, ita ſtatuerunt: & Maximiliani affinitatẽ repudiandam: et Annæ nuptias Regi maturandas, pręſertim cũ potentiſſimi uicini dominatus periculoſus eſſet; à quo nihil niſi ſimulatã amicitiam in præſens, & poſtea bellum expectari par ſit, cũ iã immemor affinitatis & fœderis, bella ex bellis ſerendo regni æmulũ ſeſe profiteatur. Itaq; datũ eſt negociũ quibuſdam Annã tentãdi. Hęc primùm mirabatur: deinde etiã fidem datã Maximiliano (iã enim procuratorio nomine, uerbis cõceptis, miſſo Volphãgo Polaymo Auſtriaco, more maiorũ, rituq; Regio, abſens ei pacta fuerat) frangere uerebatur. Sed Lavalla, aliæq; Britannicę nobiles, quarũ & cõſuetudine utebatur, et familiaritate delectabatur, munerib. Gallicis delinitę, ad ſpẽ ampliorẽ regni melioris puellam impulerũt: prætexentes Maximiliano marito tueri uix poſſe Britanniam: Pontifices authores ſacrorũ facilè legib. eam ſoluturos: quas nec uiolatas eſſe,



dum tutius & certius matrimonium initur. Puella præclara indole, admirabiliq; uirtute, his perſuaſa, ſe, ditionemq; Britannicam in fidem Regis contulit, ac paucis poſtea diebus, magno Gallorum plauſu, celeberrimæ nuptiæ confectæ ſunt. Britannia Gallorum regno adiecta, Britannis frementibus, certumq; ducem deſiderantibus. Maximilianus hæc à Carolo parari prius reſcierat: ubi autem confecta omnia intellexit, qui iam antea inimico in Carolum animo fuiſſet, multo grauius hoc dolore exarſit, atque ita commotus eſt, ut & conuitia fœda in Carolum ingereret, & pro Galliæ regno opprimendo ſeſe deuoueret. Senſerat Henricus Angloru Rex id moliri Carolum: aciam à Maximiliano excitatus, exercitum in Galliam parauerat. Peruenerat Anglus è Caleto Bononiam oppidum maritimum, tentans ſi quo tandem pacto id expugnare poſſit. Contraxit & Carolus copias. hæ dum lentius progrediuntur, Philippus Creperecors, qui præſidio Atrebatibus datus erat, Bononiam defendendam ſuſcepit cum Cardone. Oppugnantur Bononienſes lentè. Miſſo in caſtra ad Regem caduceatore, de pace agi cœptum eſt: à qua Henricus non abhorrebat, & Gallorum opera in regno recuperando uſus, & domeſticas ſeditiones ueritus, Maximiliano etiam nulla, ut conuenerat, ſubſidia afferente. Conuênit ut Carolus impenſas belli refunderet, certa quotannis pecunia impenſarum nomine eroganda. Anglus in Britanniam redijt. Atrebates interea urbem leui præſidio teneri ſentientes, cõſilia inibant de urbe Maximiliano dedenda: is eò copias miſerat: hæ celeritate uſæ, urbi iam proximæ erant. Paratis omnibus, portisq; ſumma cuſtodum ſocordia ita obſeruatis, ut claues adulterinæ admouerentur, poſt cantiunculam pronunciatam, qua milites maturare iubebantur, in urbem introducti ſunt. Vrbi tũ præerat Paulus Carquilenus nomine abſentis Cardoni. hic ad primũ hoſtium motum cum militibus in arcẽ ſeſe proripuit: mox arci etiam, ſibiq; timens, cùm ſecundo die auxilium Gallorũ adeſſet, arcem deſeruit. Vrbs direpra eſt: multi obtruncati: non à templis, non à domibus coniuratorum temperatum eſt. Author coniurationis uiliſsimus quidam faber ferrarius fertur, qui ſecundum mœnia urbis habitabat: ac ſolus eò relictus erat, dum Ludouicus undecimus uertere ſolum Atrebates cogit, in Galliamq; uelut coloniam eos deducit. Præfectum Carquilenum, quem & Carcaluentum uocant, Britannum fuiſſe conſtat. Eum uino languidum, confectum cibo, ſtertentem ſomno, interceptum aiunt ab hoſtibus: direptosque Atrebates fuiſſe ob ſtipendia multorum menſium militi non perſoluta à Maximiliano. Eſt & fanum Omeri eodem tempore expugnatũ, alijs in aliud tempus oppugnationem referentibus. Satis conſtat, quocunq; tempore receptũ ſit oppidũ, ſumma cuſtodũ ſocordia id accidiſſe: hoſtes duce Georgio Daberſio, co-

ſio, copias eduxiſſe quaſi urbē oppugnaturos, Gallos mœnibus ſituq́ꝫ oppidi fretos paratos fuiſſe: ſed hoſtes ſeſe in caſtra recepiſſe, hoc idem totis octo diebus finxiſſe: quin & ex oppido Gallis prodeuntibus in caſtra quaſi fugientes abijſſe. Ita multum remiſiſſe Gallos de priſtina diligentia, qua antea uſi fuerant, ubi his creuiſſe negligentiam cum audacia uidet. Belgarum peditatum, & Germanos auxiliares, turres proximas murumq́ꝫ adhibitis ſcalis ſumma uſos celeritate occupaſſe, alibi ſopitis cuſtodibus, alibi cuſtode nullo: refractis deinde portis progreſſos, cæſis Francis & oppidanis, loco potitos. Eodem tempore Ambianorum ciuitas ab ijſdem tētata eſt: Catharina Licia, uirili mulier animo, dum uigiles parum ſuo munere funguntur, dormitantes ſtertentesq́ꝫ excitat. Ambiani ad ſtrepitum aduenientium hoſtium adcurrūt: pars ad urbis cuſtodiam relicta eſt, pars alia urbe egreſſa Maximiliani fugat milites, ingenue faſſos, unius mulierculæ uigilijs & induſtria ademptam uictoriam. Dum hæc in Gallia geruntur, Federicus Cæſar fato functus eſt, cum prius Maximilianum filium Francfordiæ conſortem imperij, ab ijs qui Cæſarum eligēdorum iura ſibi uendicant, declarari curaſſet. Fuit is annus impertitæ nobis à Deo Opt. Max. ſalutis, milleſimus quadringēteſimus octogeſimus ſextus. Ita ille Cæſar declaratus eſt poſt patris mortem: diadema, infulasq́ꝫ ſolennes illas Cęſarum neq́ꝫ unquam ſuſcepit, neq́ꝫ (cum facilè poſſet) ſuſcipere admodum laborauit. Is imperij res compoſiturus turbatas morte patris, reddita Margareta filia, unà cum quibuſdam oppidis, quæ ſua eſſe contendebat, fœdus init cum Carolo. Pace fruebatur Gallia, cùm Ludouicus Sfortia (necdum tamen ſumpto Ducis nomine, quippe uiuente adhuc Ioanne Galeatio duce Mediolanēſium) crebris nuntijs, ob ſimultates quas geſſerat cum Alphonſo Rege Neapolitano, non ceſſabat Carolum in ſpem certiſsimam Regni Neapolitani impellere, ultro etiam ad eam prouinciam omnem ſuam operam, opesq́ꝫ deferens. Ferdinandus quoq́ꝫ Aragonum Rex maxime laborabat in recuperando Comitatu Ruſcinonis & Perpeniani. Abhorrebant tamen proceres Gallici à Ferdinando, iuſta uenditione quæſitas res negantes, tutum eſſe reddi, præſertim quæ ſpectarent ad limites Regni. Excluſus Ferdinandus, Oliuerium Maillardum unum è ſodalibus Franciſcanis, magna ui pecunię ſibi deuincit: alij id adſcribunt Ioanni Mauleoni Franciſcano, hic Annę Regiæ ſorori erat à confeſsionibus ſacris, uanam ambitionem eo cultu tegens, cui facilè in rem id eſſe Gallicam perſuaſit: illa Ludouico Ambaſiano, Albienſi Pontifici. „ Ii cum Regi infixiſſent aculeum, quaſi non redditis his rebus, ſeſe ipſe falleret: imperatorem omnium „ & magiſtrum Deum non falleret: contrahi quidem animum utilitatis „ ſpecie, ſed ubi certum ſit uitium adiunctum rei, quę ſpeciem

utilitatis affert, continuò arripiendum honeſtum, ſecernendam abijciendamq́ utilitatem: atque ita exiſtimandum, conſcientiam mentis noſtræ quam à Deo accepimus, à nobis diuelli nō debere: hanc unam teſtem optimorum nobis cōſiliorum uiuis, fatoq́ functis futuram. Hæc illi cùm ſubinde occinerent, facilè eum in eam ſententiam adduxerunt, maximè iam meditantem bellum Neapolitanum, neque poſt ſuum diſceſſum conuelli res Gallicas uolentem. Ipſe Ferdinandus poſtea, res eas tantùm pignori obligatas fuiſſe, ac pecunia ſoluta, de hypothecis Regi decedendum aiebat. Si tamen iure æquo per eius gratiam aut potentiam uti potuiſſet, teſtamentoq́ condito lui ea pignora poſſe, Ludouicum ſanxiſſe: quæ tamen in perditis & deſperatis à ſe habita ſint, cùm hominē neminem inueniret, per quē hæc à Carolo impetrare poſſet: donec à Franciſcano ſodale tacitum ſibi ſubſidium comparaſſet, qui ex incerto certum ſeſe compotemq́ conſilij reddidiſſet. Aragonēſi pecunia omnis remiſſa eſt: & prouincia ea lege reddita, ut ipſe, quiq́ ei ſuccederent, comiter maieſtatem Gallicam conſeruarent: ipſe in Gallos arma ne ferret: nec alios qui in Gallos bella eſſent geſturi, commeatu, aliâue ope iuuaret: nec per fines regni ſui tranſire ſineret. Ludouicus Ambaſianus oppida Aragonēſi reddidit. Eodemq́ tempore Ludouicus Valeſius dux Aureliorum, qui poſtea regnum adeptus eſt, uxoris precibus & lachrymis, quæ ſoror erat Caroli, inſigni mulier & ſanctitate & pudicitia, liberatus eſt è cuſtodia: in amicitiam quoq; Regis interiorem admiſſus, non ſine laude manſuetudinis, cùm bello uictum Rex ſeruaſſet, dignitatiq́ priſtinæ reſtituiſſet. Interea Rex ad bellum Neapolitanum animū intendebat: milites ſcribebat: arma, equos, machinas bellicas parabat: auxiliares ex Heluetijs, Scotis, alijsq́ fœderatis uocabat: commeatum, aut pecuniam quæ bello diuturno ſatis eſſet, cōgerebat. Ludouico Aureliorū principi negotium datum eſt, ut & ueteres naues quę Maſſiliæ ſubſiſtebant, reficeret, & pararet alias plures: uti Campaniæ, Lucaniæq́ oram primo quoque tempore aut occuparet, aut infeſtaret. Miſsi legati ad Maximilianum Cæſarem, Alexandrum ſextum Pontificem Max. Ferdinandum Regē, Henricum Britanniæ Regem, Venetos, aliosq́ Principes, pacifica omnia retulerunt. Alphonſus iunior regnum Neapolitanum, defuncto patre, obtinebat, Ferdinando patri induſtria diſpar. Is, ubi tantos belli apparatus in ſe parari uulgò iactaretur, uelut incertis rumoribus rem exagitatam contemnebat. Poſteaquam autem certiſsimis authoribus nuntijs, literis certior eſt factus de Caroli aduentu, non indiligenter quæ ad bellum, quæq́ ad rem pertinebāt, parauit. A Maximiliano Cęſare, Ferdinādo Aragonēſi, reliquisq́ Regibus, cùm fœdere Gallico obſtricti eſſent, ſubſidia nulla eo tempore impetrauit. Cum Alexandro Pontifice Romano ſpreto

Gallica

Gallico fœdere, per Ioannem Borgiam Nepotem & Pontificium occulta inijt fœdera, Florentinos, Vrſinoſq́; ſibi adiunxit, & Vidũ Vbaldum Vrbini Regulum tranſitum Gallorum impedituros. Nicolaum Vrſinũ Petilianũ Flaminiam cũ ualido exercitu miſit: Claſſem ualidam inſtruxit, eiq́; Fœdericum fratrẽ præfecit. Romã deinde uenit, longaq́; oratione Pontifici, Purpuratiſq́; oſtendit, non minus ſibi quàm uniuerſæ Italiæ aduentum Gallorum pertimiſcendum eſſe. Imperauitq́; à Pontifice exercitum, ut quem nuper contraxerat ad urbis defenſionem, ad Petilianum mitteret. Pariſienſes longum Regis è Gallia diſceſſum ueriti, conati ſunt Regem ab ea expeditione miſsis Legatis deterrere, quos ille inauditos dimiſit, dictitans nequaquam ſibi tot opus eſſe conſultoribus: eoq́; poſt hac Pariſienſibus infenſus eſt. Cauſa potior indignationis fuit, quod pecuniam ad id bellum à Rege petitam liberè negaſſent. Annus agebatur milleſimus quadringenteſimus nonageſimus quartus, cum Rex nunc Molinium, nunc Lugdunum adiens, pulcherrimarum mulierum amore tenebatur: conuiuijs etiam eas adhibens, certaque loca deſignans, quibus hæ mulieres, quibus ipſe conſueuerat, conuenirent: nactus etiam homines non ignobiles emiſſarios, architectóſque libidinum. Ita diei breuitatem conuiuijs, noctis longitudinem uoluptatibus conterebat. Inde Viennam adijt, urbem ſitam in finibus Delphinatium, eóque loco ab Anna ſorore magno ingenio muliere admonitus, reſipiſcere cœpit, uoluptatúmque occaſiones bellicis cogitationibus occupationibúſque fallere. Ibi Petrum Borbonium, qui Annam ſororem in matrimonium duxerat, uicarium ac rectorem regni donec abeſſet, pronuntiauit: ſingulíſq́; præfecturis præfectos conſtituit, omnes tamen Borbonio parituros. Anna ſoror multum apud fratrem gratia atque authoritate ualebat: quo factum eſt, ut ad eam abſente Regẽ omnia referrentur. Igitur non ſine uenuſtiſsimarum mulierum lachrymis, quæ ægrè ab eo diuellebantur, accinxit ſe ad Neapolitanam profectionem. Regem in expeditionem proficiſcentem nobilitas Gallica ſecuta eſt: calonum, lixarum, plauſtrorum, carrucarum infinitus numerus: nam multis opus erat ad machinas bellicas centum quadraginta inſignes uehendas, cum interim paruarum innumerabilem traherent copiam. Diu deliberatum eſt, Rex ne præſens bello adeſſe deberet, Petro Borbonio & Anna ſorore, reliquáque nobilitate Gallica Regem reuocante. Sed Stephani Verſij ſuppræfecti Belcarienſis, & Gulielmi Briſſonneti Quæſtoris Regij, quibus ſolis ad interiorem Regis amicitiam aditus patebat, uicit ſententia, ut is bellum id ſuſciperet. Vna hæc cura angebat Regem, unde pecuniam in ſumptus belli pararet: nam quæ parata erat, iam conſumpta erat.

A Genuenſibus mercatoribus & Mediolanenſibus conſtat non ſine fœnore mutuò ſumptum ingentem numerum pecuniæ. Rex cum ad Taurinos progrederetur, nactus eſt Blancham uiduam, Allobrogum ducis uxorem: ea quicquid auri in ornamentis eſſet, contulit. Ille id ſuſcipiens, pignori dedit, ſumptis inde mutuò duodecies mille nummis aureis. Tantundem ſumpſit à uidua Montſerrati: eáque in Galliam reuerſus bona fide perſoluit: totóque itinere dum partim à menſarijs, partim fœderatis mutuas ſumit pecunias, nec remige in ſupplementum ad claſſem quam inſtruxerant, opus fuit: nec ſtipendio qui ab eo educti ſunt milites eguerunt. Interea claſsis Gallica, cui Ludouicus Aureliorum dux præerat, claſsi Neapolitanæ occurrit. Gallica claſsis ad portum Genuenſem ſtationem habebat. Ibi ſunt qui certatum ſcribant uario certamine: tandem depreſſas interceptáſque naues hoſtiles, Federico fugato. Sed qui comites Carolo in ea expeditione adfuerunt, narrant ad Spediam locum quem uocant ſpeciem, & Rapalam, uicina Genuæ loca, egreſſos hoſtes duce Obiecto Feſcio, cum interim claſſe etiam Gallis occurrerent. Erant Gallis inſtructę naues Gallicæ, maiores decem, myoparones maiores triginta, minores quindecim, onerariæ duodecim. Sperabant hoſtes ex urbe motum aliquem in Gallos. Ludouicum conſtat claſsi occurriſſe: ſed ita littori proximam nauem prætoriam adnauigaſſe, ut pedeſtres hoſtium copias machinis bellicis emiſsis à mari & proſterneret & fugaret, territos machinarum impetu, quarum uſum exactiorem ignorabant Itali: etſi prius ad eos perlatas proditum ſit. Antonium etiam Baſſeium ſuppræfectum Diuionenſem cum Heluetiorum inſtructa acie præſto fuiſſe, & renouantes prælium multis cæſis fudiſſe: Sfortianis etiam militibus, quos Ioannes Adurnus eduxerat, anguſtias itinerum obſidentibus, etſi hi prælio abſtinuerint. Ita cæſi fugatiq́ ſunt hoſtes, captis multis, inter quos fuit Fregoſinus, Petri Fregoſi Purpurati Pontificij Genuenſis filius, magni apud eos nominis: namque illi ſpurios non minus quàm naturales & legitimos liberos obſeruant. Eſt & Rapala oppidum expugnatum. Germani ſcriptores etſi his congruunt, prælij tamen ſeriem aliter narrant: Federicum cum quatuor hominum millibus Gallis occurriſſe: eos à Gallis & Heluetijs circumuentos fuiſſe: neque tamen ideo minus aciem inſtruxiſſe: ſed militum numero & machinarum impetu impares fuiſſe hoſtes: ac tandem & cæſos & fugatos fuiſſe: Cecidiſſe ex Neapolitanis mille, ex Gallis uix trecentos. Ludouicus mare relinquens, cùm Federicus inde ſeſe proripuiſſet, Aſtam ſeceſsit, eoq́ loco nactus Carolum, certiorem eum fecit de uictoria. Ludouicus Sfortia cum uxore, regio magnificoq́ comitatu è Mediolano egreſſus, Regi ad Aſtam occurrit: eiq́

rit: eiq́ gratias egit quod eam prouinciam ſe authore ſuſcepiſſet: Regiq́ fidem & operam omnem detulit. Pergeret fœlicibus auſpicijs: nec uires hoſtium metueret. Qui apud Italos potentia omnino ualeant, quatuor eſſe: Alexandrum Pontificem, quem cum Columnenſibus ſolis uires conferre minime auſum, certum ſit: quid facturus aduerſus tantam potentiam? Venetos, qui hoc tempore quieti: ſint Mediolanenſes, quos ipſe nutu ſuo regat. Ita aduerſus Neapolitanos ſolos rem Gallis futuram. Hos omnes quatuor concordes, opesq́ conferentes, ſuperatos: quid futurum hoc tempore, quo aduerſus unum bellum ſit gerendũ? Neapoli recepta, tanta auxilia terra mariq́ ſeſe ſubminiſtraturum, Turcarum ut imperium, Conſtantinopolitanumq́ diadema, nullo negotio Gallia florens recipiat: Ita futurum, ut res geſtas Magni Caroli famamq́ Rex adoleſcens uincat. Nec uanæ pollicitationes, ſi á labijs non diſſenſiſſent præcordia, aut pectus non poſtea à lingua mutatum res ipſa docuiſſet. Ibi Rex puſtulis toto corpore emanantibus, coorta etiam febri, ægrotare cœpit: ſed febre leuatus, cum conſilia belli omiſſurus putaretur, ad priſtinas cogitationes reuerſus eſt. Aſcanius Sfortia Ludouici frater interea Romæ Regi egregiam nauabat operam, ut & Iulianus Cardinalis, quem poſtea Pontificem factum, Iulium uocarunt. Hi Oſtiam Iuliano, eodem Pontifice Oſtienſi adnitente Columnenſium factione, Pontifici extorſerunt: intercipiebantq́ commeatus qui Tyberi Romam uehebantur. Inſtante iam hyeme, Ferdinandus Alphonſi Regis filius, Nicolaus Petilianus, Virgilius Vrſinus, Ioannes Iacobus Triuultius, deiecti ſpe Gallorum è Genua eijciendorum, copias cogere: à Florentinis equos: parare, finitimos populos ad ſe allicere cœperunt: Ita contractis copijs & numero & rei militaris peritia haudquaquam ſpernendis, ad Sapim peruenere. Prodit is fluuijs ex Apennini iugis. Ad eos depellendos Rex miſit Aubignium (quem Scoti Ebrardum Stuardum uocabant) & Franciſcum Roberti Seuerinitatis filium cum quibuſdã equitibus à Sfortia ſumptis. Horum aduentu cognito, Aragonenſes & Neapolitani copias equeſtres educunt, equitatu pulſo: ſequentibuſq́ Gallis & Sfortianis, repente pedeſtres copias emittũt. Ita dum utrinque receptui canitur, utriq́ in caſtra exercitum reducũt. Aubignius caſtra celeriter uallo foſſaq́ munijt: leuibuſq́ prælijs quotidie certabatur, cũ caſtra caſtris eſſent ꝓxima. Erant cũ Aubignio Rodolphus Gõzaga, et Galeotus Mirãdulanus. Ac quodã die cũ tormẽtorũ belllicorũ pilæ ferreę ex uallo in hoſtium caſtra torquerẽtur, ita afflictę res ſunt hoſtium, adcurrentibus Gallis, deleri ut potuerint eodem die, ni Vidus Vbaldus Vrbini princeps, qui nuper in caſtra hoſtium uenerat, ſuos terga dantes reuocaſſet, pauciſq́ ex fuga reuocatis reſtitiſſet. Enituit eodem prælio uirtus Gratiani Calė

ni Calmontij ſpurij, è nobili Calmontiorum Aquitanorum familia. Hunc etiam alio nomine Artiguanum uocabant. Imitatus eſt hac in parte maiores ſuos, præcipuè uero Brandeleſium Calmontium, cuius ut uiri fortis, animoſi, & acriter ſe morti offerentis, uirtus laudem ad poſteros propagauit. Et Aubignius ſuſpecta habebat auxilia Sfortiæ: & Ferdinandus de ſuorum fide dubitabat: quo factum eſt, ut neutri rem prelio committerent. Alexander Pontifex iritatus columnenſium iniurijs, copias ſuas è Flaminia reuocauit. Ita cedente Ferdinando, equitibúſque Gallicis extremum agmen carpentibus, diſſolutæ ſunt eorum copiæ: ſecutiq; Galli & Sfortiani in Flaminia Mordanum ceperunt & diripuerunt: Catharinámque Hieronymi Riparij Sixti olim Pontificis Romani nepotis uxorem, Aragonenſium partes ſecutam, Legatos ad Regem mittere coëgerunt: qui ibi eam futuram, ubi ille præſcriberet, & ea facturam quæ imperaret, firmarunt. Ita paſsim Italiæ omnes proceres Regi adiuncti, uel eius aduentu ſpem nouarum rerum cncipientes, uel machinarum impetu perterriti, ut ſunt, ad res nouas intenti. Accedebat inueterata de Gallorum humanitate liberalitatéque memoria: quam tamen paulatim depoſuerunt, Gallis inſolentiſsime rapinis omnia fœdantibus. Carolum inde Sfortia & apud Mortarium & Papiam magnifice excepit. Ingredienti Regi plauſu maximo à multitudine undique occurrente, gratulatio ſignificata eſt: ſimiliq; plauſu & frequentia uſque ad ædes deductus eſt: ibi Stephanus Verſius, qui ad familiaritatem Regis intimam peruenerat, conatus eſt uoluntatem Regis à Sfortia alienare, uel ſuſpectum eum palam ſentiens, uel apud Ludouicum Aureliorum ducem gratiam initurus, qui iam palàm Mediolanenſem ditionem ad ſe reuocabat, eóque factum eſt, ut duplicarentur apud Gallos nocturnæ excubiæ. Nec Sfortiam id latuit: ſed ſimulationum inuolucris rem tegens, rogauit Regem qua tandem ratione ſuſpectum eum haberet, qui opes omnes ſuas conferat ad prouinciam, quam ipſe ſibi ſemel decreuit debellandam, Rex bene eo ſperare iuſſo, negauit unquam apud ſe uel leuiculam ſuſpicionem reſediſſe: petijtq; Ioannem Galeatium Ducem Mediolanenſium uiſere ſibi liceret: is æger corpore, lectulóque decumbens, imo è pectore ſuſpiria trahebat. Rex miſertus eſt principis nobiliſsimi, qui uelut cuſtodia ſeptus ea arce adſeruabatur: obſecrauit ne in conſilium cogitationum, deſperationem aut timorem adhiberet: curaret diligenter ualetudinem: Dei ope futurum, ſanitati reſtitutus conſtituta ut omnia negotia, ſi quæ angunt, uideret. Ille flens gratiſsimam ſibi eſſe Regis ait uoluntatē, feciſſeque nihil eum à neceſſitudine ueteri obſequióq; Galeatij patris in Gallos alienū: actum de ſe:

de ſe;commendauitq́; filiolum. Rex cum multa eum libẽter eſſet rogaturus,ſuperſedit ob Sfortiam præſentẽ.Ibi Iſabella Alphonſi Regis Neapolitani filia, Galeatij uxor,pedibus Sfortiæ aduoluta, humum conſperſit lachrymis, capillo paſſo, circumq́; caput reiecto negligenter, tandem aliquando patris Alphonſi Ferdinandiq́; fratris miſereretur, orauit, ſatis iam ultum iniurias ſuas, quid tandem expectaret,niſi ut è regibus ſeruos redderet? Quid ego uobis (inquit) pater & frater,præter lachrymas poſsim reddere,quas uos ex morte mariti imminente pro meipſa plurimas uideo effundere? quid poſſum niſi mœrere? quid niſi ſqualida gemere? memini quidem, memini, dum haſce mihi nuptias conciliaretis, præſidium uos uobis quaſi pararetis, huc me, deduxiſſe:pro quo præſidio præſens uobis adſit ruina. Sfortia reſpondit iactam aleam,neque rem eſſe integram: depromendas fuiſſe eas deprecationes pro marito & pro ſeipſa, quæ uenuſtula eſſet, & adoleſcentula. Fuere ex aulico comitatu qui ita putarunt, Regem eius oratione commotum, ut ſi,quas ad Sfortiam illa preces effudit, genibus ſuis obuoluta effudiſſet, ad æquas pacis conditiones,quas eo tempore per Venetos Alphonſus maiore regni parte delata offerebat, uenturus exiſtimaretur.Inde Placentiã comitante Sfortia Rex peruenit: ibi certior factus Sfortia Galeatium nepotem animam agere,equis ſæpe mutatis Papiam properabat:ſed in itinere audit deceſsiſſe:Mediolanumq́; properauit, cũ prius rediturum ſe Regi recepiſſet,nec tamẽ rediit. Fama eſt Galeatium nepotem pronepotemq́; ueneno ab eo ſublatos,ita apte temperato, ut ſub aduentum Gallorũ occumberet, eius rei indicium fuiſſe tumore & liuore decoloratum corpus utriuſq́; mortui. Ita ille Mediolanenſem principatum malis artibus quæſitum obtinuit, cuius dominatio neq́; iucunda fuit multitudini, & bonis ita moleſta,magno ut omnib. in odio fuerit. Ciccus Calaber uir natura peracutus & prudens, expulſo Ludouico Sfortia cum Bona Sabaudiana matre,moderabatur Galeatij nomine res Mediolanẽſium. Bona,cũ eſſet leui ingenio,per Antonium Teleſinum Ferrarienſem adoleſcentem uenuſtiſsimum,qui ad eius amicitiam arrepſerat,totamq́; eam poſsidebat,eiq́; obſequẽtior ea erat, quàm caſtam mulierem deceret,reuocauit Sfortiam, nequicquam diſſuadente Cicco. Is reuocatus. Cicco necato cum in amore & delicijs illa aliquantulũ Teleſini uerſata fuiſſet,tãdem & tutela filij,& omnium rerum adminiſtratione priuata eſt, omnia ad ſe Ludouico Sfortia reuocante,donec ſublatis nepotibus Mediolanenſi imperio potitus eſt. Inde Rex cum Florentinis nõ ſatis æquis uteretur ob Petri Medicis factionẽ,qui Neapolitano adhærebat, Sarzanã obſidere cœpit. Secus Macrã amnem Lunã uetuſtũ olim aiunt fuiſſe oppidũ & nobiliſsimũ:quod hodie nullũ extat,uicinis tamen

locis

locis Lunenſis regionis nomen retinentibus. Ad Macræ dextrā
ſupra Lunam, eſt Sarzana, cuius arcem à Thoma Fregoſo cōmu
nitam lautiſsimeq́ ædificatam proditum eſt. Ad eam perueniens
Carolus, cœpit machinis admotis oppugnare: erat ea neque com
meatu, neque defenſoribus admodū munita. Sed & prius Mon-
penſerius locum eum munitum, cui Caſtro nouo nomen, diripue
rat. Florentini quibuſcunque conditionibus cum rege tranſigen
dum cenſuerunt: ægreq́ impetrauit Petrus medices, ut eò mittere
tur cum paucis. Sed Franciſcus Valorus, Tanaus, Nertius, & ple
rique aduerſæ factionis, paucos poſt dies legationem aliam decre
uerunt. Miſsi ſunt obuiam Medici Franciſcus Pienneus, & Guli
elmus Briſſonetus, acturi de pacis conditionibus. Hi multa pe
tierunt, quæ ſe nō imperaturos credebant. Primùm ut Sarzanam
dederet, idq́ ille abnuit: deinde ut Piſas, Petraſanctam, Liburnū,
Piſani portus munitiſsimam arcem, Librafactam, poſtremò libe
rum per Florentiam tranſitum Regi præberet, quæ omnia conceſ
ſa ſunt. Ad dextram Macræ amnis ſunt Caſtrum nouū, Foſſa no
ua, Ortus nouus, Villafranca: atque in Apennini radicibus Pon
tremulum haud ignobile oppidum: quæ omnia in Regis uenerūt
poteſtatem. Ad Pontremulum inter Sfortianos & Germanos qui
Regi militabāt, ſeditio orta eſt, cæſiſque Germanis quibuſdam
ad arma conclamatum eſt. Sed Galeatio Seuerinate & Ludo
uico Luxemburgo occurrentibus, contentio compoſita eſt, nonſi
ne Heluetiorū clade. Inde Piſas Rex peruenit, nullo non honorū
genere acclamationūq́ à populo exceptus. Ibi cum ſtipēdia mili
ti ſoluta non eſſent, Sfortia triginta millia nummûm aureorū mu-
tuò dedit Regi, eò id libentius faciens, quód ſperaret futurum ut
Sarzanam & Petraſanctam, loca munita, quæ à Florentinis maio
ribus ſuis exorta contendebat, recuperaret, itaque non deſtitit
à rege petere. Vbi autem ex cunctatione Gallica ſatis agnoſcit ex
tenuari ſuas ſpes & euaneſcere, commotior factus abijt, dictitans
eo ſtatu res eſſe ſuas, quę ſe abſente explicari nō poſsint. Reliquit
tamē cum Rege Galeatium Seuerinatem, cui ſpuriam filiam col
locârat, hominem prudentem reiq́ militaris non imperitum. Piſa
norum ciuitas magna atque opulenta fuit. Hos cū Florētini mul-
tis ſæpe bellis uexaſſent, uectigales tandem ſibi fecerunt: multoq́
infirmiores redegerūt, cum res eorū terra mariq́ diu floruiſſent.
Galeatius ſpe potiūdæ ciuitatis, cum Piſanis communicat, horta
tusq́ eſt eos accurata oratione, ut ſe liberos meminiſſent, adeſſe
Regem ętate copijsq́ florentem, à quo libertatem petere poſsint:
qua niſi hoc tempore potiantur, nequicquam poſthac ſpera-
re debeant. Hac impulſi occaſione Piſani, qui iam antè ſe Flo
rentinorum obnoxios dominationi dolerēt, liberius audaciusq́
de libertate recuperanda, conſilia inire cœperunt: indictoq́ conſi
lio, uel

lio, uel ſui capitis periculo Piſas in libertatem uindicandas decernunt: Galeatius huius ſe conſilij principem futurum pollicetur. Quærebatur ratio perficiendi. Erat Ioannes Rabotius, Regius apud Gratianopolim conſiliarius, uario homo ingenio: ſed & potiora ſemper omnia unde quæſtum undecunque pararet, quàm fides atque integritas fuere. Hic eo tempore munere fungebatur Libellorum magiſtri nomine, abſentis: cum eo agunt, poſtulationes ut ſuas ad Regem deferat: id ille recepit, uictus muneribus. ita conſtituta re, cùm Rex è ſolennibus ſacris rediret, uel ad ea adiret, obuiam prodeunt, effuſa plebe, fœminis mœrentibus, populoq; libertatem identidem atq; identidem acclamante. Rogat Rex Rabotium, petitione inſolita cõcurſuq; plorantiũ cõmotus, quorſum hæ plebis petitiones tendant. Ille miſerrimã eſſe populi conditionem reſpondit, direptas à Florentinis fortunas ciuium: locupletes in exilium actos: fana uexata: uectigalem urbem ſingulis rebus, quecunq; uænirent, nouis portorijs impoſitis, factam. Rex, cùm ille iuſtas preces diceret, quando libertatem peterent, libertatem ſe ijs dare profeſſus eſt. Ita ad plebem Rabotius conuerſus, libertate eos à Rege donatos pronũtiat. Pauliſper fremitus gaudentium libertate fuit: mox etiam omnes acclamarunt, gratiasq; Regi egerunt. Inde effuſa plebs ad pontem circa Arnum ſitum properant. Ima parte pontis ſtabat leo marmoreus (quem Maiorem uocabant) referens Florentinorũ dominationis inſignia. Illi leonẽ deturbant, cõminuunt, diſſipant: odiumq; quod in Florentinos attulerãt, in eorũ inſigne profũderunt: mox etiã ſuo loco repoſuerunt, addito Regis ſimulachro magnificẽ depicto, equeſtrique ſtatua, è qua Rex ſtricto enſe leonẽ pedibus cõculcatum proſterneret. Sed hæc adulantis populi ſtudia quàm uana fuerint, poſtea compertum eſt, cùm urbe à Maximiliano Cæſare recepta, in Regis ſtatuã eadem peregerint, Cęſaris erecta ſtatua quæ Gallicam comminueret. adeò ſemper eſt plebs in utramque partem immodica ſiue oderit, ſiue amârit. is eſt iocantis fortunæ ludus. Piſani interea magiſtratus expellunt, bonis eorum publicatis, ut & eorum quos Florentinorum rebus ſtudere uidebant. Politianum quoque oppidum, Piſanorum conſilia ſecutum, expulſo prætore arceq; deiecta, rebellauit. Rex certior factus de Pici Mirandulani eruditi hominis morbo, tanti uiri fama commotus, medicos ſuos ad eum properare iuſsit. Sed morbi uis ſerum fuiſſe auxilium oſtendit. Petrus Medices Florentiam redierat, domumq; ſuam lautiſsimè regioque more ædificatam à Regi præparabat. Erat is ſummo apud ſuos odio ob munitiones locorum Regi traditas. Augebant inuidiam Franciſcus Valorus & Nertiorum factio, Laurentinusq; Medices. hi cum quibuſdam alijs, nacti locum quo iniurias ulciſcerentur, in eum inimicitiarum dolorumq; iracundia

erupe-

eruperunt. relata res eſt ad ſenatum. dicuntur in Medicen ſententiæ graues, ut quiſq; grauiſsimè dixit contumelioſiſsimeq; in Medicen, ita quammaximè rempublicam iuuiſſe uiſus eſt. de his rebus Medices admonitus, in curiam uenit. Iacobus Nertius ſolum ſe admiſſurum ait, cum comitatu prohibiturum aditu: uociferantiquè fores clauſit. Aguntur omnia raptim & turbatè: neque Medici deprecandi purgandiq; ſpatium datur. His de cauſis Medices armata familia, uocatoque ad parteis Paulo Vrſino cum paucis alijs, cùm iam uulgus inconditis uocibus ſtreperet, libertatem identidem acclamans, è Florentia ſe proripuit. abſentem hoſtem iudicarunt, bona eius publicarunt, & diripuerunt, eique aqua atque igni interdixerunt. Matthæus Balaſius, qui Petri domum à Rege miſſus exornabat, domum ipſam ſuppellectilemq; diripuit, qui ſi maximè ob Regem Petro hoſtis eſſe debebat, tamen hoſpitis domus direpta perfidiam cum auaritia certaſſe ſignificabat, quamuis is rapinas ſuas prætextu tegebat pecuniæ, quàm ab argentarijs Mediceis Lugduni ſibi debitam contendebat. Omnes Medicis clientes & familiares inſtitoresq;, quos plures habebat, ſeſe ad motum fortunæ mouere cœperunt, ut narrantem multi eum poſtea audierunt eo ipſo tempore, nondum direptis bonis, neque à magiſtratibus ad ſuum commodum (quod poſtea accidit) conuerſis: inſtitorem Florentinum, à quo ad ueſtimenta ſibi ſuisque paranda aut pannos aut pecuniam ad centum uſque nummos aureos petebat, ei præcidiſſe: negaſſeque, quem hoſtes ciues iudicaſſent, huic ſe ſua poſſe etiam mutuò poſcenti concedere. Medices patria profugus, Venetias peruênit: duosque dies extra urbem duxit, dum ambigunt Veneti, an eum recipientes, Regis in ſe animum irritarent: ſed cum Philippus Cominius, qui apud eos à Rege legatus miſſus erat, nihil à Rege hac de re literarum ſe accepiſſe profiteretur, magnificè eum exceperunt: eumque unà cum uiginti alijs quos deligeret è familia (quod paſsim concedi ſolet) armatum, in publicum prodire permiſerunt. Rex etſi in eum à Stephano Verſio multisque alijs incenſus, nunquam tamen necuerbo nec ſcripto eum inſectatus eſt: uicemque eius ſe dolere profeſſus eſt: impetraſſetque ei reditum à Florentinis, niſi ipſi Florentini commodo eius dolentes, florentibus rebus eius, regia conſilia turbari oſtendiſſent. Florentini paulò anteà legationem nouam ad Regem decreuerant, qui ſe ſuaq; omnia in fidem eius clientelamq; dederent. Erat inter legatos Hieronymus Ferrarienſis Dominicanus ſodalis: hic Petrũ Medicẽ proprio nomine anteuertiſſe queſtus eſt, quod ciuitatis nomine factũ deceret. Legatis benignè reſpõſum. Inde Rex inſtructo exercitu Florentiã ingreſſus, exceptus eſt incredibili honore & põpa, nihilq; prętermiſſum eſt, q̃ ad ornatum,

tum excogitari poſset, quod non in eum collatũ ſit, ut uel magni
fici triumphi pompa percipi poſſet. Rex cum Florentinis fœdera
inijt, quorum ſumma fuit: Darent illi Regi centum & uiginti num
mûm aureorum millia: quinquaginta millia ſtatim numerarentur:
reliqua æquis pẽſionibus loca, à Medice Regi tradita, Rex ab eis
precario cum præſidio teneret, ea is redderet poſt quatuor mẽſes,
Neapoli capta: aut prius, ſi in Galliam rediret: inſignia illi regia re-
ciperent, ipſe eos in fidem reciperet. Hæc ut rata in poſterũ eſſent,
iureiurãdo ad altare diui Ioannis ſanciret. Multa quoq; cauta ſunt
eo fœdere Petro Medici & Alphonſæ uxori, cui dos reſtitui debe
bat. Florentia poſt octauum diem abijt, ſaluis & rebus ciuiũ & pu
dicitia uxorum, quod illi maxime uerebantur. Dum Rex Floren-
tinorum res componit (nam hi Piſanis datam libertatem grauiter
ferebant) ad eum ueniunt Antonius Lauretanus, & Dominicus
Triuiſianus, Venetorum decreto Legati miſsi, ea quidem ratione
(ut dictitabant) ut Regi Romam adeunti, ſi quid poſſent, Vene-
torum nomine cõmodarent. Miſit & Rex legatos ad Alexandrũ
Pontificem Ludouicum Tremolium, Ioãnem Ganaium, Paulum
Vidaudum queſtorem: premiſit & Ludouicum Luxemburgum,
& Ludouicum Alegrium Oſtiam, cum Heluetijs ad duo hominũ
millia. Admiſerat in urbem Pontifex Ferdinandum Alphonſi fili
um, una cum Italicis aliquot militibus, quos antea ad urbis defen-
ſionem contraxerat. Ita factum eſt ut legati Regis dubio eſſent ui-
tæ diſcrimine. Sed cum & Luxemburgus auxilio Columnenſium
fretus parte una ex Oſtia properare iactaretur; & appropinquare
etiam regis in urbẽ aduentus putaretur, mututato conſilio remiſſi
ad Regem ſunt legati. Diffidereq; tunc artibus ſuis & ſimulationi
bus Pontifex cœpit: ac tum demum, quando ita Regi placeret, etſi
tumultum imminere non leuem uideret, aditum ſe Regi præbitu
rum ſignificauit. Poſtulauit tamen Ferdinando liberum reditum,
quem & impetrauit, prius tamen uelut obſidibus retẽtis Aſcanio
Sfortia, & Proſpero Colũna. Inde Rex Senas: mox ueritus ne Vi-
terbio hoſtes potientes, exercitum caſtraq; transferrent, eo contẽ
dit: celerius omnino quàm Pontifex putarat, loco potitus. Vbi la
cum Vulſinenſium prætergreſsi ſumus, campi nos excipiunt am-
pliſsimi, in quibus eſt Viterbium, ruina olim Faleriæ urbis inter
Herturiæ urbes celebris. Adiacet Viterbiũ monti. Receptisq; Ca
ſtellis uicinis, præſidioq; impoſito, Brachianum adijt. Carolus Vr
ſinus ueniẽti Regi oppida Virgilij patris obtulit, cum iam Ferdi
nãdus è Roma receſsiſſet: que res hoſtes uehemẽter fefellit, cũ pa
ter Ferdinandi partes toto eo bello & ſecutus eſſet, & adhuc ei mi
litans ſequeretur: ita ex una & eadem familia modò harum modò
illarum partium erant, neq; in Regis omnino, neq; Neapolitano-
rum Regum parte fidem habentes. Pridie calendas Ianuarias Ro

mam uenit inſtructo exercitu Carolus: noctuꝗ ingreſſus tãto lampadum ſplendore, ut dies non deſideraretur. hoſpitium ei decretum erat ad diui Marci Palatium. Cum autem ſeditio orta eſſet in uico Iudæorum, in authores ſeditionis, qui Militem Gallicum occiderant, animaduerſum eſt. Ad hæc tribus locis media urbe iuſſu Regis furcæ erectæ ſunt, ut in alieno ſolo terror etiam Gallicus oſtentaretur. Regem in urbem ingredientem ſecuti ſunt Aſcanius Sfortia, Iulianus, quem poſtea agnouit Roma Pontificem, Baptiſta Sabellus, Ioannes Columna, pluresꝗ alij ex Purpuratorum Cardinaliumꝗ numero. Magiſtratus omnes cum nobilitate Romana, tantæꝗ ad eius introitum effuſiones hominis ex oppidis, concurſus ex agris, plauſus inconditæ multitudinis fuit, domeſticum ut Regem non exterum recipere uiderentur. Alexander in Vaticanum ſeceſſerat, præſidijsꝗ id firmarat, Baptiſta Vrſino uno comitante ex Purpuratorum cœtu. Agitatum eſt de abrogãda dignitate Pontifici: admotæꝗ ſunt machinæ bellicæ Vaticano, cum is Regijs legatis de pace acturis portas clauſiſſet. Ipſi Purpurati palàm agere cœperunt, & dicere decernendã in eum quæſtionẽ: ex Vaticano inuitum educendum: ſecernendos dandosꝗ iudices apud quos cauſam dicat, Aſcanius Sfortia Pontificatum emptũ aiebat, idem pleriꝗ alij, & ſane haud inſulsè, ni ipſi nundinationibus ipſis præfecti fuiſſent, cum & Vicecancellarij (ſic enim uocant) ordinem, ingentemꝗ pecuniã cum domo Pontificia idem ipſe Sfortia recepiſſet. Pontifex circũſpectis rebus omnibus, ſubductis ꝓ rationibus, territus etiã ruina muri ex Vaticano ſuapte ſpõte diſiecti, ne diutius de capite ſuo comitia agerentur, miſit ad Regem qui nuntiarent ad æquas pacis conditiones ſe uenturũ. Conuenit tandem ut oppida aliquot, donec in Galliã rediret à Põtifice Rex, retineret: ut Valentinus Borgia Cardinalis Alexãdri filius, Regia caſtra quatuor menſes ſequeretur: ut Zezymus, quẽ & Gemen uocant, Turcarum principis frater daretur: ut Oſtienſis arx Iuliano Cardinali redderetur: ei reliquiſꝗ Purpuratis, omnibusque alijs Gallos ſecutis (fraudi ne in poſterũ eſſet quòd Regẽ ſecuti eſſent) ijs ſi quid ablatum eſſet, reſtitueretur: ipſe in Regẽ arma ne ferret, aliosꝗ ferẽtes ne conſilio ullàue ope iuuaret: ex Gallis duo quos deligeret Rex Purpuratorum numero adſcriberetur. Allecti mox in Purpuratorũ ordinem Gulielmus Briſſonnetus, qui prius quæſtor Regius ac fuerat paulo antea, Maclouienſi Pontificatu donatus: & Philippus Luxemburgus, Cænomanẽſium Antiſtes. Mox Rex obſide recepto Valẽtino Borgia, intra paucos dies qui ad patrem perfugit, & accepto Zezymo Turca, Vaticanum ad Pontificem ſalutandũ profectus eſt: eiꝗ ut filius pius ueluti parenti et Põtifici ſe ſubmiſit. Eoꝗ tẽpore Petrus Vachius, Antonellus Salernitanus, & plures alij è Genua cum claſſe Gallica profecti, cum in

certi

certi locorum diu deeraſſent, ad Regem circa Populoniam in terram egreſsi peruenerunt, pecunia allata, ex qua Colũnenſibus maior pars erogata eſt, ob ſtipẽdia militũ quos in Regis gratiam ad duo millia ſe aluiſſe aiebant. Alphonſus Caroli aduentũ ſentiens, magna cura & diligẽtia fines ſuos tueri uoluit. Sed angebatur memoria procerum aliquot Neapolitanorũ à ſe iniuria cæſorum, eorum uocibus reſonare loca omnia & uigilãs & dormiẽs, furijs ueluti quibuſdã percicus, augurabatur. Neque uero ex priſtina animi magnitudine ulla apud eum memoria reſedit: ſed exanguis atque æſtuans regno abdicato, Ferdinandũ filium pro ſe regnare iubet, ipſe parum apte cõpoſitis rebus, Mazerã ſeceſsit, arctioris uitæ inſtituta ſacra profeſſus, ſed prius eò ingentem uinorũ ſuauiſsimorũ copiam aduehendã curauit: eoq; loco paucos poſt menſes calculi doloribus uexatus occubuit, cùm uerè ad frugẽ rediſſe, uigilijsq; & ieiunijs corpus maceraſſe diceretur. Aquilã interea Galli pulſis Aragonijs recepère, ut & Populũ & Traniũ & Laurinũ pulſis Vrſinis, cõmotis iam omnibus ipſa fama & opinione fortitudinis Gallicæ. Rex è Roma abiens inſtructo exercitu, omnia pacata Columnẽſium opera inuenit. Monfortij paululũ reſtiterunt, ſed à Gilberto Cliuenſi Germanicarum copiarum ductore oppugnati, imperata fecerunt: oppidum expugnatum & direptum, cęſo etiã Iacobo Cointio, qui cùm prius Regi militaſſet, maiore à Ferdinando ſtipẽdio conſtituto rebellauerat. Idem accidit Ferẽtinis. Alexander quoq; Põtifex paſſus eſt Oſtia, Centũcellis, Anxuriſq; arce Francos potiri. Inde ad montẽ Ioannis properatũ eſt, octoq; horis continuis cùm machinarũ impetu deiecta mœnia eſſent, irruentibus Gallis cæſi ſunt hoſtes, oppidum receptum: pars quidẽ Gallicarum copiarum per Sabinorum in Neapolitanum Regnũ perueniebat: pars alia per Latium ad Lirim contentebat. admouebantur copiæ fano Germani. Ad Caſini montis radices fanum eſt id Germani, intra cuius mœnia & ambitum ſcatent uberrimi fontes: hi amnem augent quarto ſuprà milliario ad fanũ Eliæ orientẽ: iſq; cum alijs Lirim amnẽ in Samnitibus producit, rurſuſq; duodecim expletis paſſuum millibus, in maiorem Liris curſum, ad locum quem Pontem Curuum uocant, incidit. Ferdinandus fanum adijt Germani cum quinq; millibus equitum, peditũ quinq; millibus: alij quatuor conſtituũt, quingẽtos addentes equites: aiuntq; quadrato agmine ad Gallica acceſsiſſe, ſed Gallos retractaſſe certamen. Locus eſt montanus Cancelli nomine, ſex paſſuum millibus à fano Germani diſtans: hunc occupari iubet Ferdinandus. Senſere id Galli, miſſoq; Petro Riuenſi Tribuno militari, fugati mox ſunt hoſtes. Sed & Ferdinandus, cum audiret cũ prima acie Iacobum Lotaringum Guyſium ad Germanũ peruenire, uel prælium detrectãs, uel quod Neapolitanũ tumultũ uerebatur, inde ſe

ſe proripuit: infanũ Germani induſtria celeritateꝗ Lotaringi rece
ptũ: quo tamẽ loco ſi unquã aliàs, aut Galli ob locorũ munitiones
diutina obſidione fatigãdi, aut prælio aperto laceſſẽdi fuerãt. Hoc
loco edicto à Rege ſãcitũ, ut ueteres poſſeſſores qui arces, aliáue
loca Ioãnæ reginę tẽpore poſſediſſent, quorũ Aragoniorũ tyrãni
de interuerſæ eſſent poſſeſsiones, ad ueterẽ dominatũ poſſeſsio-
nemꝗ redirent. Aquilanis quoꝗ multa extra ordinem indulta, &
ius monetæ cudende. Circa id tempus Caieta à Gallis recepta, arx
diu obſeſſa, à Braneto & Tuttimondo diu defenſa, tandẽ deditio-
nem fecit, Robino Frainazello ſtrenuo induſtrioꝗ homine oppu
gnante. Eo loco cæſus Menaldus Iuſſanus, unus è Bigerronũ no-
bilitate. Reſtabat Capua, ea ſupra Caſilinũ, duodecimo à mari mil
liario, amni Vulturno adiacebat. Nunc aliò trãſlata. Eò mox con-
tendit Carolus, ut ſi quid ad urbẽ alioqui munitã hoſtes adderẽt,
celeritate præcurreret, munitionesꝗ impediret. Eam ualido pręſi-
dio tenebat Ferdinandus: præfeceratꝗ ei Ioanẽ Iacobũ Triuultiũ
Nicolaũ Petilianũ, & Virgilium Vrſinũ, omnes rei militaris peri-
tiſsimos. Venerat eò prius Ferdinandus. is ſolus in urbẽ admiſſus
eſt: milites excluſi: hortatus tamẽ fuerat eos, ne neceſſario tẽpore fi
dem mutarẽt, futurũ ut craſtino die rediret. Interea ciues fremere,
iam acciſas res Ferdinandi, nobilitatis animos mutatos. quid tan-
dem fruſtra nitendo, odium ſibi quærerẽt? Conclamare omnes. &
Iacobũ Triuultium obſecrare, urbi conſulat. quid pro his pugna-
rent, á quibus omnibus fortunis ſpoliati eſſent: quiꝗ ornamenta
omnia, laudẽ, honoreꝗ ueterũ familiarum depeculati eſſent? Hoc
audito uulgi fremitu, magnus omnibus inceſsit timor. His de cau
ſis cõcilio conuocato, de ſumma rerũ Petulianus, Vrſinus, Triuul
tius deliberãt. Conſtitutũ eſt uti Triuultius ad Regẽ de pace actu-
rus deditioneꝗ mitteretur. Erat Triuultius ſumma apud ſuos no
bilitate, patria tamẽ profugus Mediolanẽſi, ob ſimultates quaſdã
quas geſſerat cum Ludouico Sfortia priuato adhuc, neꝗ ad tantũ
principatum euecto: tranſieratꝗ ad Alphõſum Neapolitanũ Re-
gem, huiusꝗ opera & Alpõſus & Ferdinãdus toto hoc bello Nea
politano optima fidiſsimaꝗ uſus erat. Ipſe autẽ uel ad motũ for-
tunæ cõſilia dirigẽs, uel Ferdinãdi res pro deploratis habẽs, diſce
dere ab eo, Gallorũꝗ experiri amicitiã cõſtituit: nactusꝗ hãc lega
tionis occaſionẽ, ad Carolum trãſijt. Rex Triuultium, quòd erat
honeſto loco natus, reiꝗ militaris peritia laudatus, & in honore
apud Ferdinandũ fuerat, humaniſsime excepit: maioriꝗ ſtipẽdio
cõditioneꝗ apud ſe turmis præpoſitũ militarib. habuit. Hunc alij
falſo ſcribunt comitem initio fuiſſe Regi huius expeditionis. Impe
trauit is ut Virgilio Vrſino & Nicolao Petiliano fide publica No
lam abire liceret, aut in alia pacata loca. Erat Capuæ multitudo in
ſolẽs belli, diuturnitate pacis. Itaꝗ intellecta Triuultij ad Gallum
profectione,

profectione, ingens undiq; clamor, direptaq; Regis pecunia & ſupellectili, militibus ſine imperio hac atq; illac curſitantibus; de deditione legatos mittunt ad Regem. Petulianus interea & Virgilius Vrſinus Nolam peruenerūt, ibiq; poſt aliquot dies, etſi fide publica eis cautum eſſet, aſſeruati tamen ſunt diligentius quàm conditio eorum requireret, & ſane egreſsi fuerant è Capua, nondum diplomate Regio quo fide Regia abirent, miſſo. Turmasq; equitū plures miſſas ab eis ad Ferdinandum perueniſſe conſtabat: quæ cauſa fuit, ut Galli fœdere ſe teneri non dicerēt, cum ab his ipſis fœderis leges uiolatæ eſſent: nec tamen unquam in uincula coniecti ſunt, quod quoſdam odio Gallorum prodidiſſe uidemus. Ita Capua recepta eſt, miſſo à Rege Aubignio (quem Scoti Stuardū uocant) & Proſpero Columna. Ferdinandus Neapolim rediens ciues cœpit benigniſsime alloqui, appellare ſingulos, maiorum ſuorum merita, ſi qua erant, referre: contumelias ſi quibus illatæ erāt, meritorum cumulo ſarcire ſe in poſterum decreuiſſe: omniaq; ipſe agebat, agitabatq; quæ confirmandis animis placandisq; conferrent. Sed Capuæ deditione audita cùm ex urbe abijſſet, à ciuibus excluſus in arcem ſe contulit: eoq; inſpectante, ciues ſtabulum eius ſupellectilemq; ornatiſsimam locis proximis repoſitam diripuerunt, cum prius tumultuoſe & Iudæorum & Hiſpanorum, quos ſectam Mahometis ſequi aiebāt, bona diripuiſſent. Vix è Capua Carolus prodierat, cum è Neapoli adſunt legati qui ſe omnia quę imperaret facturos receperunt. Præmiſsi ſunt Neapolim Petrus Rohannus Gienſis Tribunus militaris, Stephanus Verſius Belcarienſis Suppræfectus, profectionis Rei author, & Ioannes Ganaius pręſes Pariſiēſis: Hi publice Regio nomine immunitates ciuiū cōfirmarūt. Paulo poſt deiecta parte mœniū, in urbem Rex ingreſſus eſt triumphantis habitu. Ingredientem ciues nullo non honorum genere exceperunt. A ciuibus, fœminis, adoleſcentibus, ſacerdotibus: omniq; ordine publice priuatimq; ſigna lętitiæ præbita ſunt. Adfuerunt præſto Regi Caraffæ multis ab Aragonijs ditati opibus, Traianus Troiæ ac Montellæ Regulus, Celanenſis, Grauinienſis, Merillanienſis. Ferdinādus diffiſus Germanis, quos acerſerat, cum Hiſpano tumultuātibus, ex arce Siciliā petijt, relicto tuendæ arci Alphonſo Daualo cum quibuſdam Germanis: diademaq; Regium magnifice Rex ſuſcepit. Hinc Oui arcem admotis machinis, cum ex arce alia Daualus abijſſet, quatere cœpit. Fredericus Alphōſi frater locum medium colloquio petijt: uelle ſeſe cum Rege de cōditionib. agere. Huic fide publica permiſſum, ad Regē ut ueniret. ubi ad Regē uenit, primùm penſionē regni nomine quæ Regno non inferior uidebatur, offert: ſequēti die rediens, maiorem partē regni tātum: partē Ferdinando nepoti, Regio nomine tituloq; poſsidendā petebat; ſibiq; ſaluas res ſuas & uxoris.

Huic Rex & nepoti in Gallia ditionem opulentam, quã ducatus nomine impertiret, obtulit. Multa à Federico dicta ſunt, cur eas cõditiones reſpueret. Itaq; colloquio finitò ſe ad ſuas munitiones re infecta recepit, cũ prius & Thomã Fregoſum & Daualũ initio tumultus arcibus præpoſuiſſet, & Antoniũ Picciolũ Conſentinum. Fama eſt Suzannã Borboniã neptem oblatam à Rege, Ferdinãdo nupturã cum quinquaginta millib. nummorũ aureorũ, annuis uectigalibus, totidẽ ſi in Calliã ueniret. Neapoli degẽs Carolus, proceres regi in uerba ſua iurare uoluit: eosq; poſtea in fidem recepit. Decurſus quoq; militares habiti. Auditæ ciuium querelæ, tributorum antea exactorũ magnitudinẽ minui petentium. Id Rex libẽter audijt tributaq; quantũ eis uiſum eſt, minuit, ob id à populo & laudatus & amatus. Loca deinde uicina adijt: atq; iterũ Neapolim rediẽs magnificè exceptus eſt, cum antea ob arces nõ deditas, honores delatos repudiaſſet. Nec tamen nobilitas Neapolitana diutius Regis aduẽtu læta ta eſt, cum difficiles eis ad Regẽ paterẽt aditus: rariq; eſſent qui aut præmio eſſent affecti, aut magiſtratibus prioribus ſtipendijſue, quibus Aragonijs militabant, non deiecti. Cumq; nobiles, qui magno ſuo incõmodo Andagauenſiũ olim partes ſecuti erãt, præmia expectarint, repente edicto Regio præciſa eis eſt ſpes, eoq; cõfirmatę poſseſsiones eorũ qui Aragonenſium partes tutati fuerant: cuius edicti cauſam ſuſtinebãt aulici aliquot nobiles: re quidẽ uera nemo dubitabat, quin Ioãnes Ganaius pręſes Pariſienſis & iuris pręfectus, edictum id mercenariũ ad ſuum quęſtũ nũdinationẽq; finxiſſet, quod tamẽ prius propoſitũ fuerat in Gratiam tãtum Maruiani Comitis, eiq; ſoli datũ. Ita iritati multorũ animi, qui nato quæſtuoſiſsimo illo edicto ius ſuũ retinere ſe poſſe diffidebãt. Qui ex hoſtibus in arce Oui erãt, poſt longã obſidionẽ pacti, niſi intra octauum diem auxilia adeſſent, facerẽt deditionẽ, octauo die lapſo arce Regi ceſſerunt. Ferdinãdus in Iſchiam ſeceſsit, ægre admiſſus, nec niſi poſt multas ſuorũ preces ab eo qui loco præerat. eo factũ eſt, ut intromiſſus, & illũ & filium pugione arrepto necarit: inde trãſijt, cuſtodia alij tributa. Eodemq; tẽpore Petrus Medices Neapolim ueniẽs, humaniſsime à Rege exceptus eſt. Columnẽſes, Fũdos cũ multis oppidis à Rege acceperũt. Alienatis omnium animis à Ferdinando, Calabriã, Appuliã, Lucaniã per præfectos mox maiore ex parte recepit. Aubignium, Gallicãq; nobilitatẽ multis etiam donauit. Stephanũ Verſium profectionis authorem Nolæ imperio donat: ad eumq; res omnes referri uoluit, pulſo Vrſo Vrſino uetere Comite Nolæ, ac Duce Aſculi. Cum eſſet Carolus Neapoli, frequentes ad eũ rumores afferebantur, literiſq; itẽ Philippi Cominij, ſui apud Venetos legati, certior fiebat, Alexandrũ Põtificem Romanum, Maximilianum Cęſarẽ, Ferdinãdum Hiſpaniæ Regem, Venetos, Ludouicũ

Sfortiam

Sfortiam, contra ſe cõiurare. Coniurandi hæ erãt cauſæ: Primùm quòd uererentur Alexander, Veneti, & Sfortia, ne pacato regno Neapolitano, in ſe Rex uerteret uires ſuas: deinde quòd Gallos nolebant iuueteraſcere in Italia: tum quòd uicini Regis calamitas cautiores eos reddebat: ſolicitabantq́; illi Cæſarẽ in eaſdẽ partes, negantes ſaluo Rege, res Imperij tutas. Maximilianũ ueteres inimicitiæ & dolor repudiatæ filiæ incitant: Alexander contumeliæ dum Rex Romam adijt illatæ monetur: Sfortiam ſpes munitorũ aliquot locorum, quę ex præſidio tenebat, recipiendorum, impellit: Ferdinandus iam ſe, Rege Italiam ingreſſo, ubi Ruſcinonẽ adeptus eſt, totum ab eius amicitia auerterat. atq; ubi è Roma ſciuit Regem egreſſum, Antonium Fonſecam ad Regẽ caduceatorem mittit, qui doceret, Ferdinandum ſibi cõſanguinitate coniunctũ: proinde temperaret ab eius regno inuadendo: aliter futurum, ut cogeretur propinqui ulciſci iniurias. Hunc Carolus inſpectãte exercitu, hæcne eſſent fœdera cum eo inita? num illi profectionem indicatam? rogauit: idne electum tempus turbandi ſui conſilij? Ad quæ Fonſeca, niſi temperaret ab ea prouincia, futurum ait: ut ille propinquum tueretur. Cum interim Galli equites frendentes Fonſecam uelut uiolandæ pacis authorem, non caduceatorem, interimendum aiebãt, ille nihilominus fœderibus exhibitis, ſubſcriptis à Carolo & Ferdinando, ut erant ea chartis ſcripta, inſcidit, Regiq́; Ferdinandi nomine & amicitiam renuntiauit, & bellum indixit. Rex iactam aleam reſpondit; ſine ope Ferdinandi, ut cœpiſſet, iter ita ſe confecturum. Fonſeca poſtea caduceatoris munere egregie perfunctus, nihil nõ honorum in Regem contulit: audita eſſe ait à ſe uoces militum ſibi inſultantium: quid minus deceret quam uiolari maieſtatem legati ſacroſanctam? multaq́; alia prudenter locutus, multis à Rege muneribus receptis, dimiſſus eſt: paſſimq́; interdictum ne quis eum dicto aut facto uel leuiſſime læderet: cuſtodibusq́; datis in loca pacata perductus eſt. Ludouicus Sfortia, Aurelium Mediolani competitorem, iactasq́; in itinere ab aulicis in ſe uoces ſuſpicionum plenas, iuſtam ſibi eſſe fidei mutatę occaſionem iactabat: Pontifex liberum aditum Carolo datum, ut Neapoli mox recepta in Turcam duceret exercitum: Neapoli recepta, imminere Italiæ querebatur. Cautiores Veneti, qui tuendæ Italiæ fœdus contractum aiebant, ut non laceſſendi Regis gratia, ita, ſi ultro laceſſeret, ſeſe fœderatoſque tuendi. Erat Venetijs Regio nomine Philippus Cominius, multis præſidijs ingenij, induſtriæq́; munitus: ille in hominum uel ciuium uel aliorum legatorum corruptelis; ad ea quæ tacite inibantur fœdera eruenda, cognoſcendaque, mirandum in modum ſolers, atque aptus erat: quibus facere, dicere, in

eiuſmodi rebus hoſtiũ ut cõſilia nota haberet, ſciebat: induſtrijs q; ex familia ſua hominibus gratioſis undiq; tota urbe emiſsis, præmioq; & pollicitationibus multis captis, acutiſsime in urbe quid conſilij iniret legati Pontificis, Maximiliani, Sfortiæ, Ferdinãdi, indagare & odorari ſolebat. Hunc quodã die uenire ad ſe iubet Senatus Venetus. Venienti dux ei de ſentẽtia cõſilij pronũtiauit, fœdus ictum cũ Pontifice, Maximiliano, Ferdinando, & Sfortia. primum ob Turcæ arma imminentia Chriſtianis depellenda: deinde ob Italiæ defenſionẽ: poſtremo ob ſeſe ipſos tuendos: idq; eũ iuſſerunt ad Regem ſcribere. Cominius angi cœpit æſtuareq; dubitatione, paratiores eos eſſe exiſtimans, Germanosq; mox eis adfuturos. Quorum ſi auxilia Venetis pręſtò adfuiſſent, implicatũ oportebat omnino Regis eſſe reditũ. Vt autẽ ſunt Itali ad aliorũ odoranda cõſilia ſagaciſsimi, irritare cæperũt Cominiũ, ut expiſcarentur exprimerentq; ab irritato, ſi quid poſſent. At is ad ſe rediẽs ridenti ſimilis, id fœdus paucis ante diebus Regi ſe indicaſſe per literas ait: Regẽq; ſcripſiſſe, id ſe reſcijſſe antequã ẽ Roma diſcederet: atq; ea ille perbelle ſimulabat, cùm tamẽ agitari tantũ fœdera, non inita eſſe ſciſſet. Ille eos cõmotos uidens, addidit, ad Ludouicum Aureliũ, ut Aſtam ualido præſidio teneret, & Petrũ Borboniũ Galliæ Prætorẽ, ut omnia quæ opus eſſet, pararet ad ea fœdera turbãda, ſe ſcripſiſſe. Erant & Venetijs Ferdinãdi Neapolitani legati: moxq; paſsim apud reliquorũ principũ legatos, ſigna undiq; letitię exhibita ſunt. Et tamẽ ipſi ad Cominij ſimulationẽ ita ingemuerũt, ut frontẽ ferire uiſi ſint: omnium enim maxime grauiter ferũt, cõſiliorũ ſecretas machinationes diuulgari, iactantes uetus illud militaris hominis, & timẽtes, Bene cõſultum ſurripitur ſæpiſſime. Quippe ſi reſciuere inimici cõſilium tuum, tibi tuopte cõſilio occludunt linguam, & conſtringunt manus: atq; eadẽ quæ illis uoluiſti facere, faciunt tibi. hac certe parte Gallorum leuitatẽ uincẽtes, cùm animi magnitudine inferiores ſint: qui quę audierunt, male cõtinent, palàmq; etiam cõſilia ſua efferunt. Interea augebãtur hoſtium copiæ: incertisq; rumorib. iactabatur, pluſquã quinquaginta millia peditum, equitumq; ab eis ſcripta. Tãtum numerum coactum Rex nõ putabat. At ubi ſuper alium alius idem omnes nunciantes ſuperuenerunt, facta fides: parariq; cœpta ſunt & quæ ad Neapolim tuendã, & quæ ad reditum ſufficerẽt. Pręſidia multis locis impoſita ſunt. Gilbertus Borbonius, Mompenſerius Prætor & Legatus Regius, Proregis addito nomine, arci Neapolitanæ cum præſidio Claudius, Rabandaigeus & Lauernadeus relictus, Aubignius Calabriæ: Georgius ſuillus Tarenti: Iulianus Lotaringus, Gabriel Monfalcous, Gulielmus Villanouanus, Gratianus Guerrius, & plures alij hac atque illac locis munitis cum pręſidio relicti ſunt, parũ tamẽ pecuniaria re inſtructi. Sparrum

rum (Leſparrum uocant ab oppidulo & arce in Aquitania eiuſdē nominis) aiunt Apulię præpoſitū, ab eoq́ edicto Regio impetratum, ut debitoribus ad credita ſoluenda bienniū daretur. Aquilanis prępoſitus diœceſes Vitriacus Robertus Lenocurtius, Oſtię Nauarrus aut Nauarris uicinus, qui & Cantabri dicūtur, Menaldus Guerrus: Brutijs præpoſitus Franciſcus Perſius ex Alegreorum familia. Sparrū narrant cum ex Brūduſio prodiens ſæpe qui Meſſanæ pro Aragonio erat, ad pugnam eliceret, ubi ſæpe fuiſſet ſuperior, tandē cum quingentis hoſtes peditibus Meſſana egreſſos: at multos in inſidijs diſpoſitos. Prodijſſe Sparrū cū Gallis ducentis: pulſosq́ mox hoſtes donec peruētum ſit ad locū inſidiarū: tum demū impetu facto undiq́ circūuentos Gallos, multosq́ cæſos, captū Sparrū. Nec deſunt qui eodē tempore Rhegium à Ferdinando ducētis Gallis cæſis, receptū uelint: Crotonē expugnatā Tarentinos ſeditione cōcuſſos, cum plebs Aragonios, nobilitas Gallos tueretur: Ferdinandū edicto propoſito cōdonaſſe omnia nobilitati: Aquilanos tamē nūquā à Gallis deſciuiſſe: id nos preſſius ſuo loco exequemur: quindecim tantū cōſtat ad regnū tuendum hominū millia reducta. Ipſe cum decē aut nouem hominum millibus quàm poteſt celerrimè ad iter ſe accingit. Ferūt Venetorum aliorūq́ nomine legationē miſſam ad Regē: hos hanc habuiſſe ſummā orationis. Aut Ferdinando regnū redderet, aut in Turcam duceret copias. Regem reſpōdiſſe, ſolitos Gallos in Turcas ſine eorū hortatu bella capeſſere, & ſuis auſpicijs gerere. Regnum Neapolitanū maioribus ſuis ademptū per uim. Ac tum in irā prorupiſſe, ſubiunxiſſeq́: Bellos uero Venetos cōſultores, qui architecti ſint totius huius tumultus, quorū ſit negotiationes potius quā bella exercere: futurū ut breui catenam illam quā adamātinam iactitent: diſſoluat. Pōtificem hanc telā texuiſſe: Venetos diduxiſſe: filum eos neuiſſe, & opus eſſe acu: daturūq́ ſe operam, ut neq́ tantum eis ſuperſit otij ad Gallica negotia curanda, neq́ bello potius quàm negationibus ſe immiſcendi. Id ſi uerū eſt, mirū eſt Baizetis Turcarum imperatoris legatum Venetijs eo tempore fuiſſe, fœderis etiam huius non ignarum, cùm Turcæ Gallorū arma maximè uererentur: etſi Zezymo extincto maxima cura liberati ſunt, ſūma nequitia Alexandri Pontificis, qui pecunia accepta Zezymū ueneno corruptum Carolo dederit. Sunt qui narrent, petitam pecuniam præſentem à Rege à Neapolitanis remiſſa maiore parte, modò præſentem numerarent. petitos obſides ducentos, qui in Galliam Regem ſequerentur: quod non ſit impetratum. Eſt & ob Gallorum rapinas coniuratum in Regem: ſed de duobus, detectis inſidijs ſupplicium ſumptum. Camillus cum è Brunduſio in Gallos ſæpe erumpens leuibus prælijs eos fatigaſſet, tandē cæſus eſt. Hunc & Camillum Pandonecum uocant. Eodemq́ tēpore con

ſtat Virgilium Vrſinũ & Petilianũ, qui iuſtone bello capti eſſent dubitabatur, Regia ſententia liberatos. Hos tamen Rex uſq; ad Aſtam ſecum uolebat educere, ne quid interea molirentur. Pontificem audiebat Rex ex urbe ueteri, loco diffidentẽ, Peruſiam contendiſſe. Poſt hac paratis omnibus, e Neapoli in Galliam rediẽs. Romam peruenit: miſitq; ad Pontificem qui in urbem ueterem cõfugerat, qui ad colloquium eum elicerent: nec tamen potuit iritatũ eius animum mollire: Inde Viterbium. Cùm autem Tuſcanellæ ciues in gratiam Pontificis Gallos aditu prohiberẽt, Carolus ſcalas aliaq; ad oppugnationem neceſſaria expediri iubet: docuitq; Gallos, optimum eſſe, oppiduli huius exẽplo, reliquis inferre timorẽ, ita poſt hac infeſta minimè futura itinera: uſusq; alacri militũ opera, multis cæſis, poſt horam tertiam expugnauit oppidum: præda militibus conceſſa eſt. Alij obnegatum cõmeatũ oppugnatũ oppidum aiunt: Lauretanosq; & Phaliſcos eandem expertos cladem: Sunt etiam qui eam oppugnationem Carolo prius Romam petẽte factam ſcribant: Potiores ſunt apud me authores qui in reditu Tuſcanellam expugnatã aiunt. Narrant uerò Guyſium Lotaringum cum ſuis urbe excluſum, impetum in urbem feciſſe, ubi pluſquàm ducenti ſint cæſi è ſuis. Sequenti die multis necatis, urbe pòtitum, Rege tamen grauiter id ferente. Inde Senas adijt: ibiq; à Philippo Cominio certior factus eſt de hoſtium numero. Hic non deſtitit monere Regem, celeritatẽ adhiberet ad iter conficiendũ, priuſquàm hoſtium copiæ conuenirent, nec ſuos diſtraheret, prudẽs conſilium: ſed iuuenem Principem, iuuenes conſultores magis delectabant. Eo loco Rex ſuos ad concilium conuocat: oſtendit Florentinos offerre triginta millia nummûm aureorum, quæ prius ſint polliciti mutuo daturos: præterea ſeptuaginta millia: equitum mille, peditum duo millia, unà cum Franciſco Cicco ire militaris peritiſsimo, qui Regem donec in Galliã redierit, ſequatur, tantũ petere munita loca, quæ ab ipſis, Petroue Medice precariò accepiſſet, pręſidijs deductis redderet. Ludouicus Tremolius & Ioannes Iacobus Triuultius, & plures alijs, cõditiones à Florẽtinis latas, recipiendas cõtendunt, Liburno tantũ retento. diſſentit Ludouicus Lignius Luxemburgus. In Piſanorũ gratiã, Regis cõſenſu, hæc ſentẽtia probata eſt, repudiatis optimis Florẽtinorũ cõditionib. Refertur etiã ad conſiliũ, petẽtibus Senẽſibus, ſint ne hi in fidẽ Regis recipiẽdi, præſidiũq; eis relinquendũ. Miſſos hos faciendos Triuultius, Cominius, & pleriq; alij aiebãt: accelerandũ Regi iter, ut primò quoq; die Aſtam perueniret, antequam copię quas Veneti contrahebant, in unũ locũ coactæ, Gallos diſtraherent, & implicarent: diſperſos neque Regi utiles, neque ſibi ipſis pręſidio eſſe poſſe. Cùm in eam ſententiã omnes tranſijſſent, mutato conſilio, quòd Luxemburgo Senenſes ingentẽ pecuniam

pollicẽ

pollicebantur, urbisꝗ Præfectum uolebant, trecenti præſidio re-
licti ſunt, qui intra paucos menſes inde fugati ſunt. Deinde cōſum
ptis fruſtra aliquot diebus, Carolus iter Piſas facerec cœpit. Cùm
Piſas ueniſſet, Piſani Luxemburgum, Tremolium, alioſque ho
mines nobiliſsimos rogare cœperunt, ut qua hactenus fide & hu-
manitate Galli in Calamitoſos fuiſſent, ea in ſe eſſent: neue pate-
rentur iterum eos in Florentinorum miſeram ſeruitutem recidere.
Atq; eos quidem benignitas comitasꝗ Piſanorum, qua in eos uſi
erant antea, utebāturꝗ, & fortuna ita mouebat, ut hominū miſero
rum & ope non indignorum preces mouere debebant. Sed iuſiu-
randum à Rege Florentiæ præſtitum & Regem ipſum, & aulicos
plerosꝗ mouebat: ipſiꝗ Florētini, ubi aperte ea à Rege petere nō
audent, occultè cuniculis oppugnare Piſanorū libertatē cœperūt,
uocatis ad ſuas partes Gulielmo Briſſoneto Cardinali, Petro Ro-
hanno tribuno Gienſi, Ioanne Ganaio præſide, incertū præcibus
an prætio, an motis Reipublicæ utilitate. Ad hæc plebs gregarios
ipſos milites, cuſtodesꝗ & ſtipatores Regios deliniuerat, ut paſ-
ſim illi & Briſſoneto & Ganaio: ni ſentētiam mutarent, minitaren-
tur. Accidit ut quodā die Piſani multis ſtipati ex Gallica nobilita
te, ad Regē adirent: atq; ubi longa oratione pro libertate ad Re-
gem uſi eſſent, aculeos in Briſſonetū, Ganaiū, Gienſem inijcerent.
Ac Rex Piſanos abiectos excitauit, datā libertatē ſe adempturum
negans. Inuectus autem in audaciam eorū, qui homines de ſe opti
mè meritos apud ſe traducerēt: mox, ſed conſumptis fruſtra ſeptē
diebus, Robertū Entraguiū Piſis reliquit, Lignij cōſilio. Huic eti
am & quibuſdā alijs loca alia munita cū præſidio relicta ſunt, quę
illi fidē metientes utilitate, uelut addictione palàm propoſita ma
gna inde pecunia ſumpta diſtraxere. Deliberatū eſt an Genua ten-
tanda eſſet: negabant duces diſtrahēdas Regi copias: nec tamē fa
tigatus Rex, Iuliani Cardinalis Oſtienſis precibus, temperauit,
quin Genuā Philippum Sabaudianū mitteret, unà cum Claudio
Polignaco & Hugone Ambaſiano, cū aliquot equitibus & pediti
bus. Petrus Borbonius certior factus de Regis reditu, pręmiſerat
Genuā Ioānem Mioleniū, & Stephanū Neueſum cum octo myo-
paronibus. Hi excepti à Ludouico Fliſco & Ioāne Adurno, circa
Rapalam partim capti, partim fugati ſunt: ipſiꝗ Philippus Sabau
dianus & Iulianus Cardinalis & Hugo Ambaſianus, qui in ſubur
bia Genuæ peruenerāt, ſperātes ex ciuitate ad ſeditionē aptiſsima
motū aliquē: parum abfuit quin in manus uenirent hoſtium. Ad
Pontremulū hoſtes Regis iter impediebāt. Eò miſſus eſt Petrus
Gienſis Tribunus cum prima acie. Erant ibi in præſidio trecenti,
pro loci magnitudine ſatis inſtructi ad iter impediendum, atquè
his rebus quæ ad obſidionem ferendam opus erant. Super
ueniente Ioanne Iacobo Triuultio, qui multos ex his priuatā
familiari-

familiaritate notos habebat, factū eſt, ut ditionem faceret. Sed perincōmodè accidit, ut à Heluetiꝫ ciuibus aliquot pulſarentur, atq; illi cōtumeliæ impatientes ad arma cōcurrerent, uiolataq; lege deditionis, in oppidanos ſæuirent: caſtrum etiam oppugnaret, ut inde uix tandem Regis iuſſu ſubmoti ſint. Suadebat Triuultius ut Rex iactitaret, ſe ad Galeatio Mediolanenſem ditionem reſtituēdam, pueroq; conſeruandum imperiū, proficiſci: ac multos eo pacto ſibi adiuncturus putabatur. Id cōſilium uelut Maieſtate Gallica indignum Rex contempſit. Inde circa Alpes, Pontremulo uicinas, præmiſit Petrum Rohannū Gienſem cū prima acie: ipſe etiam ſuis ſummū iugū tenentibus, incipit Apenninuum ſcādere, ſequēte poſt terga Tremolio. Sed prius ob machinarum bellicarū ingētium molem, quæ ſumma difficultate trahebātur, propterea quod locus impeditiſsimus eſt ad iter faciendū, territus eſt: locoq; humili quinq; cōtinuos dies ſtatiua habuit: identidemq; de Germanorum Heluetiorumq; perfidia quærebatur, qui Pontremuli diripiēdi authores fuiſſent. Sed conſumpto commeatu, accidit ut Heluetiꝫ & Germani machinas perducendas depoſcerent, ſi tamen ſcelus id admiſſum Rex cōdonaret. Fatigatus Rex præcibus Tremoliꝫ, culpam hanc eis cōdonauit. Illi bini ſimul funibus adſtricti iunctiq;, atq; aliꝫ alios urgentes, recentesq; feſsis ſubmiſsi, adiunctis Gallicis equis, alacriter machinas perduxerunt. Proditum eſt Tremolium ipſum depoſitis ueſtibus, ut accederet reliquorū animos, cœpiſſe machinarū bellicarum pilas æneas, alacriterq; pertuliſſe. Ac iam Tarro proximi erat: Galliq; cum Rege die quinto Iuliꝫ, anno impertitæ nobis ſalutis à Deo Opt. Max. milleſimo quadringētesimo quinto & nonageſimo, peruenerūt ad uicum, cui Foronouo nomē eſt. Accidit ut duobus ante Regis aduentū diebus, quidam ex leui Venetorum equitatu occurrentes quadraginta Gallicis equitibus (quos Petrus Gienſis præmiſerat ad hoſtium caſtra ſpeculanda) facto equeſtri prælio ſecundo, quod numero ſuperiores erant, Gallos uſq; ad caſtra ſequerentur: cæſisq; aliquot, capita eorum ad Venetos referrēt: capto etiam Germano quodam, acri homine & prudenti. At Gienſis ueritus ne ſi hoſtes in ſe impetū facerent, impar eſſet, montem rurſus ſcādere cœpit, eius ſeſe anguſtiꝫs tutatus. Cōſederant hoſtes in Parmenſi agro ad Tarrū. Principes tanti exercitus fuere Franciſcus Gonzaga Mantuæ Regulus, Franciſcus Seuerinas Sfortiæ nomine, Lucas Piſanus & Melchior Triuiſianus legati Venetorum. Seuerinas producto Germano, qui nuper captus fuerat, numerum ab eo petiꝫt eorum qui Gienſem ſecuti erant. Ille prudenter auxit numerum, remiſſoq; captiuo ad Gonzagam deliberare cœperunt de Gienſi opprimēdo. Gōzaga cùm numerū à Germano ementitum pro uero haberet, negauit tutò poſſe deleri Gienſem: Triuiſianoq; & Piſano idem

ſentien-

ſentientibus, cum nōdum coactas dicerent omnes copias, dilatū eſt id conſilium Seuerinatis, qui confingi à captiuo numerum diceret: & ſane nullo negotio Gienſis deleri potuit, ni paruo momēto deterriti hoſtes caſtris ſe continuiſſent. Sequēti die, antequam milites educeret in aciem, Rex eos hortatus eſt breui oratione, in hunc modum. Si, quam alacritatē hactenus in propulſandis hoſtium iniurijs oſtēdiſtis, eandem retinetis, certā iam uobis ſpōdeo uictoriam, milites. Enimuero quin retineatis neq; mihi unquā dubium fuit, neque magnitudo animi ueſtri multis magniſq; rebus perſpecta, uereri ſinit. Cum eis hoſtibus res nobis eſt, quorū ſi nūquam uires experti eſſemus, hærendum nobis forte eſſet: iactitare enim & militaris peritiam, & proauos magno faſtu ſoliti ſunt. At quo magis facta dictis potiora ſunt, eo toto hoc itinere ſuperatos à nobis meminiſtis. Si Neapolitanū principatum, quem ſe nobis hoc prælio adempturum putant, retenturi demum eſſemus, ſatis equidem ampla eſſent operæpretia. Nunc depulſis hoſtibus, & ille fixus manebit: & quicquid Veneti tot inpoſturis uerſutijſq; partum habent, in noſtram forte uenturum eſt poteſtatem. Equidem cùm tota hac peregrinatione noſtra Neapolitana, ut hoſpites amiciſsimi undiq; exciperemur, nullū pretium tanti itineris uigilarumue referre uos angebat. Veniebat enim in mentē, prçmio excitari magnorū etiam uirorū animos: nūc uerò illuxit dies: qua ſpoliatis ditiſsmis, ſed inertiſsimis hoſtibus, digna tandē tot laboribus præmia recipiatis. Nec quàm multi hoſtes in nos irruere dicantur, anxiæ quæſieritis. Sæpe multitudo ipſa mole ſua corruit. Totæ illæ copiæ ex inertiſsimis hominibus coactæ ſunt, qui languidi uino, confecti cibo, debilitati ſtupris, eructare ſermonibus ſuis cædem noſtram audent: ſed pœnas iamdudum perfidiæ inertiæq; debitas, hodie recepturi ſunt. Nobis adſunt Heluetij fideliſsimi ſocij, equites expeditiſsimi, machinæ bellicæ inſtructiſsimæ. Quòd ſi, quam fremitus iſte ueſter alacritatem oſtendit, eandem retinetis, uicimus milites: atq; ita uicimus, ut hic dies in poſterū & Gallicū nomen hoſtibus formidoloſum redditurus ſit: & nos poſthac à talibus eorū cōiurationibus liberaturus. Succlamatū eſt, & frequenter à militibus, fœlicibus auſpicijs in pugnā prodiret: futurū ut per hoſtiū cadauera uiam aperirent. His dictis inſtructa eſt acies. Siniſtrum cornu Petro Rohanno Gienſi Tribuno militari, & Ioanni Iacobo Triuultio datū eſt, adiuncto etiam Ioanne Chabaneo Palicio: parūq; abfuit, quin Ioānes Fuxeus Narbonæ Regulus & Guyſius, dum de ordinibus prius ducendis certant in apertum certamen loco iniquiſsimo uenerint: ſed hæc ægre tandem à Gienſi ſopita ſunt, Ioanne dextro cornui præfecto. Deinde aderant Heluetij ad hominum duo millia, quos Niuernenſes, Gilbertus Cleuēſis, & Antouius Baſſeius, unus è Burgundiç no-

bilitate diœcetes Diuionenſis, Ludouicusq́ Lornayus, magnus Reginæ præguſtator, in certos numeros diſtributos ducebant. Aderant eo loco tormēta bellica, ductoribus Vido Louero (quē & Guydonem Loſetium uocant) & Ioanne Grangio. Mediæ aciei Rex ipſe præerat, equo inſigni (quem dono acceperat à Carolo Sabaudiano monoculum) uectus: lorica eleganter uarieq́ contexta paludamentoq́ militari ornatus. Eadem arma eundemq́ amiculum uoluntate Regis ſumpſere Ludouicus Lignius Luxēburgus, Pienneus, Mattheus Spurius, Borbonius, Boneuallius, Adrianus Mombronus, cui Archiaco cognomē: Galiothus Ienolacus aliiq́ aliquot ex Gallica nobilitate florentes ætate, & uirium robore inſignes: eoſq́ circa ſe Rex eo die habere uoluit. Dextrū cornu tenebat Ludouicus Tremolius unà cum Ioanne Fuxeo & Roberto Fricineſello, Hiq́ eo ordine & alacritate prodibant, ut in prædā non prælium profecturi uiderentur. Rex pluſquam quadringentos ex equitibus ſtipatoribus ſuis, relictis equis, primę aciei adiunxit. Proditum eſt nefando præmio accenſos hoſtes in Regem, pollicitis centum nummūm aureorum millibus ei qui, caput Regis retuliſſet. Sed & Epirotas aut Albano auxilij ſpem præcidiſſe Sfortiæ, niſi is prius polliceretur ultra ſtipendia, & ſingulis menſibus nummum aureum, & pro capitibus ſingulis Gallorum contoclatis alterum nummum aureum, idq́ eum pollicitum. Veneti quoq́ inſtruunt aciem. Præſidio caſtris non leuem numerum relinquunt. Franciſcus Seuerinas cum parte equitatus peditatusq́ ad Gienſem primamq́ aciē debellandam cum Ioanne Bentiuolo miſſus eſt. Franciſcus Gonzaga cum flore equitum peditumq́ in Regem proruit: à ſiniſtra Antonius Vrbinas cum delecta manu equitum, iuſſu Gonzagę lente ſequebatur, ut cum propius eſſet acceſſum ordineſq́ perturbati, ab latere aperte Gallos aggrederetur, ſed non niſi ſigno prius dato. Erant in hoſtium exercitu quinquaginta millia peditum, atq́ equitum, Regi uix octo millia aut equitum, aut peditum. qui maiorem numerum addunt, decem millia adfuiſſe uolunt. In ipſo procinctu cum nondum ad iactum teli uentum eſſet, Philippus Cominius, & Gulielmus Briſſonetus Cardinalis, cū hoſtibus de fœderibus agebant. Lucas Piſanus & Rodolphus Gonzaga, quando Rex liberum tantū trāſitum peteret, non denegandum cenſebāt. Franciſcus Gōzaga & Melchior Triuiſianus diſſentiebant. Aciam dextero Tarro Galli proceſſerant cum machinæ bellicæ primùm à Gallis in Venetos, deinde etiam à Venetis in Gallos emiſſæ ſunt, paruo utrinq́ incōmodo. Tum demū hortante Gonzaga, cùm hoſtes undiq́ procurriſſent, tripli ci undiq́ alueo ad ulteriorem ripam cōtentebant. Iam prima acies ita proceſſerat, ut Rex hoſtes in ſe irruentes intuitus, coactus ſit auertere uultum à prima acie uertereq́ ad hoſtes, accedereq́ ad ex-

tremam

tremam aciem. Gõzaga cum delecta manu equitũ procurrere cœpit. alijq; turmatim in Gallos inuehi acriterq; inſtare. Horum aduentu qui à frequenti equitatu circuibantur, paulùm loco ceſſerunt Galli. At mox ſimul connixi magno impetu in hoſtes concurrerunt, certatumq; eſt aliquantulum acriter: ſed proruentibus à ſiniſtra Gallicis equitibus, à latereq; undique in hoſtes inuectis, non tulerunt Gallorum impetum. At mox incitati fuga, alij in caſtra, alij longius profugerunt: multum contulit ad uictoriam Gallis leuis hoſtium equitatus, qui cùm à tergo Gallos inuadere debuiſſet, plauſtris aliquot muliſue confectis, quibus uehebantur impedimenta, prædæ ſpe ducti, in ea impetum fecerunt: qui & ipſi poſteaquam receptui cecinit Gonzaga, trepidantes, dum ſe ad ſuos recipiunt, conciſi ſunt. Seuerinas etiam Gienſem adortus, uix dum abiectis haſtis, non tulit Gallorum impetum: urgentibúsque Heluetijs, ſagittarijsq; Scotis & Aquitanicis, loco pulſi pedites, multis cæſis, uniuerſis mox terga uerterunt. Gienſis ſuos ne ſequerentur prohibuit, ignarus quo ſtatu Regis res eſſent. Sed qui Regi proximi erant equites, inſugientes hoſtes ita inuecti ſunt, ut eos uſq; ad caſtra ſequerentur. Hos Rex ſequi noluit: ſolusq;, cum ſui fugientibus inſtarent, unà cum Antonio Ambuſio cubiculario ſuo, paucisq; alijs relictus eſt. Id Gonzaga intuitus, qui ſigna ſuorum fugientium nunc manu prehendebat, nunc eos acerbis uocibus inceſſebat, conſiſtere aliquot ex his iubet, ipſeq; in Regem rurſus proruens, æquare pugnam uidebatur. Sed & Rege acriter dimicante, & Gallis aliquot occurentibus, rurſus in fugam hoſtes uerſi ſunt. Ac tum ſuadentibus ſuis, cum Gienſi Rex ſe coniunxit, qui ſi præteritis hoſtibus inſtitiſſet, facile eo die perterritos caſtris exuiſſet. Accidit ut medio in prælio huiuſce belli Nicolaus Petilianus & Virgilius Vrſinus, qui liberali cuſtodia à Rege aſſeruabantur, nacti occaſionem, ad hoſtes tranſirent: iamq; fugam meditantes, & caſtra relinquentes ab eo auerterint conſilio. Petilianus, etiamſi recentes aliquot cohortes prælium renouarent, uictoriam certam ſpondebat. Sed ita conſternati erant eorum animi, ut nihil minus, quam de prælio cogitarent. Virgilius Vrſinus in domum ſecedens uicinam, Gallis deinceps fidelis futurus eſt. Hunc demùm ad Aſtam (ut æquum erat, & conuenerat) cum bona gratia à Rege dimiſſum alij aiunt. Ita Galli quo uoluerant trans Tarrum progreſsi ſunt. Cæſi ex hoſtibus peditum duo millia, equites mille: ſubmerſi tantundem. Impedimenta Gallica dum bellum ferueret, direpta. Mathæus Spurius Borbonius captus non longe à Rege, móxque pecunia Regia liberatus. Clades Italicorum principum, qui in Regem irruerant, morte inſignis. Nam Bernardum forte Brachium. Io-

annem Picininum, Rodolphum Gonzagam, Rainutium Farneſium, Antonium Scarampam, Guydum Gonzagam, Ioannem Mariam, Galeotum Gazoldum, Theophilum Poetam, Rubertum Bagnum, Vincentium Corſum, Aſcanium Martinengum, Robertum Stroſium, Alexandrum Beraldum Patauinum, Petrum Mafeum Veronenſem, Bernardinum Sanctouitalem, Ioannem Georgium Colornum, Galeatium Corregium, alióſque pleroſque nobiliſſimos principes deſideratos cõſtat: Vulneratos Hannibalem Bentiuolum, Gilbertum Carpenſem, Galeotũ Mirandulanum, Antonium Palauicinum, Bernardum Montonum. Totóque eo certamine & pluiſſe, & cælum atrum, ob ingentes tonitrus, fuiſſe certum eſt. Mirum eſt Italicos aliquot ſcriptores in re tam recenti, cui multi hodie uiuentes adhuc interfuerunt, uictoriam ad Venetos pertrahere uoluiſſe: triumphos Gonzagæ ceciniſſe: huic uni acceptam Italiæ libertatem retuliſſe, quaſi Carolus animo Italiam omnem inuaſiſſet. Rex quo loco prælium commiſſum erat, cænauit: curatiſquè corporibus militum, pernoctaſſe eum quidam eodem loco uolunt: alij, pauló altius caſtra tranſlata: ubi ſaucios Rex ipſe inuiſens comiterquè appellans, maxime recreauit: ſed cum caſtra hoſtiũ uiſerentur ad bellum inſtructiſſima, deliberatum eſt an renouato prælio impetus in ea faciendus eſſet. Iacobus Triuultius, Franciſcus Ciccius, Camillus Vitellius Itali rei militaris peritiſsimi, ſequendos hoſtes decernebant: inde Parmam: mox Mediolanum in Gallorum uenturum poteſtatem. Luxemburgus, Fuxeus, Gienſis quieſcendum Regi ſuaſerunt, eámque ſententiam Rege ſecuto, excubiarum obeundarum manus Heluetijs datum, ſane quàm libenter id in ſe recipientibus: totaque nocte ignibus factis clangoribuſquè buccinarum, non leuiter hoſtes terruerunt, unde à Rege ſequenti die trecentis nummis aureis donati ſunt: eoquè loco & Regi & proceribus Gallicis Italicisque, qui eum ſequebantur, attenuato uictu utendum neceſſarió fuit, cùm Regi panis uix ſecundarius, reliquis uix ater adeſſet: ut nec reliquis aliquot diebus, quibus ad Aſtam peruenit. Sed hac parte nullius unquam expoſtulationes auditæ ſunt, eo illi erant in Regem animo, extrema ut pati mallent, quàm hiſce de rebus querelas ad eum peruenire, quem ipſum ſeruire etiam tempori uidebant. Poſt pugnam, biduo de inducijs paciſque conditionibus utrinque actum eſt. Tertio die, inſtructa acie, hora una, antequam illuceſceret, inde Rex profectus eſt: eoque die parum conſequi hoſtes potuere, ob Tarrum mole undarum uaſtiorem eadem nocte redditum: parumque certi duces itinerumue exploratores Gallis aderant,

rant, quæ cauſa fuit, ut penè imprudentia inſigne facinus admiſſum ſit. Triuultio erat uexillum album, non diſsimile ei quod geſtari uiderant Galli à Gonzagæ ſignifero. Erat eo die præmiſſa prima acies cum Triuultio impedimentis machinisq́ue: reliqui cum Rege ſequebantur inſtructi intentiq́ue. Ac primùm, quoniam prima acies uia militari proceſſerat, ultima deuio itinere paululum ex uia aperta deflexerat, conſpecto etiam uexillo albo, poſtquam haud procul inter ſe fuère, ſtrepitu uelut hoſtes properarent, prima acies extremæ metum, ſimul & tumultum facere: ac penè parum abfuiſſet quin concurriſſent, ni utrinque præmiſsi equites rem certius exploraſſent. Regem ſecutus eſt Franciſcus Seuerinas, cum toto leui equitatu. Sed trecentis Heluetijs unà cum paruulis machinis agmen claudentibus, ita perterriti ſunt, ut ne uni quidem ex toto Gallico exercitu, negocium faceſſere potuerint. Gonzaga cum toto exercitu ſequebatur. Sed primi diei mora illata, & aliquorum dierum fruſtra labore ſuſcepto, ſequendi finem fecit. Rex incolumis cum incolumi exercitu tandem Aſtam peruênit, niſi quòd pauci uigilijs fatigati, deſiderati ſunt: inter quos fuit Ioannes Andonius, auus eius qui poſtea ad Landriſium cæſus eſt. Interea ad Caietam tumultuatum eſt. multi Aragoniorum excitati pollicitationibus impetum in Gallos faciunt, cædunt, diripiunt, obtruncant Gallos, undique acclamantes Aragonium nomen. Neceſſe fuit Gallis in arcem ſe recipere. Admonent mox Verſium, & Pompeium Columnam, qui nondum ad Ferdinandum tranſierat, de oppidanorum inſolentia. Illi die ſacro Ioanni, mari in arcem ingreſsi prodeuntibus Gallis contuderunt oppidanorum ſuperbiam, multis necatis, multis quoque captis, & aduectis, inde cum mulieribus ad Neapolim, ut inde in Narbonenſem prouinciam mari ueherentur. Sed hos aiunt, dum Genuenſi claſsi occurrunt, ſolutos. Gallos proditum eſt, cùm Quadrata in Apulia eſſent pulſi, euocantibus oppidanis, necatis Aragonijs, urbe iterum potitos. Monopolim cùm Veneta claſsis cum Antonio Grimano appuliſſet, pulſa eſt à Gallico præſidio, cui præerat Prudentius Tranus, cum Georgio Duratio iuuene impigro, tandem tamen expugnata eſt. Primi qui mœnia aſcendêre, fuêre Lodarinus, & Matthæus Capellus: inde Matthæus Riſus, & Georgius Volſimontius, Petro è Bemborum familia prius cum aliquot alijs necato. captus Prudentius, reliqui elapſi ciues humaniſsime tractati. Pulignanum & Molam quoque recepêre. Sæpe tamen à Conuerſanis, ubi Duratius erat, pulſi, quibuſdam cæſis, in quibus fuit Gauinus, deploratus maximè à Venetis. Deſuillius, quem Suillium uocant, Tarento eos ſæpe expulit. Sunt qui ita

exacte hiſtoriam hanc Neapolitanam perſecuti ſunt, ut Ephemerides ediderint totius huius itineris. Nemo tamen diligentius quàm Andreas Vinea, cuius & opus Octauiano Pontifici Engoliſmenſium, ex falſa inſcriptione antea tributum, qui comes adfuit Carolo. Aliĳs diſplicuit ſcrutari omnia hæc & excutere moroſius, exemplo ueterum, quorum ſcripta legimus. Is & Monfortĳ à Gallis expugnati, & Montis Ioannis meminit. Addit, dum Rex è loco quem Florentinum uocant, ocreatus equos admitteret, impeditum iter Iudæi Iſacĳ precibus, hominis induſtrĳ, qui initiari uoluerit abluiq́;, Iudaiſmo ſpreto, ſacroſanctæ perſuaſionis noſtræ myſterĳs. Ita illum Rege patre luſtrico ſplendide ſalutari, aqua expiatum à Ioanne Darico Andegauenſium Pontifice, magnisq́; muneribus à Rege donatum. Meminit idem oppugnationis Montis Ioannis, ubi Oliuerĳ Coitiuĳ, quē & Talieburgum uocant, ab oppido eiuſdem nominis in Aquitania, ſpectata ſit induſtria, isq́; urbi præpoſitus, fanum Germani occupatū è Guyſio, ſed nulla hoſtium clade ait: in arce autem quam Ciuitatulam uocãt, poſt uariè machinis ſtrata mœnia, euocatos ait Gallos ad colloquium. Lignium & Gilibertū Cleueſem Neuerſium collocutos cū his, impetratasq́; ab hoſtibus uiginti quatuor horarū inducias. His lapſis acrius emiſſas machinas. Rurſus uocatos Gallos: fœdus ictum, niſi intra quartum diem ſubſidia ueniret, aut Ferdinandus copias eas educeret, quæ congredi poſſent cum Gallis: aut deditionem facerent ſaluis impedimentis, relictis tamen machinis omnibus: poſt eum diem factum deditionem. Oppugnatam deinde Oui arcem per multos dies, deditamq́; tandem ĳſdem conditionibus: arci præpoſitos Claudium Rabaudaigū & Carolū Lauerdacum. Narrat uerò omnium rerum copiam inuentam in Caſtro nouo, uix ut Lutetia ſuppeditare poſſet. Nam præter frumenti triticiq́; omnis generis, carnis ſuillæ, bouinæq́;, lucanicorum, panni aurei, argenti, ſerici, coccinei omnis coloris: holoſericæ, byſsinæ, ſubſericæ, undulatæ, Damaſcenæ, Attalicæ, polymitæ ueſtis, omniumque pretioſorum pannorum infinitum numerum inuentum. Aliquot præterea cubicula, ubi inerant ephippia, & quæ uulgo uocantur ſellæ equeſtres omnis generis. Aliquot ubi inerant conſcenſoria deſultoriaqúe equorum, quæ pedum ſuſtentacula dicuntur. Alia ubi frena & lupata, alia ubi parapleuridia, alia ubi phaleræ, alia ubi habenæ, alia ubi calcaria, alia ubi tela omnis generis & arma, quæ ſingula ſingulis eſſent locis cubiculisq́; collocata. Alia ubi arcus, alia ubi chordæ, alia ubi pilæ, ferreæq́; fiſtulæ: alia ubi enſes, alia ubi haſtæ, alia ubi ſulphurei apparatus omnis generis ad longiſsimam obſidionem ferendam aderant. Nam machinas bellicas omnis generis tãtas inuentas ait, eaq́; magnitudine, ut ægrè Galli tãtas tota

Italia

Italia inueniri poſſe, antea ſibi perſuaſiſſent. Refert idem filiam Traiani Melphitani principis ſæpiſsime inſtare, equitum fortiſsimorũ effuſiſsimis habenis concitato maxime equo cũ Gallis cõgreſſam magna omnium admiratione. Vaſa uerò aurea argenteaq́ tanta inuenta, facilè ut eorum ſplendore & Regiæ familiæ, domusq́ & Aureliȩ, Borboniæq́ domus, ſimul omnem coniunctum ſplendorem uincerent. Nam uaſorum murrhinorum, cryſtallorum, fictiliumq́, toreumatũ precioſorum, ſcyphorum ſigillatorum, uaſorum æreorum, ſtanneorum, plumbeorum abundantiam neminem ſatis poſſe enarrare, cum ſingulis uaſis, ut uitreis & fictibus & alijs ſuæ eſſent ſedes ampliſsimæ: ubi hinc eſcaria, hinc potoria, hinc uinaria, hinc aquaria, hinc olearia, hinc unguentaria, hinc pulmentaria & coquinaria ſummo eſſent ordine conſtituta, quæ referre frigidæ eſſet curioſitatis, quibus tamen admoneri poſſunt, qui circumfluunt omnibus copijs, atq́ in omnium rerum abundantia uiuunt, ne his fidant immodice, qui ſubitam fundatiſsimæ familiæ ruinam uideant. Quo die Tuſcanella à Guyſio Lotaringo direpta eſt, Regem ait certiorem factum de Leſparri Orualli captiuitate, cuius & nos ſupra meminimus ſub Sparri nomine, ut & Italici ſcriptores. Leſparrus uerò dicitur ab oppido & arce eiuſdem nominis ſita in Aquitania, in Medulorum finibus: & illi in nominibus Gallicis, & nos interdum in Italicis cæcutimus: quo magis uenia danda eſt eis, qui eadem in hac expeditione dum oppugnationem Gallicam referunt, ut diuerſa loca ſepararunt: ut & ijs qui pro Mazara Meſſanam, & Miſagnam uocauêre. Planè ita mutata ſunt, & locorum & urbium nomina, ut qui interdum uulgaribus, qui ueterum nominibus loca deſignent, utcunque ferendi potius quàm reprehendendi uideantur. Meminere & alij horum temporum ſcriptores crebro Ludouici Vindocinenſis è Vindocinenſium illuſtriſsima familia, cuius fideli opera Rex ſæpe uſus ſit, ut & alterius Vindocinenſium principis natu maioris, qui ad Vercellas è Gallia properârat, ſpe prælij capeſſendi dum obſidetur Aurelius ad Nouariam: quo defuncto, ingens fuit tota aula luctus. Sed hæc poſtea accidêre. Sæpe idem meminêre Alegrij, Cruſſolli, Bauldricourtij, Mauleoni, Miolantij, Priæ, Camincaſni, Chalmontij, Vergij, Hoſpitalis, Beaumontij, Liſlij, Palicij, Chadenerei, Cleriuſi, Claudij Chaſtrei, Daunoni, Toilei quem & uocant Ganaichum, Franciſci Salbei, Philippi Moulinij, Roberti ſeu Robineti Frainezelli, Iuliani Bourgueni, Caroli Brillaci, Ioannis Cardonij, Rigaldi Doreillej, Iehãnoti Tetrij, Briſei quẽ & Briſetũ uocãt: Chandioti, Caſtridruſij, Cheſnoi, Suſannei Broſſij, Tintauillȩ, Adami Malbrãchij, Valletani, Odeti Riberaci, Bourdilloſni, Balſaci, Lachauſi, Callioti Ienolaci, Caſtillõi, Edouilli. Perſequi uerò oĩa etiã minutiſsima, quȩ illi alijq́ in Ephemerides digeſſere,

indignū eſt grauitate hiſtoriæ quam inſtituimus, ne nobis uſu ueniat, quod L. Siſennæ erudiſsimi homines aiunt ueniſſe, ut in hiſtoria puerile quiddam conſectemur. Narrat Iacobus Sadoletus, quo tempore Carolus Rex adijt Italiam, certiſsimis nuntijs & literis allatum, Regem Turcarum metu perculſum & territum, relinquendam ſibi Epirum & Græciam putaſſe, præſidia ex oppidis omnibus deducta, copias omnes Bizantium fuiſſe reductas, claſſes ad Helleſpontum adeſſe iuſſas, cúm non iam de obſidione perferenda ulláue ratione reſiſtendi, ſed de fuga & traiectione cogitaret. Alexander Pontifex Romanus cachinnum dicitur ſuſtuliſſe in hanc Caroli expeditionem, quam calcari ligneo demum adhibito confectam aiebat. Is uero adhibetur delicatis hominibus equitantibus ipſa in urbe media in pace.

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Secundus.

HIC ſtatus rerum Gallicarum Rege è Neapoli reuerſo erat. Cæterùm per eos ipſos dies, quibus Rex Senenſium res rediens componebat, Anna Valeſia Caroli ſoror, & Petrus Borbonius Galliæ prætor literis Regis, certiores facti de hoſtium coniuratione redituq́ue, multum dubitabant nouáſne copias, ſubſidio Regi futuras occurſurasq́ue ei, ſcriberēt, cùm is, ut erat ætate florens contemnensq́ue hoſtium minas, nihil de his ad eos perſcripſiſſet. Vt rē totam accelerarent, effecerunt Philippi Cominij, Regij apud Venetos legati literę, quæ fluctuantes adhuc animo incertosq́ue de Venetorū apparatu excitârunt. Itaq́ue cùm Ludouicū etiam Sfortiam paratum uiderent ad Aſtā occupandam, delectu raptim per urbes Galliæ uicinas habito, cōtractisq́ue aliquot Heluetiorū millibus, & auxilijs, quæ præſto à Ludouico Salutiano miſſa adfuerāt: cū ſex peditum millibus, equitū mille quingentis eò miſſus eſt Ludouicus Valeſius Aureliorū princeps, eò ardentius eā prouinciā ſuſcipiens, quod Aſtam materno iure iamdudū poſsidebat, eripiq́ue ſibi nolebat: ſimul etiā faciliorē inde uiam ad Mediolano Sfortiā deijciendum ratus. Huic tamē diſerte denunciatum, ne nouas ipſe res moliretur: hoſtium demum conatibus obuiam iret: Regi tantū ad Ticinū amnem, ſi res paterentur, occurreret. Ludouicus cum comperiſſet ſoluta omnia apud hoſtes, occaſione rei bene gerēdę inductus, ſeu indignatus ſibi maioribusq́ue ſuis à Sfortia Mediolanenſem principatum occupari, inſtructo paratoq́ue exercitu prope Nouariā peruenit. Ciues Torniellorū factione impulſi expulſis Sfor-

tianis

tianis eum in urbem receperunt, Monferrati uidua enitente, auxiliaque ei ſubmittente, arcem poſt tertium diem recepere. Nec otioſus erat Sfortia: Galeatium Seuerinatem cum ualida peditum equitúmque manu Nonnum miſerat, locum Aſtæ proximum. Non intulerat commeatum in Nouariam Aurelius, eam que ualido præſidio tenebat. Vrgebat Nouaria recepta Sfortiam, Itaq; miſſo eò Seuerinate, cuius copias auxere & Germani à Maximiliano miſſi, & qui ex Italico exercitu è fuga Fornouenſi Parmam fugerant: adiuncto etiam fœderis iure Franciſco Gonzaga, cum Venetorum copijs, Nouariam obſidet. Ita commutato rerum ſtatu, ex obſeſſore Aurelius obſeſſus factus eſt. Galli fortiter obſidionem ferre: eruptionibusque crebris equitatum hoſtium fugare. Seuerinas machinas admotis urbem oppugnandam cenſebat: Gonzaga non inutilem proximam oppugnationem, ſed præcipitem periculo uictoriam futuram aiebat. Huius conſilium Veneti ſecuti, caſtra munierunt. aditus omnes quibus commeatus in urbem inferri poſſent, præduſerunt: ita non iam armis, ſed fame oppugnatur Aurelius. Erant qui ſuaderent Aurelio, præſidio in urbe relicto, cum non undique ſeptus eſſet, ipſe ad Regem perueniret, curaturus res ſuas commodius, Regemque ad auxilium ferendum excitaturus. Vidua Sabaudiana, cùm rex Thurium perueniſſet, per quæſtorem ſuum, adiuncto etiam Gulielmo Briſſoneto Cardinale, Regem ad bellum in Sfortiam parandum acuebat: decretúmque eſt, ut Antonius ſuppræfectus Diuionenſis ad Heluetios proficiſceretur, ualidas ex his copias educturus. Georgius etiam Ambaſianus, Rothomagenſium Pontifex, qui Aurelium ſecutus fuerat, ab eóque ad Regem ex urbe emiſſus, Gulielmi Briſſoneti promiſſis melius ſperare iuſſus, cùm is optimè Aurelio cuperet, monebat eum, obſidionem ferret: ſatis in tempore adfutura auxilia, ſed ad extremam famem iam obſeſſi peruenerant. Itaque Iacobus Caſtillonus cum delecta manu equitum, ingentem tritici comminuti numerum in Nouariam ferendum ſuſcepit: nec tamen tertia pars ſalua perlata eſt, inſidijs hoſtium undique occurrentium intercepta. Ipſi etiam Gallici equites magna ex parte aut cæſi aut fugati ſunt. Philippus Aurengius, qui rege reuerſo multum apud eum authoritate ualebat, reliquique omnes proceres Gallici, æquis conditionibus bello finem imponi uolebant, reditum ad ſuos parantes: quorum deſiderio Gallici milites, uenia nulla impetrata, è caſtris abibant. Ac eandem, qui ſuadebant auxilia Aurelio mittenda, æquis ipſi conditionibus rem tranſigi uolebant, modo ab hoſtibus prius hæc proponerentur. Sed fame homines interea conſumebantur; ut iam ad equos, mures, inſignia pretia, peruenirent.

Neceſſitas

Neceſsitas ipſa delicias eas,quibus certabatur ab utro prius ageretur de pace,Gallis extorſit: miſsiſq; literis , tentatæ ſunt pacis conditiones . Ab hoſtibus mox in caſtra Regia miſsi, qui palam ſuaderent pacem,ocultis mandatis diſſuaderent. Conuentum eſt,ut á Rege Philippus Aurengius, Petrus Rohannus Gienſis Tribunus militaris , Piennæus , Philippus Cominius : ab hoſtibus, Franciſcus Gōzaga, cum quibuſdam alijs, locum medium inter caſtra conuenirent. Sequenti die in Regia caſtra Frãciſcus Bernardinus, & quidam alij miſſi. Hi Nouariam occupatam repetebant : Galli Genuam ueluti Gallorum beneficiariam urbem petebant. Tandem fruſtra conſumptis aliquot diebus, Aurengius, Rohannus, Piennæus, Ganaius, cum hoſtibus conuenerunt, ut donec certiora inirentur fœdera, Aurelio liber exitus ab urbe tribueretur, nihil eis tamen de obſidione remittentibus. Atque ut incolumis ille abiret, obſes interea datus Franciſcus Gonzaga Ioanni Fuxeo . Ibi etiam Sfortia impetere cauillo cœpit Gallicos legatos, cùm in dictãdis fœderis legib. alterũ alter perturbaret, ſimulque eloqueretur, quod ab Italia grauitate alieniſſimum erat. Petrus Rohannus Nouariam peruenit : Aureliumque unum cum paruulo comitatu liberũ abduxit. Res parum abfuit à ſeditione, quiritantibus obſeſſis, abſumptis omnibus alimentis, illum abire incolumem, ſeſe prædam hoſti futuros : ægreque ſopita eſt comitate Rohanni, qui nepote ſuo obſide relicto ſanxit, intra triduum omnes ſe liberaturum. Poſt quartum diem quàm redierat Aurelius, fœdus cum Sfortia ictum eſt, ut Galli omnes exterique milites qui Nouariæ erant, libere cũ impedimentis abirent. Educendi eos munus ſuſceperunt Galeatius Seuerinas, & Franciſcus Gonzaga: idque optima fide perfecerunt. Nouariæ imperium penes ciues manebat: triginta tantum Galli arcem tenerent : hi donec certius fœdus iniretur, annonam à Sfortianis emere poſſent : ciues nec Gallos, nec Italos urbem immitterent. ſed fame qui inde abierant, morbiſque ita conſumpti erant,ut in ipſo itinere partim fame enecti ſint, partim cibum ingeſtum recipere non potuerint : partim nimia deglutiendi, famemque explendi inſania occumberent. Ex quinque millibus qui inde prodierant, pluſquam quadringenti mox abſumpti. Rex pecuniam in eos liberaliter erogauit: affatimque cibis redeuntes expleuit, defunctorúmque parentibus, ſi qui adfuere, ſtipendia perſoluta ſunt. At Sfortia interea Nouarienſes ſibi adiunxit, urbemque mox recepit. Arx præſidio Gallorum tenebatur : adfueruntque eodẽ tempore Heluetiorum decem millia, quos Antonius ſuppræfectus Diuionẽſis eduxerat militiæ auidos. Erãt duo millia Heluetiorũ qui Regi militarãt; tria millia partim ex his, qui è Nouaria redierant,

dierant,partim qui eò fama prælij exciti conuenerant. Alij maiorē addunt numerum,uiginti enim duo millia adfuiſſe:maior pars cū uxoribus liberiſq; è domo prodierat. Hos ſimul cōuenire noluit Rex,ratus parum tutò tantæ multitudini ſalutē ſuam cōmitti. Ludouicus Aurelius Heluetiorum aduentu ferocior factus,unà cum Ludouico & Antonio Luxemburgis,Gulielmo Briſſoneto Cardinale (cui montes aureos pollicebatur·cùm gratia multū apud Regem ualeret)Regem ad bellum excitabat,ſubmiſſoſq; & concitatos aliquot Heluetios prælium poſcere ferocius iubebat: reliquos qui prælium diſuadebant,minis etiam aperte terrens, ut Philippo Aurengio hac de re diſſerēti,emētiri eum, mendaciaq; ſtruere exprobrarit: quod genus contumeliæ apud Gallicos proceres multo maximum eſt. Diu deliberata re cum nihil promoueret Aurelius, decretum eſt,ut Rohannus,Piennæus,Ganaius redirent pacem inituri. Ea eſt his pacta conditiònibus,ut Sfortia Regem potiri ſineret,aduerſus hoſtes quoſlibet,Neapoli:naueſq; duas ſuppeditaret inſtructiſsimas, ſubſidio futuras arcibus Neapolitanis: ſequēti anno tres naues daret:ipſeq; præſens expeditioni, ſi præſens Rex ad recipienda ſua rediret, Regem ſequeretur. Venetis hoſtis eſſet,ſi hi pacis fœdera hæc abnuerent,Aragonióſue ſequerentur.idq; eis intra duos menſes denuntiaret:Regi pecuniā mutuo datam expenſam ferret. Rex ſequenti die quo fœdus initum eſt reditum parabat. Id Aurelius grauiter ferens ,per ſuos ſolicitabat Heluetios ſtipendia trium menſium integra peterent,ratus eo pacto Regem belli conſilia renouaturum,illi nocte conueniunt: clanculis primum ſermonibus frendere:mox palam ſtipendia trium menſium petere, quæ pollicita ſibi eſſe contendebant:totaq; nocte tubicines cornicineſq; extra uallum auditi ſunt,clangorem fundentes uaſtum;ac etiam prouecti, ut conſilia inierint de Rege abducendo. Nam quòd Galli pauci adeſſent,facile id fieri poſſe putabant. Ita excitata ab his ſeditio acrius ſæuire cœpit, quàm illi ipſi uellent. Alij Regem mittendum:proceres Gallicos opulentiores abducendos aiebant. Iamq; in Antonium ſuppræfectum Diuionenſem & Ludouicum Lornaium manus iniecerant: Rex prima uigilia,incertum an ſeditionis metu,an quòd ita prius conſtituiſſet,inde ſeſe proripiens,conſilia eorum fruſtratus eſt. Aurengius miſſus ad eos pacandos:ſtipendiaq; trium menſium his qui nuper domo acciti uenerant,ſoluta ſunt:reliquis eius temporis quo militaſſent,addito ſtipendio quindecim dierū ob reditū. Ita illi ad ſuos,Regis liberalitate laudata,redierūt:ſed Rege cautiore reddito, quātum ſe proferre,extero demū fretus milite poſthac audeat. Cōſtituerat uero Rex,Francos ſuos ita bello aſſuefacere , ut deinceps extero nō indigeret milite. huiuſce rei plura exēpla afferebantur ei exterorū,& Regū,& populorū,qui ijs exteris,quibus ſalutē

ſuam

ſuam crediderant, uſi erant infidelißimis: qui ut eos inclinari pauliſper timore uident, ſic impellunt ut ſua perfidia abutantur ad eorum exitium. Interea Neapolitani ab Aragonijs ſolicitati Ferdinãdum ad ſe reuocabant: isq; captans omnes occaſiones, copias iam contraxerat: Neapolimq; aduolat. Gilbertus Mompenſerius populares conatus ſedare primum conatus eſt: ut uidit omnia infeſta, arces munijt: in eas ſe recipit cum Salernitano principe. Auerſæ & Capuæ ciues factum Neapolitanorum ſecuti, Ferdinandum etiam admiſerunt. Is quò rebus ſuis rectius conſuleret. Columnenſes etiam, quos tot beneficijs Francus cumulârat, ſibi adiunxit. Hi florentibus Regis rebus, quamdiu ſpes commodi premijq; affulſit, fideles fuerunt: ubi turbari res eius uidet, mutato cum fortuna animo primi in partes Ferdinandi transgreßi ſunt. Veneti quoq; acceſſerunt partibus, pacti maritima aliquot loca. Rex priuſquam ex Aſta abiret, nauibus aliquot inſtructis quibus præfecit Eymericum Darbanum, obſeſsis, opem tulit. Is cum eſſet rei militaris non imperitus, nautici belli omnino rudis cum hoſtibus occurriſſet, loco ſe tenuit, Liburnumq; redijt, nec ſubſidio ulli obſeſsis fuit Gilbertus Mompenſerius, cum ſera eſſe auxilia uideret, & à multitudine cõmeatum in multos meſes paratum conſumi, aliud inijt conſilium: quod ut ſequeretur multa eum mouerũt. Quippe rumor inceſſerat ſparſus literis Sfortiæ, Regẽ pugna ad Tarũ inita fato cõceßiſſe. Ergo cum uereretur ne omnia eſſent obſtructa, pactus eſt cum Ferdinando, niſi intra præſtitutũ diẽ auxilia uenirent, arces dederet: Gallis liber eſſet in Galliã reditus. Hæc ut rata eſſent, obſides dedit Franciſcum Alegrium, & Petrũ Marchianũ, Gulielmum Capellã, Ioãnem Roqueberſium, Georgium Genliũ homines nobiles, reiq; militaris peritos. At Mompenſerius, Stephanus Verſius, & alij Claudio Ognano Aquitano relicto in præſidio arcibus, cum aliquot alijs Tarentũ ſeceſſerunt: idq; præſidio munierũt, aut (ut alij ſcribũt) Salernum. Planè cõſtat Suillium qui Tarento præerat, longo tẽpore obſidionem toleraſſe: Is tandẽ peſte graſſante egit ſupremũ uitæ diem, nec niſi fame quaſi enectus, urbe poſt reditũ Caroli multis menſibus defenſa, ceſsit. Id alij quoque adſcribũt Iuliano Lotaringo, quem Rex ducẽ deſignarat mõtis S. Angeli. At is eo demum loco ſæpe expulit hoſtes. Eorum audita profectione, parum abfuit quin obſides à Ferdinando necarẽtur, quaſi uiolatis fœderis legibus, dum eodẽ tẽpore in ora Apuliæ ab Antonio Grimano eo à Venetis cum claſſe miſſo, Monopolis Gallis extorqueretur: hiq; etiam mutua data pecunia Ferdinãdo, maritima aliquot loca pignoris nomine retinuerunt: Franciſcumq; Gonzagã cum ualido exercitu ſubſidio Ferdinando miſerunt. Addunt eo tempore alij Gallos qui Sanſeuerinum obſidebant, pulſos Conſentiam à conſaluo receptam, & hoſtes egregie

Gabriele

Gabriele Monſalcono cum Gallis Manfredonium tuente pulſos. Rex Taurinos adijt, Petrum Rohannum & Ioannem Ganaium ad Sfortiam legatos miſit; qui nuntiarent, ſane quàm libenter uenturum ſe cum eo in colloquium, ut de ſumma rei inter ſe tranſigerent. Is colloquij declinandi rationes aliquot attulit. Primùm, tantis colloquijs cùm Rex Neapolim adiret, nihil profectum: exemplisque compertum, & noſtra & patrum noſtrorum memoria, ex mutuis hiſce colloquijs accendi odia: deinde Ludouici Lignij Luxemburgi odium prætexebat, Gulielmique Briſſoneti Cardinalis, qui ſuſpectum eum iamdudum reddiderant apud Regem. Tum actitatas fuiſſe querelas Ticini à quibuſdam, qui eum inuitum abducendum palam ferebant. Sed ſi is ad Regem uel obſidibus datis, uel fide publica ueniſſet, ſatis conſtabat, Regem pacis cupidum cum eo tranſacturum fuiſſe, de Mediolanenſi principatu, quem Aurelius uindicabat. Nam nec Rex potentiam Aurelij æquo animo ferebat: nec eius querelis turbari pacis conſilia uolebat. Ita Sfortia, quòd fœderatorum conſilijs gratificaretur, prudenter declinare ſibi uiſus eſt Regis colloquium: minus liberali eo reſponſo, quo uno tantos motus bellicos, indignamque tali principe captiuitatem futuram auertere potuerat. Rex Philippum Cominium legatum ad Venetos remiſit, ſciſcitatum, uellent iuberéntne ratas eſſe pacis conditiones cum Sfortia initas; Monopolim redderent: Gonzagam à Ferdinando reuocarent: ipſumque Ferdinandum declararent, eo nouo fœdere quod cum Pontifice, Maximiliano, alijsque pepigerant, non contineri. Hi poſt aliquot dies reſponderunt, nullum bellum à ſe in Gallum ſuſceptum. Copias quas eduxerint, eductas Sfortiæ fœderati gratia, quem Rex eo principatu deijcere uoluerat. Hæc palam: priuatim receperunt, his ſe conditionibus hos motus contemperaturos: Ferdinandus, ut Neapolitanum regnum beneficiarium apud Regem profiteretur, in clientelamque Alexandri Pontificis uoluntate reciperetur: quinquaginta millibus nummûm aureorum penſione, æquis conditionibus Regi quotannis ſoluenda: quam ipſi ei mutuò ſe daturos profitebantur: Tarentum Regi interea relinqueretur. quòd ſi Rex quod iactitabat, Italiam prius ingreſſus, Turcam debellare cuperet, centum naues inſtructiſsimas offerebant: daturosque ſe operam, ut & Maximilianus & Pontifex ualida auxilia equitum peditumque ſuppeditarent. At Sfortia qui naues duas inſtructas ſubſidio Regi mittere ex fœdere debebat, miſſo Genuam à Rege Stephano Neueſo, certior factus de Gallorum qui obſidebantur modico commeatu, rem uarijs ex cauſis conſultò extrahebat. Ad extremum etiam duas ſubſidio Ferdinando, uiolato fœdere miſit. Cominius rediens de his à Neueſo admonitus, expoſtulauit cum Sfor-

tia, monuitq́ eum, uideret cautius quò progrederetur: quod ſua ſponte facturus eſſet, non ſolum libenter & prolixe, ſed celeriter etiam faceret: his nauibus ſubductis Neapolitanas Regi arces adimi, quibus ademptis Regis in ſe odium accendat. Ille naues quidem pactas, at non ut his Galli imponerentur, aiebat: ſequenti tamen die futurum ei recepit, ut Galeatium Seuerinatē cum ualida claſſe ſubſidio Regi mitteret, nec tamen miſit: ita ille erat eruditus artificio ſimulationis utriuſq; ut ſe uenditaret. Galli interea Neapolitani regni loca aliquot præſidio tenebant. Tota moles belli uerſa in fines Calabriȩ: eò Galli ſeceſſerant unà cū Gilberto Mompenſerio. Ferdinandus exercitū producit. Nec Galli detrectāt certamen, tametſi Ebrardo Aubignio diſſuadente, qui æger corpore moleſte ferebat incuria Monpenſerij debiliores Regi res quotidie fieri. Sed tardiſsime Gallis pecunia ſuppeditabatur: & quæ ex regno aderat, conſumpta iam erat, ut menſium quatuordecim militi ſtipendia deberentur: quæ cauſa fuit ut Germanorum aliquot cohortes Gallis relictis ad Ferdinandum tranſierint. Heluetijs tamen ad extremum Gallo militantibus: etſi eadem eos ſtipendiorum cauſa mouere poterat. Occurrente itaq; Ferdinando utrinq; acriter pugnatum eſt. Sed Galli quòd locorum iniquitate explicare equitatum non potuerant, fugati, in caſtra paucis deſideratis rediere. Ea uictoria Ferdinandus elatus, per alios Tarentum iubet oppugnari. Id ualido præſidio Georgius Deſuillius, uel ut alij malunt, Gratianus Guyeneus tenebat. Cæſi Neapolitani fugatiq;, erumpentibus ex eo Gallis, obſidionem poſt decimum diem ſoluerunt. Gallus pabuli inopia circa Eubulium ſeceſsit: caſtra munijt: equitatum fame conſumptum pabulo refecit. Hunc Ferdinandus ſecutus cum totis copijs, ſuos hortatus ne fugientem Francum elabi ſinerent. Nec Francus prælium detrectabat. Concurrit acerrime. Peditum æquale aliquantum fuit certamen. At hoſtes imperio ducum minus audientes magno impetu ruentes, & ſeſe implicabant & Nauarrorum cohortes eodem metu perterruêre. Italiciq; pedites Heluetios & Aquitanos aggreſsi facile reiecti ſunt, equites quoque nullo ordine ruentes, excepti à robore Francici equitatus conciſique. Gallus uiribus fortior factus, Aragonijs inſtare cœpit: cum Ferdinandus clamitans partem iam ſibi adimi uictoriam, prælium inſtaurat. Sed Gallis equitibus undique prementibus, fugatiſq;, his qui caſtra obſidebant, Ferdinandus quin in manus Gallorum ueniret parum abfuit: Eo perterritus Neapolim adcurrit. Hunc Galli ſecuti, & ipſe Neapolim recipere fruſtra tentant. Ea ſpe deiecti inde abierunt. Interea arces Neapolitanæ à Ferdinando recipiuntur. Vergilius Vrſinus, & Camillus Vitellius cum ſatis ualido exercitu in Apuliam ſubſidio Gallis uenerunt; caſtra cum Mompenſerio iunxerunt.

Fer-

Ferdinandus caſtra propius mouit. & loco non iniquo committi poterat prælium: idq; accelerandum & Mompenſerius & Vrſinus decreuerant: ſed ſeditione militum impediti ſunt, quos concitatos à Percio Mompenſerius frendebat, ſumpturus de eo ſupplicium, cum dicta imperiumue Proregis palam contemneret, ni aduerſæ res ad alias eum cogitationes traduxiſſent. Galli Atellam compulſi, ualidius à Ferdinando Hiſpaniæ Rege, miſsis etiam Hiſpanis cum Conſaluo Aegidario, oppugnati ſunt. Hic uias omnes quibus commeatus inferri poſſent, præcluſit. Tentauit etiam Atellæ molas frumentarias occulte immiſſo milite frangere. ſed accidit ut Mompenſerius admonitus eò mittere delectam equitum manum, in quibus fuit Ferronus Burdigalenſis (qui ſuppræfectus eius urbis paucis antè annis fuerat) Camillus Vitellius, & Gimelus è Lemouicenſium præfectura ſummo genere natus affinitateq; Regulo Tureneo coniunctus, qui hoſtes adorti, fugatosque uſque in caſtra perſecuti ſunt. Sed cùm ſingulis diebus noctibusq; idem tentatum eſſet ab hoſtibus, tandem magno eorum diſcrimine conciſæ ſunt molæ frumentariæ. Mompenſerius etiam ægrotare cœpit: ac uel morbo territus, uel fractus rebus aduerſis, deditionem fecit, ea lege, ut loca omnia à Gallo occupata redderet: ipſi ſalui cum impedimentis in Galliam mitterentur. Ita & Mompenſerius & Vrſinus in Ferdinandi uenerunt poteſtatem, cum multis Gallorum Heluetiorumq; cohortibus, deditione ignobili pacti ſalutem: quam nec acceperunt, per ſpeciem claſſis parandæ, qua in Galliam redirent, in loca parum ſalubria relegati. Mompenſerium alij febre ex immodicis æſtibus contracta, alij ueneno ſublatum aiunt. Ex Gallis pauci domum rediere. Vrſino etiam fides uiolata eſt, Ferdinando fœdera palam uiolante, quòd diceret Caietam retineri adhuc à Gallis. Sed nec apud uiolatorem fœderum diuturnum gaudium manſit. Nupſerat ei conſanguinea aduleſcentula adhuc. Immodico coitu extenuatis uiribus, uel ut alij malunt febre circa Atellam contracta, uel profluuio ſanguinis, fato conceſsit. Federico Aragonio Alphonſi fratri regnum delatum eſt. Caieta adhuc præſidio Gallorum tenebatur. Sunt ad Caietam terreſtres aditus difficilimi, paruaq; cuſtodia indigent. Ibi nobilis portus, in cuius introitu arx eſt munitiſſima: ex qua ſi naues aut onerariæ, aut aliæ conſpici poſsint, machinis inde facilè fugari poſſunt. Stephanus Verſius eò loco collectos Gallos, qui Gilberti Borbonij Mompenſerij fœdera cum Ferdinando ſecuti non erant, in quibus fuère Ioannes Ferronus, & Camillus Vitellius, alijq; plures, perduxit: commeatum in urbem affatim introduxit. Aeger Ferdinandus eo loco & Venetas aliquot naues cum Grimano, Federicoq; miſit: quæ machinis bellicis territæ, ſoluta mox obſidione, abierunt. Paratę ſunt etiã terreſtres

ſtres copiæ Franciſco Gonzaga duce, quæ uel locorum iniquitate, uel quòd Gonzagam iam tæderet Aragonenſium dominationis, inde abierunt. Vnde enim loco, idq; lente cùm Galli oppugnarentur, facile hoſtium impetum depellebant. Ita Federicus Columnienſibus eam prouinciam ſuſcipientibus, ad Ferdinandi donationes adiecit etiam alia eis oppida: hicq; etiam cùm oppugnarent Caietam, uigiliasq; oſcitanter agerent, antelucano tempore erumpentibus Gallis fugati ſunt. Hæc Gallicos annales ſecutus ſcripſi. At exteri ita eaſdem res narrant, retexenda ut nobis omnia rurſus ſint, ut me quidem pudeat tantæ incertitudinis. Narrabo uero bona fide quæ hi prodiderint: ſic enim ij: Interea Ferdinandus cum tribus millibus peditũ, equitibus quingentis, quibus Hugo Cardonius præerat, unà cum Conſaluo Ferdinando, quem uiolato fœdere ſubſidio Ferdinãdus Hiſpaniarum Rex miſerat, cum quinq; millibus peditum, & ſeptingentis equitibus, è Meſſana Rhegium delatus eſt: facileq; impetrauit, ut portæ ſibi aperirentur. Qui Gallicarum partium erant, ſub aduentum Ferdinandi urbe excedentes, in arcem ſeſe receperunt: hanc mox ille oppugnare adortus eſt. Non uidebantur Galli laturi obſidionem: itaque trium dierum inducias impetrarunt. Dum agitur de conditionibus, Conſaluus machinas tormentaque auehi imperat, parteq; arcis potitus, multis cæſis qui imperati nihil tale expectaſſent: reliqui in partem aliam arcis munitiorem ſeſe recepere: ea cùm expugnari etiam poſſet, uelo expanſo, colloquium petebant. Cùm prodijſſent hoſtes ad colloquium, quæſiere quod ob factum dictumue uiolatis inducijs cæſi eſſent: ſimul orarunt, ut remoto exercitu, ſi quid tranſigi poſsit, conficeretur. Emanuel Benauidius, unus è Conſalui comitibus, uiolato fœdere, obambulantes è ſua cohorte aliquot prius uulneratos querebatur: hæc etſi conficta apparebat, conuenit ut arce dedita, Galli incolumes, complicatis uexillis, armis ſuccincti emitterentur. Præerat tum Rhegio Adrianus Maillius Contius. Ferdinandus dum recẽs terror eſſet, ad fanũ Agathę, & Semenariam cum tribus peditũ millibus miſit. Nec ibi mora deditionis facta: emiſsi tamen ab oppidanis prius Gallici milites incolumes alia porta. Multi è Gallicis militibus, cum alij enermes quaſi in pace abambularent, alij pabulatum dilapſi eſſent, à Conſaluo intercepti ſunt. Bernardus Aubignius, quem multi Ebrardum Stuardum uocant, qui Brutijs præerat, cùm aperte bellum geri uideret, ad Terinam conſilium habuit: is locus hodie Terrænouæ nomine notior eſt. Adfuere Aubignio præſto Franciſcus Alegrius iunior, cui Perſio cognomen: Gratianus Guerrus, Georgius Deſuillius, Ludouicus Dillierus, Frãciſc. Bouchardus Aubaterrius, Gabriel Alebretus Dauenesus, Gaſto Caſtelbaiacus, Nicolaus Dãfrenillus, Maſerius Gaillardus,

Riue-

Riuerius Liſlius. Placuit, quando equitatu pollerent, pugnandi copia fieret ferocieti hoſti. Ita ad Semenariam properatum eſt, eo conſilio, ſi ſe hoſtes in urbem reciperent, ut omni parte ſimul urbs oppugnaretur. Ferdinandus, qui ſatis noſſet, in euentu eius præſidij poſitum eſſe ſi ſuperior euaderet, ut facile poſtea paterno regno potiretur, tutam fore belli aleam ratus, diſſuadente Conſaluo totam curam in certamen intendit. Aubignius, omnibus præparatis, in campos apertos qui Semenariæ ſubiacent, circa flumen uicinum collocauit ſuos: uidensque ad flumen properare Ferdinandum & Conſaluum, lætatus eſt pugnandi copiam ſibi fieri. Conſaluus & Hugo Cardonius, quorũ cõſilio utebatur Ferdinandus, collocauere ad læuam pedites Hiſpanos & Terraconenſes citeriore in ripa: equitatum in dextrã expanſis late alis diduxerunt. Aubignius Heluetiorum peditatum Hiſpanico peditatui opponit: è Brutijs & Gallico peditatu cohortes aliquot in tergo ſubſidio relinquit: ipſe parte equitatus ſumpta partem alteram Alegrio committit. Erat Gallis flumen tranſeundum: expectaratque Conſaluus ut occupatos in traijciendo diſtraheret. At ubi uidet quadrato agmine Gallos in ſe ferri, ne ſuis diſtrahendis reliquorum robur minueret, inſtruit aciem, occurrereque Hiſpanos equites Gallicis iubet, ſi forte loco eos pellere poſsint. Hi cum cataphractis Gallicis congreſsi, ne primum quidem eorum impetum tulere: nec Hiſpani pedites clamorem Heluetiorum ſuſtinuere, ſed equitum ſuorum fuga commoti ſenſim ſeſe proripiebant. Id intuiti Aubignius & Alegrius, à dextra & læua cum robore equitatus inuecti in pedites, proculcatis multis reliquos in fugam uerterunt. Heluetij & Galli inſtantes ingentem eorum edidere cædem. Ferdinandus & Cardonius, qua fugam ſuorum cernebant, cum cohorte prætoria occurrebant: redire eos in pugnam iubebant: multi rediere, ſed Aubignius cum ſua ala acriter inſtabat. Ferdinandus cùm ſuos pelli undiq; uidet, in fugam uertit equum: ſequentibusque è Brutijs aliquot qui Regem agnouerant, parum abfuit quin interciperetur. Sed equo ob præcipitatum curſum lapſus, cùm iam Galli manum inijcerent, à Ioanne Andrea Altauillano ſubleuatus, equoq; alio donatus, inde ſe proripuit: magna fortunæ indulgentia. Quippe Altauillanus à quo ſubleuatus fuerat, uix dum eo paululum progreſſo ab equitibus Gallicis necatus eſt, dignifsimus longiſsima uita, qui dum hero ſubuenit, uiuus uidensq; in certiſsimam perniciem ſeſe coniecerit. Ferdinandus cum paucis fugiens Meſſanam, Conſaluus, in ipſo itinere pluribus ſe adiungentibus, Semenariam prius, mox loco diffidens Rhegium conceſsit. Semenaria mox in Gallorum redijt poteſtatem, unà cum Fano Agathæ & uicinis aliquot arcibus. Ferunt Ludouicũ Aragonium unũ è põtificijs purpuratis captum: ſed dum

 mutata

mutata ueſte in priuati ſacrificuli modum obambulat, relictum. Theodorus Tiruultius, & Benauidius ita uulnerati ſunt, ut deſperata ualetudine uix tandem priſtinæ ualetudini reſtituti ſint. Conſaluum Semenaria egreſſum cùm per ignotos Gallis calles Rhegium ſeſe proripuiſſet, fruſtra Aubignius perſecutus eſt. Alegrius & Inſulanus inſtandum eſſe mox putabant Semenariæ, nec perculſis Hiſpanis & Conſaluo ſeſe inde proripiendi occaſionem dandam. Id cùm diſplicuiſſet, Aubignio fatigato toto diei labore, quando hoc bene ſucceſsiſſet, hilarem hunc ſumendum diem, & caſtrino die poſſe tentari diceretur, nequicquam poſtea, nocte fugientibus Hiſpanis tentatum. Interea Ferdinandus, cùm è Meſſana conſcendiſſet unà cum claſſe parum frequenti, uti Syracuſas tranſmitteret, non ita multum prouectus, reiectus uentis eſt in Meſſanam. Ibi literæ prius uenerant, Commotos Neapolitanos, Columnenſium opera multos in armis eſſe. Duce tantùm & authore Rege belli opus eſſe. Si ſe commotis ciuibus oſtendat, & Neapolim & Capuam & Campaniæ loca omnia mox, Gallorum dominationis pertæſa, ultro ueterem Regem acclamatura eſſe: ciues repudiatis malis ſuaſoribus, ad authoritatem Aragonum eſſe redituros. His litteris lectis, repudiato conſilio Cardonij & Ludouici Aragonij, primum cœpit de reuerſione cogitare: celeriterque Neapolim deuectus, promptiora ciuium ſtudia quàm exiſtimaret, nactus eſt, pulſis Gallis obuios ciues, feſto cultu Proceres, Gilbertus Borbonius, ut uidit omnia aduerſa, arcibus ſe continuit. Dum Galli, qui in præſidio Auerſæ & Capuæ relicti erant, Mompenſerio opem ferunt, ciues Ferdinandi uexilla erigentes in eius poteſtatem rediere. Neque uerò arcibus annona in multos menſes illata fuerat, neque hæ inſtructæ rebus ad longam ſuſtinendam oppugnationem neceſſarijs. Ferdinandus arces, & Cardonij conſilio, & Proſperi Columnæ auxilio uſus, ſumma ui oppugnat, dum neque nummi in ſtipendium militi, neque auxilij ſpes adeſt. Borbonius re cum ſuis deliberata, inducias cum Ferdinando paciſcitur: his additum, niſi intra eũ diem qui cõuenerat, auxilia adeſſent, arces dederet: Galli omnes incolumes cum omni & ſuppellectile quam auehere poſſent, & armis emitterentur. Interea certiorem facit Aubignium, niſi intra paucos dies obſeſsis opem ferat, actum de arcibus. Aubignius cùm longo morbo confectus eſſet, premereturq; adhuc doloribus acerrimis corporis, eò è Lucanis accitum miſit Alegrium Perſium cum robore equitatus & peditatus. Is obuios habuit in itinere Aragonios: exceptusque anguſta uia, cum equitatum explicare non potuiſſet, quà uenerat redire ſeſe ſimulauit. mox Ebulium adijt. inſtare hoſtis. nec Galli detractarũt certamẽ. Videbatur haud inæquale certamen, donec Petrus Irigous, Alegrij monitu Aquitanos urgere cœ-

re cœpit, rogareque, ſiccine pugnaturo ſeſe ſpopondiſſent? In caſtris feroces, in acie trementes? ecquid cum toties uicto hoſte litigarent? Illi incitati facile fregerunt Aragonios, præſertim cùm iam diſtracti eſſent, miſsis qui caſtra Gallica oppugnarent. Ea egregie defenſa ſunt à Franciſco Malherba; ita uerſi ſunt hoſtes in fugam: multi cæſi: uexilla tredecim relata. Ferdinandus parum abfuit quin à Carolo Bridaco Dargio necaretur fugiens. Alegrius uictis inſtans, cùm inconſpectum arcis ueniſſet, Gallos accendit, quaſi paratum eſſet auxilium: ut iam de necandis obſidibus deliberarit Ferdinandus, quaſi uiolatis conditionibus. Galli Neapolim recipere tentant. Magdalenæ fanum tenuerunt: hortos Regios inuaſerunt: ſperantes tumultum aliquem ex tam uaſta ciuitate. Iam admouebat obſides arcibus Ferdinandus, minitans eis laqueum. Alegrius quidem longo circuitu in arcem peruenerat, erumpensq; ancipiti prælio cum hoſte congreſſus eſt. Mompenſerius quando Alegrij auxilium ſerum uidebat, in uetere ſententia manebat. Reliqui uiolatas leges induciarum à Ferdinando aiebant, cùm ingentes munitiones interea extruxiſſet. In eas Galli è portu erumpentes, deiectis munitionibus Columnenſes in fugam uerterunt. nam Proſper Columna totus & animo & corpore in eam curam incumbebat: Alfonſo tamen Daualo ſtrenue dimicante, Phari turre recepta, labare Gallis animi cœpere. Hi mox confirmati ſunt morte eiuſdem Dauali. nanque is cum Punico mancipio agens de incendenda Gallica claſſe, ſagitta ictus occubuit, dum incautius pretium ad Pœnum per ſummum hortorum parietem perfert. Iam Proſper eas munitiones Eccliæ monti admouerat, ut re deſperata per Pauſilippum montem Perſius redire cogeretur. Pomelianoq; oppido direpto fruſtra ſequente Ferdinando, fugatis ad Nolæ uicinos campos Terraconenſibus equitibus, expugnatisq; multis Sammitum oppidis, exercitum tandem in Apulia in hyberna dimiſit. Itaque cum undique præciſa eſſet ſpes auxilij, Mompenſerius nouis conditionibus ſcriptis. obſidibus prius receptis inſtructo exercitu ceſsit. Seceſsit in Apuliam, & corrogata undique pecunia (neque enim à Rege afferebatur) exercitum inſtaurat. Huic adfuere Paulus Vrſinus, Virginius Vrſinus, & Paulus Vitellius cum Salernitano. Hi ſoli ex exteris fidem minime cum fortuna mutarant. Perſius euocatus à Mompenſerio tardius cum robore Heluetiorum aduenit. Rogatus ecquid tardius aduenīſſet toties efflagitatus, contumelioſe reſpondit ut niſi aut ab Heluetijs Mompenſerius ſibi metuiſſet, quos ille ſibi conciliarat oppidulorum aliquot direptione, uel Virginij Vrſini oratione placatus eſſet, ſupplicium ſumpturus de Alegrio quaſi ſeditioſo iactaretur. Ferdinandus paulò antea legatos Venetias miſerat auxilium à fœderata ciuitate petentes. Cùm negaretur, pollici-

pollicitus eſt ſeſe oppigneraturum Apuliæ aliquot ciuitates. Ea pactione Veneti Franciſcum Gonzagam cum ualido exercitu miſere. Eius aduentu recreatus Ferdinandus caſtra propius mouet. Occurrerat hic ad Fogiam Ferdinando. Interea haud longe à furcis Caudinis Mompenſerius audiens progreſſas aliquot Germanorum & Neapolitanorum cohortes, uti ſe cum Proſpero Columna coniungerent, nactus palanteis cum Paulo Vitellio eas mox conſectatus eſt & concidit: in ea tamen tumultuaria pugna necatis ex Gallis equitibus Cemperus unus ex Boiorum nobilitate, & Poictius Aruernus. Ferdinãdus auctus nouis copijs quas Ioannes Gonzaga adduxerat, Circellum uenit, id oppidum Galli obſidebant: ſoluta eſt obſidio. Inde Ferdinandus pergit ad Frangetum oppugnandum. Primo die uana fuit oppugnatio, erumpentibus oppidanis: ſequenti admotæ cùm eſſent machinæ, & proſtrata mœnia, potitur urbe Ferdinandus. direptę urbi, dum Galli adſunt auxilio, faces ſubijciuntur: miſereq; uagante incendio ſerum fuit auxilium. Eodem impetu recepta Altauilla. Qui res geſtas Gonzagæ ſcripſere, narrant Valatenſes direptos: inde Regem & Gonzagam Nuceriam conueniſſe. Inde Paludem, Circellum, & Frangetum. Ita proxima fuiſſe caſtra ut quo loco pranderent Galli, Aragonij cœnarent: eodem è flumine utriſque haurientibus, ubi utrinque multi ſint cæſi dum eunt aquatum. Ieſnaldos, dum ſe Galli Atellam recipiunt ab hoſte direptos, & Andretenſes, qui loco ceſſerant. Nuſquam integris uiribus certatum: tumultuarijs pugnis quotidie: quibus Epirotæ equites Gallorum uim non ſuſtinentes, per gyrum elabentes, uarieq; concurrentes Gallos fatigabant. Germanorum aliquot cohortes dum ſtipendia non repræſentantur, & ampliora ab hoſte offeruntur, ad hoſtes tranſijſſe. Mompenſerius ubi ſuos atteri uidet, caſtra propius mouit Frangeto oppidulo. Luce prima iubet inſtruatur pedeſtris acies, ſe equitatum omnem leuemque armaturam educturum. Videbantur & hoſtes in certamen uenturi. At Heluetij uel cauſati ſtipendia non ſoluta, uel Alegrij Perſij oratione commoti, qui infenſior Mompenſerio ueteribusq; ſimultatibus incitatus grauiter imperium illius ferre uidebatur, negarunt niſi perſoluto integro ſtipendio ſeſe prodituros. Ita diſcordia horum conuulſæ res Gallicæ. Acciſis rebus in Atellam Galli ſe recepere, fremente frendentéque Mompenſerio, qui talem contumeliam uindicaturus erat, ſi per fata licuiſſet. Alegrius leuibus ex cauſis irritatum aiebat Mompenſerium, quem elato animo omnis, quæ haberetur contra uoluntatem eius, oratio grauiter offenderet. Vocatus eſt Conſaluus cum robore Hiſpanorũ militum ad Atellam. Erat Gallicũ præſidiũ extra Atellam diſpoſitũ gratiâ frumentariarũ molarũ tuendarũ. Id cùm opprimere uellet Cõſaluus, Hiſpanũ

pedi-

peditatum quo abundabat, Heluetiorum & Aquitanorum cohortibus oppoſuit: equitatum ita diſpoſuit, ut ala una abderetur inter molas & oppidum decliui loco: altera undique excurrens Gallos ſeſe proripientes opprimeret. Iam Hiſpani concitati cum ingenti clamore in Heluetios & Aquitanos incurrunt. Heluetij inſolito tumultu turbati primum dilabi, mox Aquitanos imitati qui ſagittis hoſtes iam morabantur, inuecti in eos facile impetum ſuſtinebant, niſi equitum clamore compulſi utrique in urbem ſeſe proripuiſſent. Alegrius ex urbe egreſſus cum lectiſsimis equitum copiis, cùm ab Epirotis equitibus eluderetur, in peditatum Hiſpanum progreſſus, multis proculcatis & diſsipatis & captiuis abductis, in urbem rediit. Conſaluus feruente tumultu molas confregit, eo ipſo uictoria ſeſe potitum magnifice iactitans. Is poſtero die ad laceſſendos Gallos progreſſus cùm loco fidentes detrectare diceret certamen, Ripam candidam oppidulum præſidio uacuum nequicquam quiritantibus ciuibus, qui ſe iam à Ferdinando in fidem receptos aiebant, Hiſpanis diripiendum dedit. Gallis plus animi quam uirium erat. prohibebantur pabulatione, aquabantur ægrè, nullam habebant annonæ copiam propoſitis uariis conſilijs, nihil explicitus occurrebat quàm eruptione tentare fortunam: erat id plenum periculi: itaque deſperata tutela urbis Atellanæ. de deditione agere cœpere. Alegrius ipſe in caſtra ad Ferdinandum profectus eſt. His legibus deditio facta, ut Galli incolumes cum ſupellectili impenſis Ferdinandi in Galliæ uicina loca ueherentur: machinas bellicas relinquerent: maiores equos præter unum ne quis aueheret, niſi ex Regis uoluntate: Virginius Vrſinus liberè ad ſuos rediret. Ille author fuit Gallis ne in aciem dimicationemque uenirent. Nec tamen fides illis ſeruata: nanque ſub ſpecie parandæ claſsis in loca inſalubria relegati multi periere, uel cœli inclementia, nullo hoſtium dolo, ut Italici ſcriptores prodidere: uel ſimulata fallacia, propinato etiam quibuſdam ueneno, ut uideo Gallicos aliquot ſcriptores narraſſe, præcipue de Virginio Vrſino præter fœdus necato. Occubuit Gilbertus Borbonius, Mompenſerius, Robertus Lenocurtius. Mompenſerium indignatione, cùm promiſſa non ſeruarentur, multi uolunt deceſsiſſe, tametſi à Gonzaga moneretur, ſi saperet, ne præterquam quas captiuitas ipſa haberet moleſtias adderet: & illas quas haberet, rectè ferret. Ex Heluetiis mille trecentis uix trecenti in Galliam redière. Hi toto eo bello fideliſsimi Gallo fuere, niſi quod ab Alegrio concitati pugnam detrectarunt, libenter pugnaturi ſi ille imperaſſet. E Germanis octingenti Mompenſerio miſsi, cùm trium menſium ſolùm ſtipendia accepiſſent, ultro in caſtra Ferdinandi peruenere: deditio facta Gonzagæ Mantuano, non Ferdinando: erat enim Mompenſerius ſororius Gonzagæ, Ferdinandus paulò poſt

lò poſt deſideratus, ipſeq; Gonzaga graui & diuturno morbo concuſſus eſt. Interea Aubignius & Conſentiam & Laynum & pleraq; alia loca, quæ prius occupârat in Brutijs Conſaluus, cæſis qui in præſidio relicti erant Hiſpanis, recepit. itaque ille in Brutos mox redijt aucto exercitu. Sane Aubignio præter opinionem improuiſo incidit Conſaluus, cuius fuerat uirtus domi militiæq; cognita. Venêre ad Aubignium Hiſpani aliquot equites, colloquio locum petentes. Vbi quæ poſtularent audijt (narrabant autem Atellæ deditionem, hortabantur, mallet Federici noui Regis, nam is Ferdinando ſucceſſerat, clementiam quàm uim experiri) conuenit datis decem dierum inducis, ut is è ſuis mitteret quoſdam, qui exquirerent uerâne eſſent quæ narrata erant. Ea ubi uera eſſe audijt, pactus eſt ut urbes uacuas pręſidijs relinqueret: ipſe cum uniuerſo exercitu liberè ad ſuos rediret. quo fœdere etiam cautum, ut ab Obertio Roſſeto, præfecto Caietæ, orto ea parte Galliæ quæ Delphini nomen retinet, impigro homine & nauo, Caietæ arx cum urbe dederetur. Oliuetanis dum Rodericus Daualus arma temere infert, urbe illi irumpunt cum Gallis: circaq; uicum cui Inſulæ nomen, multis cæſis occubuit Daualus. Oliuetani tamen paulo pòſt adueniente Conſaluo, emiſsis liberè Gallis, imperata fecêre. Idem Conſaluus Menaldum Guerram, qui portu arceq; Oſtienſi occupata Pontificem fatigabat, mox uictum abduxit. Aubignius inſtructis copijs in Galliam redijt. Atellæ deditionem & uictoriam multi Gonzagæ acceptam referunt, non Conſaluo aut Hiſpanis. Id quidem conſtat, ea deditione ita fractos & comminutos Gallos, ut facilè qui ſuperfuêre debellati ſint. Circa ea tempora Neapoli dira ſcabies homines inuaſit, cui cùm pharmaca ut nouo morbo quęrerêtur, multos abſumpſit. Hunc morbũ uane quidam dixere elephãtiaſim: alij lichenas: & id impetiginis genus, quod accepto oſculo mẽtum uenaretur: à C. Plinio, cuius & Cor. Celſus plures ſpecies prodiderit, deſignatum. Alij carbonem, alij ignem ſacrum, alij lepræ ſpeciem, alij inter morbos populatim aut ui aſtrorum, aut aeris intemperie uaganteis collocauere: adnotantq; eodem anno quo is morbus graſſari cœpit, in Romano agro Tyberim, in Bononienſi Rhenum, in Ferrarienſi & Mantuano Padum, in Veneto Atheſim extra ſolitos limites exundaſſe: tantiſquè imbribus annum eũ maduiſſe, ut terris undique humentibus minus mirandum ſit, æſtiuum aerem ad eam intemperiem perueniſſe, calidam & humidam, quam M. Tullius ex Philoſophorum placitis putredini corruptioniqúe cauſam dare ſcripſit. Alij quidam inter morbos contagione polluentes adſcripſere. occultam & uenenatã illius eſſe naturam uoluere. Nec hoc quidem prætereundùm eſt, dum redit Carolus & diuerſatur apud Aſtẽſes, ſingulari certamine, con

greſſos

greſſos Gallum & Italum. Gallus cùm eſſet paruulo corpore, Landa nomine, quaſi uanus ab Italo Chriſtophoro Zerbulo Genuenſi uaſto corpore homine uocatus, At hic, ait, nanus Herculi tuo clauam eſt extorſurus. Inſpectante Rege, pompaque inſigni parata, & pręparatus longo ordine his rebus, quę ad ſingulare certamen, neſcias uanius an profuſius, parari ſolent, tandem congreſsi diu gladiis acriter rem geſſere. Vix unquam alias tanto animo & Galli & Itali in certamen ſingulare ullos ueniſſe fatebantur. Dum ſucceſſu alitur utrinꝙ certamen, dum neutri certum eſt cedere, dũ Italorum præſentia Zerbulo, Gallorum Landæ creſcere uires uidentur: tandem impacto per uiſcera gladio iacuit Zerbulus. Iacentem ſeſe condonare Italorum nobilitati Landa profeſſus eſt: iſque in uicinum tentorium delatus, curatus eſt. Zerbulo Rex uicto trecentos nummos aureos, Landæ uictori quingentos donauit. Vix meminiſſem huius duelli, niſi Symphorianus Campegius M. Antonium Sabellicum odio Gallorum tam præclarum facinus præteriſſe indignaretur, qui & in tantæ rei memoriam quo loco pugnatum eſt, trophæum erectum ait. Fuit is Landa Burgidalenſis, familia honeſta potius quàm illuſtri. Carolus ad eos qui Caietam obtinebant, iterum atque iterum ſubſidia decreuit. Sed uel ſocordia eorum qui præpoſiti erant, uel hoſtium uigilantia labor irritus fuit, etſi ferè integro biennio his qui ab Aubignio ſubmiſsi erant, urbem acriter tuentibus, & Venetorum & Ferdinandi Hiſpani, & Federici Neapolitani conatus irriti fuerint. Rex Lugdunum peruenerat. eò allatum eſt ei de filij morte: magnúmque dolorem cepit: at multo maiorem Anna Regina, quæ humi proſtrata miſerè deflebat extinctum filiolum, ut neque modus, neque intermiſsio lachrymarum, neque ulla admodum leuatio adfutura uideretur. Adflictam mœrentemꝙ exquiſitis undique oblectamentis Rex conſolatus eſt: nihilꝙ prætermiſit quod ad eam recreandam pertineret. Eius pueruli ferociam patri exoſam ſunt qui ſcribant: Ex quo omnibus ſortem magnatum intuentibus, uideri neceſſe eſt miſerrimam: ſic diſtrahuntur in contrarias uoluntates eorum cupiditates, à liberis ut, eiſꝙ infantibus, ſibi metuant. Ipſe Carolus cùm eſſet in rebus gerendis ſatis induſtrius, & comitate liberalitatéque peculiaribus Regum uirtutibus abundaret: quorundam familiaritate & conſuetudine ita oblectabatur, regnare ut hi demum uiderentur. Rex cùm eum una hæc cura Neapolis recipiendæ urgeret, noua fœdera cum aliquot Italis principibus inibat, Pontifice, Venetis quoque & Florentinis & Senenſibus ad parteis uocatis. Exteri multa equitum peditúmque millia pollicebantur: nec Gallus ſegnius copias ſcribebat. Iámque parata erant omnia. præmiſſæ copiæ, his præeſſe debebat Ludouicus Aureliorum princeps:

ceps: quem ut paludatus ad caſtra proficiſceretur, Rex quotidie expectabat. Is diem è die ducere, modo hanc, modo illam cauſam impeditæ profectionis nectere. Verebatur enim longiorem profectionem, cum Regem parum eſſe firma ualetudine uideret, ſeſeq́ꝫ regno potiturum. Re ad conſilium relata, decretum ut is primo quoque die exiret. Is non ſua ipſius querela, at Regio nomine prætorem exiturum ſe aiebat. Itaq́ꝫ commotus huius diſſimulatione Carolus, omnia belli conſilia abiecit, crebrò dictitans, neminem ſe hominem inuitum in caſtra miſſurum, repoſiturus tamen Aurelio, ni priores res eũ ab hoc conſilio auertiſſent. Et tamen ne nihil actum uideretur, miſſus eſt Iacobus Triuultius, qui exercitui præeſſet: & huius quoq́ꝫ conatus uani fuêre nouis occaſionibus uetera cõſilia extrudentibus. Namq́ꝫ eodem tempore Baptiſtinus Fregoſus Friſcorum factione, adiuuante etiam Paulo Fregoſo purpurato Pontificio, patruo, urbe pulſus Genuenſium, ſi expeditæ aliquot cohortes mitterẽtur, quo die ueniſſet, Genuam ſe redditurũ recipiebat. Ita Rex miſsis ad Triuultium literis, iubet parte copiarũ ei data Genuam tẽtet. Eodemq́ꝫ tempore Iulianus Oſtienſis Pontifex, Sauonã quoq́ꝫ Regi pollicebatur, ſi auxilia adeſſent. Huic etiam partem copiarũ ad Sauonam recipiẽdam Rex tradi imperat, uel ignarus ſatis diſtractas copias miſsis ad Genuã cohortibus, uel ſperans utraq́ꝫ urbe ſe potiturũ. Triuultius quo pacto curaret Regis mandata, fideliter exquirebat. Dum uerò tẽpus ducitur, certior factus Sfortia, Genuam miſsis copijs munijt: Gallicq́ꝫ profecti cũ Baptiſtino Fregoſo, dubitare cœperũt de eius fide. Tantum enim abfuit, ut eius præſidio Gallicã claſſem firmarent, ut & à Sauonẽſibus urbe, portu, ſtatione, cõmeatu, aqua deniq́ꝫ prohiberentur. Ita labor hic irritus fuit. Iulianus etiã Cardinalis, Sauonẽſium res munitiores nactus quàm ſperaret, fatigatis nequicquã Gallis, inde ſeſe proripuit. Ita dũ plures ſimul rei bene gerendæ occaſiones miſcentur alterã altera fruſtrata eſt. Triuultius Mediolanenſem ipſum principatum tentare uolebat: in Italiam cupiebat belli molem transferre, in ſede ac ſolo ſuorum: ab his armis, equis, commeatibus, auxilia uentura rebatur: omnia ibi Sfortiæ inimica infeſtàque futura. Et iam aliquot oppidula receperat, cùm in Galliam à Rege reuocatus eſt. Eodem tempore & cum Ferdinando Hiſpaniæ Rege, quod iam antè ſuſpectum fuerat, motum eſt bellum. Qui è Neapoli redierant, auxilia Federico ab eo mitti nuntiarant. Miſsi ſunt qui eius regionem popularentur. ipſe etiam miſit qui Galliam Narbonenſem excurrerent: hi terrore magno illato, agros populati, ad ſuos ſe receperunt. Accenſa utrinque odia. Rex quũm copias coegiſſet, his præfecit Carolum Albonium, cui & Sanctoandreano cognomen eſt, hominem acrem & rei militaris peritiſsimum. Arx eſt Salſarum

(quam

(quam Salſularum nomine ſunt qui putent à ueteribus deſignari) circa Ruſcinonem. Ea ita à Perpeniano diſtat, ut locus alter alteri auxilio eſſe non poſsit. Valido eam hoſtes præſidio tenebant. Ridere hi conſilia Gallorum, qui eò copias admouerant. Sed nihilo ſecius Albonius uineas agere, tormẽta caſtro admouere: & quò loco aquis paluſtribus locus ſeptus eſt, eò etiam hoſtes terrere. Ferdinandus ipſe ad Perpenianum exercitum comparauerat inſtructiſsimum. Sed Albonius inter Salſulas & Perpenianũ loco oportunè capto, diremerat Hiſpanis ſocietatem auxilij mutui: cõtinuataq; obſidione decem horis integris, Salſulæ in poteſtatem Gallorum uenère. Et ſanè eo tempore non erat his mœnibus præſidijsq; locus, quibus hodie, firmatus. Nam tertio poſt hoc prælium anno à Ferdinando ita munitum eſſe; ſuadende Petro Nauarro, qui opus ipſe ex rediuiuo quaſi nouum extruxerit, relatum eſt. Sanctoandreanus cùm ſuadere uellet Regi, ut receptum locum muniret, minimè exauditus eſt, deterrito Rege impenſarum magnitudine. Capti eo loco ex Hiſpanorum nobilitate quinquaginta, multi necati, præda ingens relata. Caieta tandem in hoſtium uenit poteſtãtem, ſed æquis conditionibus: Commeatu, nauibus, pecunia inſtructi, ad ſuos ſe receperũt, Maſsiliamq; appulerunt: unde agitari cœptum eſt de pace inter Ferdinandum & Carolum. Miſit in Galliam Ferdinandus Ioannem Mauleonem ſodalem Franciſcanum (nam hoc hominum genere maximè eum uſum ait Cominius, & Italos pleroſque proceres Corius, quaſi ſpecie religionis in ſpeculis cõſtituti diuina humanis miſcere ſimulatione libera eis liceat.) Cum eo Rex ad Ferdinandum Renatum Clerium & Michaelem Grandimontanum Aquitanum remiſit. hi id agebant cum Ferdinando, ut auxilio eſſet Regi ad Neapolim recipiendam, ipſe partem regni modicam Siciliæ uicinam recepturus. Id illi redeuntes recepiſſe Ferdinandum aiebant: Sed cùm Ferdinandi legati qui cum his redierant, parum hæc ſibi comperta dicerent, remiſsi ſunt ad Ferdinandum ijdem illi, Clerius Grandimontanus & Paulus Bouchagius, rogantes, num hæc pepigiſſet, præſensq; fœderibus ſe adfuturũ certo die edixiſſet. Is de his quidem ſe cum Regijs legatis egiſſe dicebat, ſed tentandi gratia, non quaſi exploratam rẽ aſſerendi: ſanè quàm lubenter curaturum ſe, ut pax cum Aragonijs, Italiſque coeat. Quæ cùm Clerius & Grandimontanus audirent, excanduerunt. Grandimontanus etiam Ferdinando, uenia prius impetrata, palàm dixit, hos ſermones cum prioribus parum congruere: ad quæ ille quaſi non exaudiens, uel quòd uerè non exaudierat, nihil reſpondit. Ita pactæ ſunt in aliquot menſes induciæ. Paulò antea dira ſcabies homines inuaſit tota Gallia, cuius & ſuprà meminimus: cui cùm remedia ut nouo morbo deeſſent, multos abſumpſit. Galli Neapolitanam

ſcabiem, quòd eò redeũtes eam experti ſunt: Itali Gallicam, quòd è Gallia à Gallis ad ſe euectam: rurſus & alij Hiſpanicam, ob Hiſpanorum circa Neapolim appulſum, uocarunt, utroque populo in alterum nomen reijciente. Veteribus olim non ignotam ſunt qui contendant: tam frequentem non fuiſſe certiſsimum eſt. Ac quidam ita prodidere, Hiſpanos ex Indica nauigatione cum Chriſtophoro Columbo redeuntes, ea infectos rediiſſe: iunctosq; poſtea Conſalui copijs, mali contagione ſerpente ſocios infeciſſe. Eſſe porrò apud Indos eũ morbum frequentem, ſed qui facilè ligno Ebeno eoq; quod Gaiacũ uocant, apud eos excellenti, curetur. unde & Indicã alij ſcabiem, in Indiam eã relegantes, uocant. Eſt illa quidem Columbi nauigatio omni laude dignißima, ſed quam Artemidorus & Eudoxus olim deſignarant. Nec minus olim laudati, quos Græci narrant inſulam in Oceanum uerſus meridiem reperiſſe. Iambolus à pueritia eruditus, poſt patris qui mercaturam faciebat mortem, & ipſe mercaturam fecit. Per Arabiam tranſiens ad aromata emenda, captus à latronibus: ac deinde ultra Aethiopiam maritimam ductus, ex more quo exteri expiationis gratia nauigiolo imponuntur, poſt quatuor menſium nauigationem multis actus tempeſtatibus, cum ſuis ad inſulam delatus eſt, figura rotundam, ſtadiorum ambitu quinque millium: cognouitq; inſulæ ritus. Septem quoq; inſulas, ſimili magnitudine paribus interuallis eiuſdem gentis. Nec prorſus fabuloſa Eudoxi illa nauigatio quanquam refellat eam Strabo. Taprobanem ut liqueret inſulam eſſe Oneſicritus præſtitit, cuius Eratoſthenes & menſuram prodidit & uicos. C. Plinius Claudij principatu notiorem factam hoc modo narrat. Annij Plocami qui maris rubri uectigal à fiſco redemerat libertus circa Arabiam nauigãs, Aquilonibus raptus, præter Carmaniam decimoquinto die Hippuros portum eius inuectus hoſpitali Regis clementia ſex menſium tempore imbutus alloquio, percontanti poſtea enarrauit Romanos & Cæſarem. Mirum in modum in auditis iuſticiam ille ſuſpexit, quòd pares pondere denarij eſſent in captiua pecunia, cùm diuerſæ imagines indicarent, à pluribus factos. Et hoc maximè ſolicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit, principe eorum Rachia. hi narrabant Lunam apud ipſos non niſi ab octaua ad decimamſextam ſupra terram aſpici: quod etſi falſò narrârint cum nulla uideatur omni mari inſula quæ eodem quo nos pacto non intueatur Lunam creſcentem atque decreſcentem: C. Plinij tamen mendacium non eſt, at legatorum. Legimus Eudoxum cùm Lathurum Regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum per hoc pelagus, ut C. Nepos affirmat, Gades uſque peruectum: & apud C. Plinium Hannonem per fretum Gaditanum egreſſum, ad Arabiam uſque ueniſſe. Relatæ ab eodem Plinio inſulæ Aethiopici maris plures. Statius Seboſus

boſus Fortunatas inſulas recenſet. Iuba Rex de iis ita inquiſiuit, ut & nomina referret, à quo & Mauritaniæ inſulæ repertę, in quibus Getulicam purpuram tingere inſtituerat. Horum omnium diligentia uicta eſt ætate iſta à Chriſtophoro Columbo. Circa idem tempus inſtitutum fuerat Lutetiæ cœnobium proſtitutarum mulierum ad frugem redeuntium reſipiſcentiumque: indeque ad alias Galliæ urbes manauit. Simile quid olim à Iuſtiniano Cæſare inſtitutum narrat Procopius: & Pius Pontifex apud Vienneſes reſipiſcentibus fœminis dicatum ait fanum, quæ Teutonica lingua hymnos decantent. Harum ſi quæ ad labem priſtini ſceleris redierit, pœnam eſſe in Danubium præcipitationem. Caroli impetus reſederant: certo tamen conſilio Neapolis repetendæ: cum Franciſco Gonzaga & Vrſinis noua inibat fœdera, Florentinis adiunctis, Alexandroque Pontifice ad partes uocato. Veneti quoque acceſſuri uidebantur. Interea dum cautius res meditatur, profectionem iterum atque iterum differt. Ac cùm in eum ſermonem incideret, palam aſſerebat nunc hac nunc illa parte erratum: ſed ſi eò rediret, ſe perfecturum, ut errata prioris profectionis cautioribus conſilijs ſarciret. Caſtrum Ambaſianum magnificè, conquiſitis undique architectis ſolertibus, ædificabat. Cœpit & ipſam Galliam probatiſsimis inſtitutis regere. Ipſe bis hebdomade, omnium querelis auditis, ius dicebat, libero omnibus aditu ad auditorium dato. Nemo fuit quantumuis abiectus, qui non ad prætorium ubi ueniſſet, audiretur. Conſtituerat, magiſtratus Regios ſalarijs auctis, ab omni quæſtu auocare, iure illo etiam ſportularum ſublato. Duodecies centum millia libellarum Turonicarum, nomine tributi à Gallia tantùm quotannis exigere uolebat ad alendas copias. Ipſe ſe familiamque ſuam, omnes etiam aulicos magiſtratus, ex fructibus obuentionibuſque regiorum prædiorum, canonis Regij, aliorumque iurium, alere debebat: quem morem priſcos Galliæ Reges conſeruaſſe ferunt. Sacerdotum ambitionem faſtumque tollere uolebat. Vxorium torum caſte colebat, cùm prius adoleſcentiam uarijs illecebris traduxiſſet. Pater puerum Latinis literis inſtrui noluerat. Ipſe optimos quoſque authores in linguam patriam uerſos didicit. Magiſtratus non niſi eruditiſsimis probatiſsimiſque uiris dedit. Ac ſæpe falſus ab aulicis, qui inde pecuniam extorquebant, ad Senatorium gradum neminem admiſit, qui non ab ipſo Senatu nominatus lectuſque eſſet. Nec temere nouam ullam ſanctionem propoſuit, quæ non à Galliæ curijs prius probata diſcuſſaque fuiſſet. Ferebatur gloria, flagrabat cupiditate iuſti triumphi, cupidus laureæ & nominis illuſtrandi, omnia apud eum lauta, elegantia, exquiſita: gibbo deformis, oculo peto, at ingenio acuto. Cum audijſſet Græca Iuſtiniani ſanctione cautum, ne quid abſenti Epiſcopo exec-

ex eccleſiæ redditibus mitteretur, at id uerteretur in alios uſus eccleſiæ, cogitabat de ea lege renouanda. Sed hæc conſilia interpellata bello refrixerant. Tanta indole Princeps, repente ſublatus eſt. Nam quodam die ex cubiculo uxoris prodiens, una cum ea in ambulacrum apud Ambaſiam ſubſtitit, ut qui in caſtro pila ludebant ſimul ſpectarent. Atque ibi orto ſermone cum Ioanne Epiſcopo Andegauenſe de prioris uitæ erratis, ita ſibi futurum propitium Deum obteſtabatur, ſi non ſperaret poſthac futurum, ut Deum neq; culpa ulla piabili, neque expiabili, quoad eius fieri poſſet, offenderet. Hęc dicēs mox auerſus corruit, hora diei poſt meridiē ſecunda, iacuitq; ad horā noctis undecimā, qua cùm uox eū defeciſſet, expirauit. Sed cum ad ſe redire uiſus eſſet, extrema hæc uox tertiò audita eſt, Deū ſacrāq; Virginem implorãtis. Vbi primū corruit, in uicinū ambulacro cubiculum, quo nullū toto caſtro ſordidius erat, perductus: ubi caſu non culcitra, nō torus linteo ornatus. Palearium tantùm aderat linteis ſordidis ſubſtratū. Atq; ibi is cui tot caſtra ornatiſsima, tot urbes florentiſsimę parebant, animam egit, magno ſui deſiderio apud omnes relicto, annū agens uiceſimum ſeptimum, cùm regnaſſet annos quatuordecim: magnificeq; ad Dionyſij Pariſiorum ſepultus eſt, ſepulchroq; maiorum illatus. Ipſe pendebat à quibuſdam aulicis qui apud eum omnia poterant: quales fuere Stephanus Verſius, Gulielmus Briſſonetus Cardinalis, Burdelotus Caſtilloneus, Lingnius, Florimūdus, Robertetus, & Ludouicus Poncherius, ille Regi à ſecretis, hic quæſtor: Ludouicus Grauillus Tribunus maritimorum. Sed tamen è Neapoli reuerſus res acutius explorabat. Extinctus creditur attonito ſtupore, eoq; morbo quo pariter nerui tum ſentiendi, tum mouendi uim amittunt. & multis antè menſibus ſigna morbi apparuere: purgationeque indigere eum Regij medici tres cenſebant, uno diſsidente, quem indoctum reliquis erudiſsimis Rex præferebat. Iuſtis etiam Caroli manibus peragendis dies eſt dicta. Ex Ambaſia corpus elatum, procerum Gallicorum magno comitatu, ſolennibusq; his adhibitis quæ parentalibus Regum celebrandis adhiberi ſolent. Nam Ludouicus eū quam ampliſsimè, ſupremo die ſuo efferri uoluerat. Tres adfuerunt ex Purpuratorum ordine, Gulielmus Briſſonetus, Philippus Luxemburgus, Ioannes Peraudus. Vbicunq; corpus repoſitum eſt, tantus fuit lampadum, luminumq; ſplendor ardere, ut ſacræ ædes uideretur: quod & toto itinere accidit. Simulachrum uiuum, quoad eius fieri potuit Carolum referens, elatum eſt. Laudatio ei dicta eſt à Ioanne Bellouiſo Andegauenſium Pontifice. Erat is Regi à ſacris confeſsionibus. Multus hinc de ipſo Carolo ſermo, pleriſque inopinatam mortem mirantibus, breuitatem uitæ atque Regni laudi uertentibus, qui adoleſcens ea confecerit, quæ pauci diutiſ-

ſimè

ſimè regnantes aſſecuti ſint. At apud alios uita eius uariè laudabatur, reprehendebaturúe. Aditum quidem paratum ab eo in Italiam, magno nominis ſplendore, nullo Regni commodo: quem ſi cæteri Reges æmulari contendant, & armis & pecunijs & hominibus exhauſturi breui ſint Galliam; Italis proceribus alijsq; exteris bellum ex bello ſemper ſerentibus & augentibus; priuatorum commodorum gratia. Pro tot theſauris congeſtis in Neapolim uitia inde ſatis ſuperq; relata. Inuectum Carolum in Neapolim uictorem, cum inſigni illa Laurea. At hoſtes triumphaſſe decore Gallico conuulſo: expugnatas eorum arces. At Francos genus hominum optimè moratum, modeſtiſsimos mores ea expeditione exuiſſe, dominatum eos accepiſſe Neapolis. At in clientelam impegiſſe delitiarum factusq; exteri & Campani. Sanè eum obſequentiorem fuiſſe aulicis quàm deceret. Repudiatam Maximiliani affinitatem ſpe Britanniæ regno adijciendæ. Vanam ſpem fuiſſe nullis relictis liberis. quanquam quæ hic Regni utilitas, cùm fœdere matrimonij diſertè Britanni cauiſſe, ſe uanè tamen iactitàrent, ut ſi duo inde liberi ex eo matrimonio nati eſſent, ſecundus Britanniæ imperaret. Conferebant prudentes huius imperium cum Ludouici undecimi patris imperio. Illum, proceribus Gallicis uarijs artibus circumuentis, Ioannem Armeniacum apud Lectorem fide data necari iuſiſſe, ſororis inceſtum pretexentem, cum qua illum nunquam nuptias contraxiſſe ueriſsimum erat. Inceſtum, ſi fuerit, expiatum ſanè longo ante tempore, condonatumq; à Pontificibus fuiſſe. Nihil hic diplomate Pontificio opus fuiſſe; cùm alij Pontifices culpam expiaſſent. Carolum fratrem ueneno per familiares ab eo ſolicitatos ſublatum, ut inuidi, aut Burgundiones iactictabant. Circumuentũ Burgũdionem, hoſtibus pecunia ſuppeditata, militeq; per ſpeciem miſsionis dato: Proſcriptam ab eo nobilitatem. Inde populum aucto tributo fatigatum. Senatuum magiſtratuũ, legum munia in illum unũ tranſlata.
,, Vt ueriſsimè iocari ſolitus ſit, ſe demum Rege Gallicos Reges
,, ex ephebis exceſsiſſe: à ſeq; è pueritiæ diſciplina in ueri principatus, ſplendorem eductos. Ludouicum, cùm poſſet Caroli Burgundi hæredem filiam Carolo collocare, id neglexiſſe pudendo errore, qui harum familiarum tot ſeculis manſuras controuerſias ſedare potuerit. At Carolum ducta Anna Britanna maximè promouiſſe res Gallicas. Contrà, huius mitia fuiſſe imperia, qui etiam tributa minuere uoluerit, magnũ ſui deſiderium apud omnes reliquiſſe, quem aulici plebs, nobilitas, omnes ordines ut parentem pium lugerent. Et cæterorum quidem dolorem dies paulatim minuebat: Anna regina pannis pullis, uittisq; obſita (tametſi pannis albis Reginæ Gallicæ Reges lugere ſolitæ ſint) ita miſerè lamentabatur, ut cibo & ſomno integros aliquot dies abſtinuerit:

unamq́ eam uocem ſolantibus ſe emitteret, mariti ſibi iter ſequendum. Angebat ea cura Ludouicum Aurelium. Vocari ad ſe Gulielmum Briſſonetum Cardinalem iubet: eumq́ partes Reginæ conſolandæ ſuſcipere uoluit. Erat is unus ex omnibus minimè ad eam conſolandam accommodatus, qui tantum doloris ex Caroli morte receperat, ut conſolatione ipſe egeret. Fuerat is adminiſter uoluntatum regiarum. In quotidianis relaxationibus ad Regis naturam & mores ita aptus erat, regnare ut ipſe cum eo uideretur. itaque multis opibus eum Rex dignitatibusq́ ornarat. Seu ſeria tractaret, ſeu ludicra, Briſſoneto acquieſcebat: adeo eos inter ſe morum ſimilitudo coniunxerat. Ioannes Mara Condomienſium Pontifex, homo & ſapiens & ſanctus & eruditus, Briſſoneti opera, adnitente etiam Alano Alebreto, Pontificatum Condomienſium adeptus fuerat. Is Briſſonetum ueluti cliens obſeruabat: neque ab eius latere eo ſane tempore diſcedebat. Sed in Ioanne Mara elucebant præclara uirtutis, eruditionis, religionis, liberalitatis in egenos, in Deum ſingularis pietatis ornamenta: ex quibus totum ſe expendebat, mortalia cætera & caduca cenſens. Ille ueluti cœleſtem ciuitatem incoleret, in omnibus ſuis factis, dictis, cogitationibus, nihil præter diuina præcepta intuebatur: perfectus in literis: ſacrarumq́ rerum iam ab adoleſcentia traditam tenuit diſciplinam: ſumma orationis & elegantia & acrimonia. Atque hæc omnia, uitæ decorabat modeſtia & integritas. Cum eo ſolo Briſſonetus ad Reginam conſolandam profectus, thalami ſui angulo humi iacentem mœrentemq́ inuenit. At illa comite Regio familiareque uiſo, acerbius eiulare cœpit, reijciens ſe in eum flens quàm miſerrimè. Incipiebat colligere Briſſonetus rationes aliquot, quibus eius dolorem minueret. At cum illa fleret uberius, homo miſericors ferre non potuit: ac nihil præter lachrymas reddidit. Ita & Cardinalis & Regina multum ſimul lachrymarum effundebant. Hæc Mara intuitus, cœpit Reginam hac oratione conſolari, eo libentius auditus, quòd ob uitæ ſanctimoniam Reginæ commendatus erat. Mœrentem te mariti mortem Regina, non eſſe reprehendendam arbitrabar. Pudicarum eſt id mulierum, & quæ ægre à maritis diuellantur: & quo magis pudicitia cæteris excellis, eo maiorem luctum, uberiores lachrymas adfuturas uidebam. Quòd autem ita angeris, ut & conuictum & conſuetudinem priſtinam reieceris, & cibo aliquot iam dies ſomnoque abſtinueris: planè oſtendis, mole te doloris obrutam, fatum tibi accelerare, & adhibuiſſe in conſilium cogitationum tuarum, deſperationem: quo uno & manes mariti offendis, & Dei Opt. Max. iram implacabilem in te prouocas, niſi ab ea ſententia dimoueri te patiare. Amiſiſti maritum: morte illius perturbaris. Quid eſt quòd eo nomine querare? Eſt ille dolor

lor communis tibi cum omni nobilitate aulica. Maritum autem ſi ea lege tibi Deus Opt. Max. dediſſet, immortalis ut immortalitatem tibi etiam adferret, ereptum tibi dolere debebas. Quid ei accidit, quod non omnibus nobis immineat? Vt non commouemur cum inquilinum poſt conſtitutum tempus domo locata migrare uidemus: ita nec moueri æquum cum diſcedere uidemus homines ex hac uita, cum commorandi certos Deus terminos circunſcripſerit & definierit. Quæ res mihi dolores hoſce leuare ſolet, lubenter tibi commemorabo, ſi forte eleuare eadem res tibi tuos mœrores poterit. Sæpe intueor tumulos priuatorum, buſta Regum. Denique in eum ipſum locum progredior, quo undiq; mixti iacent omnium cineres, atque oſſa hac illac diſperſa: quem in locum progreſſus, defunctorum tumulis ſolitus ſum nullo ſtipatus comite inambulare. Hæreo eo loco: defigo oculos in oſſa, deinde mecum: En illæ manus quid attrectarunt? hi pedes quo abierunt? hoc caput quantos ædificauit cogitationum montes? Crede mihi, cogitatione ea non leuiter afficior. Miſera uero ſors hominum, Si quo illa oſſa reciderunt, uon te peruenturam cenſeas, ſtulta es: ſi cenſeas, miſeranda: ſi negligas, parum ſana. Attamen hera ſi naturam animæ à Deo nobis datæ excuſſerimus, nobiſcumq; reputauerimus tranſitum ex infelici hac uitæ conditione ad aliam commodiorem fieri per mortem, profecto ſalutare uiaticum nanciſcemur, quod nos in tranquillitatem ueram animi perducet. Dolere te dixti, ea ætate, eo in te amore, ea animi magnitudine Regem quod amiſeris. Vide uero ne tua ipſius cauſa tot lachrymas profuſas ipſe etiam indignetur, qui immortalitatem illi inuideas. Nam illius quidem gratia nihil eſt quod te excrucies. Neque ipſa opinor laudâris mercatorem qui decoxerit: nec qui depoſitum inficiatus ſit: quid igitur depoſitam creditamque uitam à maximo negociatore Deo, ac Carolo precario conceſſam cum ſuo ille iure repetierit, reſtitutam doles? Quid eſt quod illius cauſa excruciet te tuus dolor inteſtinus? Nihil accidit illi incommodi. quid enim accidere incommodi ei potuit, cuius uita Deo gratiſsima erat: niſi tu quidem ex mortalitate ad immortalitatem, ex terreſtri habitatione ad cœleſtem, ex turbulenta uita ad pacificam, ex tenebris ad lucem traductum grauiter ferre uideris. Ac ſi tu Regina ea eſſes, quæ nullis unquam fortunæ fluctibus agitata eſſes, culpa fortaſſe effuſis tantis lachrymis uacares. At enim cum ita uixeris, ut fortunæ diu proſperæ neſcio quid mœroris ſemper incurrerit, & in longo tempore fœlicitatis, magnis interim ſis icta uulneribus, patris morte, tuorum cæde, trium liberorum funere: maritum tuum abſentem in longinquam expeditionem profectum uideris paruo comitatum millite, lectiſsimis copioſiſsimiſque hoſtibus milibus occurriſſe audieris; in manum hoſtium ueniſſe, aut extrema

paſſum

paſſum, iterum atque iterum rumore ab hoſtibus conficto audieris: hæc, inquam, quum magno antea animo tuleris, repente tot angoribus partam laudem effluere uno hoc incommodo addito, ſines? Ne Regina, ne hera, hæc commiſeris alieno hoc maxime tempore, quo populus conſtantiæ magnitudinisq́ exemplum memorabile à te expectat: tantum abeſt ut tibi in mentem quicquam ueniſſe putet de morte tibi ipſi acceleranda. Atque equidem ni uetus eſſet opinio, ut medici dum ægrotant, alijs ſe potius curandos exhibeant, quàm ipſi ſeſe curent, ipſa quin permitterere tuæ prudentiæ, nemo eſt quin ſtatuiſſet, eorum quidem certè qui te & acumen ingenij tui norunt, uitæque tuæ moderationem. Id quando moribus non eſt receptum, des te amiciſsimo Regi neceſſe eſt conſolanti, neque diutius in luto impatientiæ hæreas. Nullus quidem tardè eò properare poteſt, unde nunquam cum ſemel peruenit, reditus pateat. Quid fatum te accelerare iubet inteſtinus tuus dolor? Lege ea omnes nati ſumus, ut exuere ſemel neceſſe ſit mortale hoc corpus. Parce dolori: & lachrymæ finem teneant, & gemitus ſingultuſque tandem aliquando faceſſant. Omnibus horis in mortem ipſam ruimus, quantumuis ea differre uideatur iter ad nos ſuum. Retinenda anima à Deo Opt. Max. data cuſtodiæ corporis, nec iniuſſu eius cuius iuſſu data eſt ex hac ei uita migrandum, ne munus ab eo aſsignatum defugiſſe uideamur. Rex ipſe Ludouicus ut afflictam te ſuo nomine conſolaretur Briſſonetus, iuſsit. At illi accidit quod Polo, ut uerum dolorem, ueras ipſe lachrymas effunderet. Vtrosq́ obteſtor per ſacrū Dei nomen, ne uos ipſos, ne ueſtrorū de uobis ſpē fallatis. Ne lachrymis aſsiduis ueſtras duplicate ſolicitudines, Exhibete uos Carolo qualem eum uelletis uobis exhiberi. ſi prius fato eſſetis functi, cuperetis eum uacare dolore: uelletis lætiſsimè de uobis & ſentire, & loqui: ita illi res illius geſtas, comitatem, animi magnitudinem laudantes, rem eſtis gratiſsimam facturi. Vidimus uos proſperam fortunam ferre modeſtiſsimè: facite aliquando intelligamus, aduerſam quoque uos æquo animo ferre, ne tot uirtutibus hanc quaſi languoris maculam aſpergatis. Quod quidem ſi ueſtrorum ueſtraque gratia minus adduci poteſtis ut efficiatis, at Regis ipſius precibus donetis, Regis ipſius ſuperioris & Dei præceptis etiam obtemperaturi, cui prorſus aſsidui iſti languores diſplicere ſolent. Hæc ille cum dixiſſet: uocatique miniſtri recreandæ defectionis cibum afferrent, illa ſecundo poſt mortem mariti die cibum ſumpſit: cœpitque aliquid ex priſtino dolore remittere. Tantumq́ deinceps pij illius Pontificis, & bene morati apud eam ualuit oratio, ut abſterſerit eas moleſtias, & à deſperatione ad ſalutem traduxerit Reginam, placaritq́ eam, quam immenſa uis doloris abſtraxiſſe à ſenſu mentis uidebatur. Ferunt Hieronymum Ferrarienſem

ſodalem

ſodalem Dominicanum, cuius reſponſa Florentini pro oraculis habebant, & Caroli in Italiam aduentum & proſperum reditum, mortemq́ illius prædixiſſe. Hunc quod eſſet Gallorum ſtudioſior quàm alij uellent, à Florentinis adnitente Pontifice quaſi uiolatæ perſuaſionis reum damnatum: alij cùm impoſturis plebem falleret, & Auguris diuini nomẽ aucuparetur, iure cæſum uolunt: certè ad temperantiæ & ſobrietatis laudem, doctrinæ & ingenij gloriam adiecíſſe eum nemo diffitetur. Raphael Volaterranus Carolum ut bardo ingenio & ſuperbo inceſsit, reliqui omnes exteri ſcriptores (uno excepto M. Sabellico, cuius hiſtoria omnis unde libet conſumpta eſt) in culpæ reprehenſionem, & uituperationem Gallicam: & humanitatem & liberalitatem, & reliqua animi Regeque digna ornamenta huic tribuunt: quæ nec diſsimulant Itali, qui patria Italicaq́ lingua hiſtoriam ſcripſere, ea planè diligentia & fide, ut reliquos omnes ſuperaſſe uideantur. Narrant in reditu direpta urbi uirginem, in qua erat forma & ſpecies liberalis, uim militum fugientem, ſtratam ad illius pedes, exarſiſſe mox eum in eam, ſeductamq́ lectulo mox collocatam in eam cum inſiliret, aſpecta tabula ubi diua uirgo puellum geſtabat, oratum Regem à uirgine per intactam illibatamq́ diuinam Matrem, integra redderetur ſponſo, Regem uim lachrymarum profudiſſe, compreſsiſſe & conſtrinxiſſe uoluptatem, quæ ſe iam profundebat & eliciebat: intactam uirginem ſponſo quoque captiuo liberato reddidiſſe, dote conſtituta de ſuo quingentorum nummûm aureorum liberatis unà ſponſæ omnibus proximis & affinibus.

FINIS LIBRI TERTII.

ARNOL.

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Tertius.

POSTEAQVAM proceres Gallici more Regio iuſta Carolo fecerunt, elatusque ille magna hominum & ordinum frequentia, deſiderium ſui apud Gallos reliquit: non diu de Rege nouo creando deliberatum eſt. Lege enim Gallica ad LVDOVICVM VALESIVM Aureliorum Ducem, regnũ redibat. Is mox Carolo mortuo, in exequijs parãdis reliquisq; Regijs muneribus obeundis regnare ſe oſtendit, nullo neque aduerſante, neque regno minus idoneum cõtendente. Itaque coacto conſilio Remos petens ungitur. Præſto Regi adfuere ad infulas regni accipiendas, Ioannes Alenconius, qui partes Ducis obibat Burgundiæ: Petrus Borbonius pro Duce Normaniæ: Renatus Lotharingus pro Duce Aquitaniæ. Philippus Raueſtanus pro Comite Flandriæ: Gilbertus Cliuenſis pro Comite Campaniæ. Poſt Carolum funere elatum, aulicos proceres humaniſsimè affatus, conſilia ſibi capeſſendi egregiè regni retulit, neminem ſe eorum qui Carolo militaſſent exauctoraturum: magiſtratus aulicos eodem ſe quo prius loco habiturum. Eaſdem eos mercedes, eadem ſtipendia accepturos. Adhæc, formam futuri regni præſcribens, iudicia ſe eorum peritis permiſſurum: militiæ ſe conſulturum oſtendit. Iudicum etiam decuriam aliam ſtatuit, ſupremi ei Conſilij nomen impartiens, ad quos hæ controuerſiæ referrentur, quę ob potentiũ hominum in Senatu nimium gratioſorũ factiones, periculoſè tractarentur in Senatibus. Sed horũ potentia paulatim gliſcens, eò erupit, pertractis auocatisq; omnium controuerſijs, & his qui iudicia differre ob potentiam uolunt, eò accurrentibus, recognoſcentibusq; illis ſupremi ordinis placita resq; iudicatas peſsimo exemplo: reipublicæ ut Gallicæ magnam inde illatam calamitatem uideamus. Ammianus Marcellinus Valentiniano Cæſari uitio aliud datum ait, idque diſsimile. Si quis enim adijſſet eum, iudicium gratioſi & potentis inimici declinans aliumque poſtulans dari: hoc non impetrato ad eundem quem metuebat, licet multa pretenderet iuſta, remittebatur. At Galli-



Gallici Reges cauerunt optimè ne eo nomine dica eis ſcribi poſſet: Carolus Octauus prius eã decuriam aulici cõſilij uidebatur inſtituiſſe. Fine æſtatis turbidis rumoribus prorupiſſe Germanos Maximiliani auſpicijs in Burgũdiam, allatũ eſt. Ludouicus eò cõhortes aliquot cũ Ioanne Fuxeo miſit, quæ hoſtiũ impetus arcuerunt. Sperabant omnes tali Rege nihil nõ feliciſsimè Gallis ſucceſſurũ: nec immeritò. Vicit omnium ſpes, nuſquam Gallorum res neq; feliciores neq; potentiores quàm eo Rege, etſi procellis fortunæ ſine regni agitatus curſus proſperarũ rerum intermiſſus uideri potuit. Agebat annus impartitę nobis ſalutis M.CCCCXCVIII. quo tempore Ludouicus admouit animũ ad forenſium cõtrouerſiarũ innumerabiles gyros aperiendos: multaq; ſancijt, quę ad earum breuitatẽ iudicumq; moderationem pertinent. Inde cùm ſtudioſi prætextu priuilegiorum mirè plerunq; alios uexarent, leges promulgauit, quibus pleraq; moderatus eſt, fraudesq; eorum repreſsit. Neq; uerò tantum hęc unius alteriusue conſilio ſtatuit: ſed prudentiſsimorum quorumq; adhibito conſilio, quos eiuſce rei gratia ut ad ſe euocauit, aut aulicis negotijs occupatos conſilijs adhibuit. Nec temerè aliquid edicto ſancijt, quod non eruditorum quorumcunque uirorum è Galliæ Senatibus delectorum iudicio prius confirmaretur. At Pariſienſis Academia interceſsit promulgationi conſtitutionum, quas in ſe latas uidebat: Resq; parum abfuit à ſeditione proponentibus multis famoſos libellos in Regem ipſum, & Guydonem Rupifortium ſummum iuris præfectum: remq; ipſam concionatoribus palam exagitantibus, diuinarumq; rerum peritis libertatem amiſſam deplorantibus, niſi Rex gliſcentem ſeditionem uarieq; ſerpentem Lutetiam ueniens extinxiſſet, nobilibus hominibus (ut ſunt interdum ſtudioſis parum æqui) ridentibus, optatiſsimumque ad ſpectaculum ringentibus. Angebat alia cura Regem. Nam Anna Carolo prius nupta Britannorum principatum ſecum auferebat. Viſa res eſt grauiſsima, & quietem Gallicam cõuulſura. Adhibito intimorum conſilio, de repudianda Ioanna Valeſia uxore, Caroli nuper Regis ſorore, conſilium inijt. Huic uni uitam acceptam & captiuus & odio apud fratrem flagrans Ludouicus debebat. Repudiaretne Regis ſororem? & eam ſororem cui tantùm deberet? Quid ſi proceres Gallici grauiter id ferant? Hæc aliquantulum agitata torſerunt Regem. Deniq; populus uxorem cui tot annis Rex aſſueuit, repudiari quo tandem pacto augurabitur? Vicit aliorum ſententia, qui & metu cum Ioanna contractum matrimonium, & conteſtationibus eo tempore adhibitis id conſtare, neque fœdere ullo naturali contractum aiebant aſſerante id Ludouico. Maligni rerum æſtimatores uariè id eius factum inceſſebant: Quaſi aiebãt, uero id eſſe ſimile poteſt, cùm Regi Carolo tres eſſent liberi:

cùm

cùm mœrens uxor captiui uitam à fratre multis lachrymis impe- «
traſſet, metum ſi quis initio adhibitus ſit, nunquam purgatum? «
nullum mariti officium in tam bene de ſe meritam uxorem ab eo «
collatum? cubantem unà, ex illius complexu æque diſceſsiſſe atq; «
aliam mulierem amplexantem pari amplexu non acceptam? deſi «
derij eius expectationem non expletam? non pellectum animum, «
non mitigatum tot lachrymis, quas profuderant uxoris oculi pro «
marito liberando? Ad Pontificem itum eſt Romanum. Is erat Alexander VI. Borgiæ filij extollendi auidiſsimus, omnesq; etiam quærens occaſiones ampliandi ei imperij. Ac ratus Ludouici amicitiam ad eam rem aptiſsimam, iudices ei dedit. Hi fuere Philippus Luxemburgus Cardinalis, Ludouicus Albigiorum Pontifex, Ferrandus Septenſis epiſcopus. Hi tandem diſſoluerunt lata ſententia matrimonium: eoq; factum eſt, ut Rex Annam Caroli uxorem cum Britannorum principatu acciperet. Ac ne ingratus in Ioannam uideretur, ultro ei Biturigum principatum iure fraternæ ſucceſsionis debitum detulit. Ea fuit eximia pudicitia & integritate, cæleſtis uitæ ob morum ſanctitatem, quędam ueluti exempla uiuens nuſquam non præbens. Ac tantum abfuit ut repudium ægrè ferret, ut ſe plerumque magno onere leuatam prædicaret: humanasque cogitationes ſpesq; auerſata, ad diuinas animum tranſtulerit. minis quidem & metu patris putarunt initum matrimonium, cùm & Rex perſancte iuraſſet nunquam eam à ſe habitam uxoris loco, idq; apertè prioribus illis conteſtationibus detegeretur. Noua regina nouis magnisq; plauſibus iterum excepta eſt, Britannorum nobilitate haud ſatis æqua, cùm interim in Galliam deuolui eum principatum uidebat. Rex ubi primùm ex animi ſententia regni res compoſuerat, totus & animo & opibus in bellum Mediolanenſe inſiſtere cœpit, Valentinæ auiæ nomine principatum Mediolanenſem iure ſibi delatum hæreditario contendens. Nec uerò Ludouicus Sfortia, quin magnum bellum à Gallo impenderet dubitabat. Audierat ad Alexandrum Pontificem Romanum, ad Maximilianum Cæſarem, ad Venetos, ad alios Italiæ regulos, miſſos legatos. Germanorum expeditam manum ad fines tutandos acceſſierat. Maximiliani affinitate fretus erat. Iam Veneti nouo Regi gratulatum uenientes, ad bellum eum accenderant, opem ei ultrò ſuam deferentes. Ac tandem ſecretis pactionibus cum Rege initis, cùm Cremonam ſibi à Mediolanenſibus iniquè ereptam dicerent, ut Cremona eis cum multis alijs oppidis cederet, fœdus cum Rege paciſcuntur. Philippus Auſtriacus Maximiliani Cæſaris filius, Burgundiam petierat. Nec hunc ipſum irritatum, Rex ad Mediolanenſe bellum profecturus, relinquere uolebat, ultrò citroque legatis miſſis, adnitente Ludouico Borbonio Vindocinenſi. Cū obſequium

ſe præ-

ſe prǽſtaturum rerũ urbiumq́ quas beneficiarias à Gallo tenebat, profiteretur. miſſus eſt ad Atrebates Guydo Rupifortius, qui iurantem in uerba Regis ut beneficiarium admiſit: & quædam quæ ablata maioribus ſuis querebatur, reddidit. Ita uacuus reliquis curis, toto animo in Mediolanenſe bellum Rex incubuit. Excitabat Regis uoluntatem Ioannes Iacobus Triuultius: qui quo odio apud ſuos flagraret Sfortia, & quam eſſet inops, & ab amicis, & æſtimatione, & quàm leuiſsimo momento fugaretur, oſtendebat. Hunc iampridem factione Mediolano pulſum, & Carolo militantem Rex nouerat: ſibique egregiam nauaſſe operam ad Nouariam meminerat. Itaque & præmiſſus eſt ad res tentandas, & parti copiarum præpoſitus. Paulo antea uenerat in aulam Valentinus Borgia, Alexandri Pontificis filius. Hunc Rex magnifice ſuſcepit: atq; ita ſibi deuinxit, ut poſthac ſemper magnifice de eo & ſentiret & loqueretur. Cumq́ relicto prius galero illo ſacro purpureo, affinitatem quæreret ex aulica nobilitate, quam uellet ſumendi optionem propoſuit. Elegit is Carlotam Fuxeam Alebreti Alani Aquitani principis filiam. Erat Alebretus Ludouico parum gratus ob fidem olim uiolatam ad Britanniam, dum priuatus bellum moliretur in Carolum: nec filiam extero homini credere uolebat. Miſit igitur in aulam Ioannem Caluimontanum, qui nuptias eas diſſuaderet, hominem ſummo acriq; ingenio. At is rationibus Regis adductus, & priuſquam ad Alebretum ſe reciperet, donatus à Rege conſiliarij Regij apud Burdigalæ Senatum magiſtratu, facilè Alebreto perſuaſit è re ſua eas eſſe nuptias: atque ut maxime non ſint, quicquid id eſſet moleſtiæ, concoquendum. hanc unam ſupereſſe rationem, qua in gratiam Regis rediret. Ita data illa uxor Borgiæ: easq; nuptias ille cupidiſsime eſt amplexus, tum ob uicini principis Alebreti Francicq; affinitatem, tum ob uxoris formam eximiam pari morum & probitate & ſuauitate conditam. Huic præter dotem paternam, Valentia nobilis ciuitas, donec ſupereſſet, ducatus titulo inſignita, data eſt. Ipſe Cæſaris nomen accepit, crebro iactitans, uexillisq; adſcribens, aut Cæſarem aut nihil ſe futurum. Rex peditum uigintiquinque millia contraxerat, equitum ſex millia. exercitui præfecit Ebrardum Stuardum Aubignium, Ludouicum Luxemburgum Lignium, Ioannem Iacobum Triuultium, tres uiros rei omnino militaris peritiſsimos. Poſt Alpes ſuperatas, duo oppidula, Nomum & Roqua, Sfortiæ copijs firmata, Gallos excluſerunt. Aubignius, Nomum cum militibus inuadens, primo impetu cœpit: Roquam Triuultius, quod firmiori prǽſidio teneretur, Luxemburgo ſuos ſubmittente, expugnauit: utrunque oppidulum & incenſum & direptum eſt. Inde in Alexandriam itum eſt. Ea firmo præſidio tenebatur, utpote in quam primos bel

li impetus peruenturos Sfortia ante uidiſſet: eoq; miſerat Galeatium Seuerinatem. Galli qui primam oppugnationem hortatu Luxemburgi cepere, ab hoſtibus, multis cæſis, depulſi ſunt. Triuultij conſilio res cautius tentari cœpta eſt. Fama eſt, cum Galeatio actum de urbe relinquenda literis falſo ſubſcriptis Sfortiæ nomine. Sequenti die admotæ machinæ bellicæ magnam muri partem deiecerunt: totaq; nocte leues aliquot machinæ admotæ, hoſtibus ſomnum exemerunt, nocturnam uerentibus oppugnationem. Galeatius ex urbe è muris dilapſus, ad Ludouicum Sfortiam peruenit, metu res Gallorum, ne forte ignauia urbem reliquiſſe diceretur, auges. Vrbs uacua duce ſibi non defuit. Galli undiq; urbem oppugnantes, tandem expugnarunt: nec ſine ſuorum ſtrage tamen. Sæuitum eſt in Sfortianos: à ciuibus temperatum. Mœnia ſtrata. Dertona mox ab Aubignio recepta eſt. Papienſes Alexandrinorum caſum ueriti ultro deditionem fecere. Sfortia eo tempore Mediolani cùm eſſet, Venetis parte alia urgentibus, Gallorum aduentum, fretus Germano milite, expectabat. At fama tot breui urbium amiſſarum territus, ſibiq; ipſi conſcius quantum grauiter plebs dominatum ferret, ueneno ſublatis nepotibus ueris Mediolani hæredibus, territus etiam Galeatij aduentu, qui cataphractorum Gallorum equitum inſignem uirtutem referret, mutato conſilio ſolum uertere ſtatuit, ad Maximilianumque Cæſarem proficiſci, ratus ob affinitatem, & copias & uires inde ſibi adfuturas. Inde Comum, mox Lario lacu tranmiſſo, in Germaniam profugit, præmiſsis antea eo liberis, cum magna auri argentiq; copia. Mediolanum propter urbis uaſtitatem non munierat. Arci Bernardinum Curtium præfecerat. Poſt Sfortiæ fugam, Mediolanum in Gallorum uenit poteſtatem. Rex à ſuis admonitus, poſt ſupplicationes paſsim decretas, Mediolanum adijt: ubi publicè magno omnium plauſu exceptus eſt. Arcem quæ ui expugnari non poterat, Triuultius auro expugnandam aiebat. Vocatus ad colloquium Curtius, qui toto triennio arcē facilè defendiſſet. Triuultij opera auro expugnatum eſt. Tradita ei decem millia nummûm aureorum, maiorq; & elegantior mobilium pars quæ in arce erant. Genua mox in Gallorum uenit poteſtatem, Baptiſtini Fregoſi opera: eiq; præfecit Rex Philippum Raueſtanum, Fregoſi tamen conſilio res Genuenſium moderaturum. Venetis quoq; Cremonam, cum aliquot oppidis quæ circa Abduam ſunt, ex fœdere reſtitui Rex iuſsit: etſi pignoris tantùm iure debitam ſibi contenderent: facileq; quicquid id eſſet æris alieni diſſolui poſſet. Sed & fœdera initia ſeruanda erant, & illi tam potentes quouis pacto ad Gallorum amicitiam alliciendi. Interea dum Mediolanenſium reipublicæ res diligentius obſeruat, animaduertit Mediolanenſes tributorū mole nimium fatigatos. Tributa igi-

tur ad

tur ad mediocrem uſq; modum minuit, uſus ea in re conſilio Guydonis Rupifortij iuriſpræfecti, Georgij Ambaſiani Cardinalis, & Iafredi Caroli, quem præſidem Senatus Mediolanenſis conſtituit: quorum conſilio, pace poſtea undique parta, tributa tota Gallia magna ex parte remittere uoluit: remiſiſſetq;, ni Venetum Pontificiumque bellum ad maiores eum impenſas traduxiſſent. Fine etiam regni, Iulio Pontifice Romano, Henrico Britanniæ Rege, Cæſare Maximiliano, Heluetijs, Ferdinando Aragonenſi, omnes Galliæ partes uno eodemque tempore inuadentibus, nunquam auxit tributa, nunquam aulicos militaresque magiſtratus, Senatusq; Gallicos ullis ſtipendijs fraudauit. Tantum ſex menſium ſtipendia diſtulit, quę ipſa fine anni ſimul perſoluta ſunt. Neminem eorum qui antea Sfortiam ſecuti eſſent, in ius uocati, à militibusq; laceſsi edicto uetuit. Si quos nobili ortos familia patrimonia diſsipaſſe inuenit ob priorum temporum tyrannidem, bona ſi quæ fiſco addicta fuere, eis reſtituit: ſi minus, pecunia erogata ne poſſeſſores antiquos in ſe concitaret, nouos fundos nouasq; arces uenales ſi quæ inuentæ ſunt, comparauit. Gregarium quendam militem cùm Claudius Sayſellus (quem poſtea Pontificatu Maſsilienſi donauit) è familia Franſciſci Philelphi ortum diceret, cùm literatum crederet, annuo ſtipendio iuuare uoluit. Eo militiam præferente, in militum gradum honeſtiſsimum, ueſtibus, equis, armis, pecuniaq; inſtructiſsimum, adſciuit. Eo quo magis popularia uiderentur imperia, Galliam repetiturus, Iacobum Triuultium Mediolanenſem, Mediolani prætorem conſtituit. Andream Quintinum Scotum arci Iouis præfecit, hominem rei militaris peritiſsimum & uigilantiſsimum: arcis alterius cuſtodiam Carolo Stepeio commiſit. Poſtea etiam profeſſores bonarum literarū edicto reuocauit, aucto priore ſalario, Iaſonem Maynum, caſtri nō ignobolis donatione: Philippum Decium, & Franciſcum Curtium, ſalarij magnitudine ad intermiſſam legum interpretationem reuocauit. Denique ex Italica nobilitate, ſi quos aut prudentia aut rei militaris ſcientia inſignes comperit (habebat uerò emiſſarios ad eos undiq; conquirendos) militiæ gradu honeſtiſsimo ſtipendijsq; ampliſsimis donauit. Ipſe nobiliſsimum quenq; menſæ ſuæ adhibuit: & ab eis inuitatus libenter conuiuijs interfuit, egentes priuata benignitate prolectabat. Ita factum ut eius reipublicæ rationes quæ imperantium auaritia exaruerant, induſtria eius reuireſcerent. Rebus tandem ex animi ſententia conſtitutis Lugdunum redijt, lætus ob uxoris partum, quæ Claudiam Valeſiam (erit ea poſtea Gallorum Regina) pepererat: eodemque tempore & decuriones Pariſienſes & præfectus decurionum, à Senatu mulctati ſunt ob pontis Pariſienſis ruinā: quæ fœda eo tempore fuit, cōponentibus alijs ſarcinulas, alijs

f 2 migrand-

migrantibus, alijs, dum, quo facilius migrarent, liberos uagientes & infantes efferrent, redeuntibus ſubmerſis. Eum pontem Pariſienſes poſtea magnificè conſtruendum curarunt, adhibito etiam à Rege ad id opus Iucundo Veronenſi architecto, docto homine. Reuerſus Rex litem compoſuit inter Carolum Geldriæ & Gulielmum Iuliaci principem, ob inſignia eadem à Geldrenſi ſumpta: ad quam componendam arbitrum illi eum honorarium delegerant. Pro Iuliaco pronunciatum eſt: ita tamen ut is oppidum Geldrienſi extortum redderet. uterque Regis ſententiæ paruit. Iuliacoquè Regis liberalitate quatuor aureorum numûm millia numerata ſunt: decretumque annuum in poſterum ſtipendium. Sunt qui ſcribant eos ultro euocatos eo prætextu, ut reliquos Germaniæ principes & Heluetios cum Maximiliano Cæſare committerent: ut eo bello implicatus, Sfortiæ auxilia ne ſuppeditaret. Maximilianum quidem conſtat ſuppeditatam in id bellum à Rege pecuniam ægrè tuliſſe. Eodemque tempore à Ladislao Pannoniæ Rege legati uenerunt gratulatum, quod Sfortiam uiciſſet: Mediolanenſibusq́; in ditionem redactis auxiſſet regnum: petentesque, ut is amicorum ſociorumq́; numero haberetur, eis quæ petebant conceſſa: occultioraque fœdera inita quibus Maximiliano negocium faceſſeret. Eodemq́; anno, ſed priuſquam Mediolanum adiret, Senatum Rex Rothomagi, Georgij Ambaſiani conſilio, ſtatuit, fixum & perpetuum futurum, non temporarium. Sfortia tandem ad Maximilianum peruenit: comiterquè exceptus eſt. At ubi minora ab eo quàm ſperabat, auxilia ſuppeditari poſſe uidit: res ſuas pro deploratis ſe habere dixit. Nec tamen ſibi defuit: non ignorans apud Mediolanum animos multorum infectos partibus. Ad duodecim hominum millia ex Heluetijs conſcripſit, Maximiliani uſus opera, non pecunia. Italicus quoque miles eius imperijs aſſuetus ultro nomina dedit: ex his octo hominum millia adſcripſit. Mox ſuorum literis certior factus, Triuultij imperia Mediolanenſibus diſplicere, per clientes atque amicos ſeditionem Mediolani excitat. Nam & Gallorum rapinæ, patrataq́; aliquot temere facinora, inuiſos eos Mediolanenſibus reddiderant, ut & morum ingenijq́; diſsimilitudo, & cum Italicis mulieribus liberior familiaritas, uel uictoriæ ipſe genius quæ etſi ad iuſtos redijt, impotentes tamen ferocioresq́; reddit. Triuultius ſeditioni iam gliſcenti occurrens, coeuntes aliquot turmatim, per uicos immiſſo milite, obtruncat. Vocatam plebem pro concione, mitiſsima oratione placare conatur. Sed factione hoſtium obſtrepente, recenſere cœpit milites, aduentãte iam Sfortia. Vix quatuor hominum millia inuenit: reliqua pars ex pacto militabat Valentino Borgiæ Cæſari ad tempus. Munijt igitur arcem. Mox Nouariam ſeceſsit, ut & hoſtes receptis è Flaminia militibus

litibus compeſceret, & recentes milites ſcriberet. Et ſane Nouaria ad bellicos impetus hoſtium eludendos aptiſsima erat. Irrigantur enim ferè ſuburbia Nouariæ fluuiolis duobus, Terduplo ab ortu, Aconia ab occaſu: Nouarienſiq; agro ſummæ Alpes imminent. Eſt & in extrema parte agri uicus Lapizarius, unde commeatus abunde in urbem inferendos curauit Triuultius. Suntq; tota urbe foſſæ manuariæ, & fluuiolus nauium minime capax, caſtrum munitiſsimum. Ibi Triuultius collocat milites, aggeres munit: mittit & Pegaſarium curſorem ad Regem cum certis mandatis, quo ſtatu res eſſent, edocturum. Ille mox eò Ludouicum Luxemburgum, quem ſecum è Mediolano reduxerat, cum expedita Aquitanorum peditum manu mittit. Aubignius dum hæc aguntur, ueritus ne res hoſtium ſuperiores eſſent, cum Triuultio ſe coniungit, direpta prius Dertona. Dertonenſes prius in armis fuerant, neque de magna cauſa. Venetos admonet ſocietatis cum Rege initæ: auxilia ex fœdere debita popoſcit. Illi Nicolaum Petilianum Comitem cum exercitu mittunt, ut aut cum Aubignio & Triuultio ſe coniungat, aut ſi minus id fieri poſsit, agros Mediolanenſium populetur. Ille, Mediolanenſi agro populato, cùm aditus ſibi Aubignium præcluderentur, ad ſuos ſe recepit. Principio ſequentis anni, qui fuit milleſimus quingenteſimus, Sfortia à ſuis admonitus de Gallorum fuga, Mediolanũ redijt cum ualida Heluetiorum manu, quam Italico exercitu poſtea contracto auxit. Atque ut ſunt cum fortuna mutabiles huiuſce populi animi, uel quòd Sfortianorum imperia non ingrata olim meminerant, nihil non beneuolentię in eũ profuderunt. Papia & Parma & Veganum acceſsit. Aduentantibus etiam Sfortianis, cùm Nouarienſes aliorum exemplum ſecuti, conſilia agitarent de Gallis urbe expellendis, è Nouaria quoq; Galli ſeceſſerunt. Benedictus Cribellus, & Ludouicus Caymus, quibus multum Sfortia deferebat, Mediolanum, Papiam, uicinaque alia loca nuper à Gallis recepta, munienda ſuadebant: Carolus Stampa Nouariam unam acri præſidio & ualido tuendam: eò molem belli uertendam: ſed Italo milite, non Heluetio ad omnem auram ſpei lucriq; mobili, fidem habendam. Inſtare enim Gallicas copias, quæ ſi Nouaria potiantur, facile Mediolanum recipiant. Erant Aubignius & Triuultius Gallicarum copiarum ductores. Hi pari uirtute potentiaq; cùm eſſent, parũ abfuit quin rẽ Gallicam ſatis afflíctam, mutuis diſsidijs ſubuerterẽt. Aubignius quoquo pacto Medialanũ adeundũ cõtendebat: Triuultius donec reficeretur exercitus, circa Nouariã expectandũ. Captiuos ſi quos Aubignius libertate donabat, Triuultius in ſeruitutẽ reuocare conabatur: alter alterũ obliquè cauillo impetere: alter alterius facta eleuare. Luxemburgus mox Regem admonuit de tãta ducũ diſcordia. Rex utriq;

abrogato imperio, ſummæ rerum præfecit Ludouicum Tremolium, adiectis in ſupplementum nouis militibus. Tremolius ubi primum Regia caſtra adijt, ſemotis arbitris cum utroq; cōgreſſus, facilè effecit, ut ambo in gratiā redirent. Quò enim tandem, inquit, irę diſcordięq; ueſtrę erupturæ ſunt? Quid tandē amplius paſſurę Gallorū copiæ, ab hoſtibus fuſæ fugatæq; & caſtris exutæ, eſſent? Quis tandē Sfortiæ laudatior triūphus? Heluetios & Italos, fugatumq; ſemel Sfortiam, impunè uidetis mutuis ueſtris demū diſsidijs fretos, uos Mediolano, Papia, Nouaria pepuliſſe. Quos tandē illi contēpſere? uos duces, an ueſtros milites? Si culpa in uobis eſt, ecquas non ignominiæ notas uobis inuritis? ſi in illis, an nō iure eos pertæſum eſt ueſtri imperij? cùm quales in bello ipſi duces fuiſtis, tales reliquos fuiſſe equum fuerit. Quin ſaltem temporum rationem habuiſtis? At credo equidem, & tibi, Triuulti, res Carolo è Neapoli redeunte proſperè geſtæ ſpiritus augent: & tibi, Aubigni, Caieta toto biennio fidelisſimè fortiſsimeq; defenſa. Videte uerò potius ne ridendi ſitis, non ſolùm quòd rem Gallicam ueſtris diſsidijs affligatis & obruatis, ſed quòd etiam quibus in expeditionibus antea uos magnificè, prudenterq; geſſeritis (quę ſanè & plures & laudabiles ſunt) his uos uirtutibus factisq; præclarè geſtis quaſi maculam ſic iſtud diſsidium aſpergatis. Continuāda mediusfidius uobis perpetua illa animi magnitudo, quam & initio prudenter ſuſcepiſtis, & poſtea fortiſsimè ſuſtinuiſtis, ne ſi prioribus extrema non conſonent, caſu illa magis, quàm uirtute geſta habeantur. Hæc ego utrique ueſtrum parum eſſe grata coniecturâ quidem auguror: ſed hac quidem parte æquum eſt, uſuram mihi patientiæ uos pauliſper accommodare, uicisſim adiurgaturos. Nam me uera potius quàm grata loqui, quamuis meum ingenium nō cogeret, neceſsitas cogit. Cuperem quidem, Aubigni & Triuulti, auribus ueſtris alia dare. At multò malo uos magnos, Regique, in gratiam ubi redieritis, gratos, qualemcunque animum erga me retenturi ſitis, quàm pati ueſtra diſcordia tantum Gallorum robur inane redire. His dictis facilè effecit, ut in gratiam redirent: in gratiam reductos eo loco habuit, ut nemo agnoſceret imperium mutatum. Tantùm pro duobus tres copiarum ductores: nihil enim egit ſine utriuſque conſilio. Sfortia cùm audiret Tremolium Mediolanum proficiſci, parte prius copiarum præmiſſa, relictis cæteris impedimentis, Nouariam ſeceſſit. Aubignius ſuadet eò quoque Gallos educendos: ſublato Sfortia facilè potituros Gallos Mediolano. Placuit id Tremolio. Itaq; præmiſsis tantùm qui itinera circa Mediolanum infeſtarent uelitibus, robur exercitus in Sfortiam uertit. Erant ex his Heluetijs qui Sfortię militabant, aliquot qui Carolo in expeditione Neapolitana & Nouarienſi militarant: hiq; à Sfortia ſerius quàm conueniſſet.

niſſet, ſuppeditari ſtipendia querebantur. Specie populandi ex caſtris egreſsi cum Tremolio qui literis eos prius ſolicitarat, conueniunt uti accepta pecunia ingenti, Sfortiam deſerant. Erat arx Nouarienſis cincta munitaq; acri Gallorum præſidio, cui præerat Carolus Louenius, huius recipiendi occaſionem quærens. Sfortia ad eam oppugnandam ex Alexandrinorum finibus properabat. Eum cum toto exercitu ſecutus eſt Tremolius. Raptim utrinque inſtructa acie concurritur, Sfortianis certamen minimè detrectantibus. Pedites Italici & Germanici alacriter prælium ineunt, haud ſegniter proruentibus Gallis. Ioannes Fuxeus & Ludouicus Borbonius cum lectiſsimis equitũ turmis à latere incurrentes hoſtium aciem præruperunt: facileq; Sfortianos ancipiti terrore perculſos diſsipaſſent, ni Italici equites exceptos eos aliquandiu tenuiſſent. Sed Emundo Prio, & Ludouico Grauillo cum recenti equitatu immiſſo, inſtantibus, equitatus hoſtium fuſus eſt. Ventum erat ad Heluetios, qui incertum Gallico auro corrupti, an quòd Martem communem uererentur, detrectarũt certamen. Ita Sfortia cõturbatus fuſusq; Nouariam rediit. Sed ſpem nondum abiecerat. Heluetij cum commeatum in Nouariam illatum non uiderent, uel quòd ita pepigerant corrupti auro per Rodolphum Longum: uel quòd publico gentis edicto in gratiam Regis facto, militare aduerſus eum prohibebantur, pacti ſunt cum Tremolio ut ſalui ad ſuos cum omnibus impedimentis, perſolutoq; uel certè promiſſo ſtipendio, abirent. Non ſibi defuit Sfortia, quin Stampam & Cribellum multis pollicitationib. deterreret eos ab eo fœdere, & fidem & iura gentium ne uiolarent obſecrans. Quo enim (inquiebat Cribellus) Heluetij proficiſcimini? qua nos ſpe ſecuti eſtis? contra quos primùm arma hæc induiſtis? Quid Gallum hoſtem relinquitis? Sfortiã hoſtis loco habetis? Quid? uosne ad hæc petranda accerſimus? Quem de uobis nuntium accipiet Maximilianus Cæſar, cùm uiolata fide deditum Sfortiam relictumque intelliget? Quantum te Sfortia de Heluetijs fefellit opinio? qui calamitoſam præcipitemq; tuam ſenectutem, fœdam exacta ſtultaq; ætate caniciem, tot rebus antea proſperè geſtis, efficiant. Ne Heluetij, ne uiri fortiſsimi hæc commiſeritis, alieno hoc maximo tempore, quo tota Italia magnitudinis ueſtræ memorabile aliquod exemplum expectat. Moueri uidebantur aliquot Cribelli oratione: ſed primoribus edicto ſe gentis uetari dictitantibus, deditio facta eſt. At Cribellus, quoniam Heluetij urbe tantum egrediebantur, non ipſum Sfortiam Italosue dedebant, Nouariam tenendam præſidio interea cenſebat, donec recentes è Mediolano copiæ, quas Aſcanius Sfortia Cardinalis Sfortiæ frater adducebat, adeſſent: Solicitari etiam poſſe Franciſcum Gonzagam, qui cum lecta equitum manu auxilium

ferre poſsit. Stampa contra diſſerere, Quid urbem tenerent quam intra paucos dies fame domiti fruſtra durioribusque conditionibus relicturi ſint? Satius eſſe, quoniam ſalui Heluetij inſtructo compoſitoque agmine Gallis dextra læuaque ſtantibus prodeant, Heluetica ueſte Sfortiam ut gregarium alium militem ueſtitum, Heluetiorumque arma ferentem, cum eis prodire: nam & facile latere poſſe, & ad ſuos ſe incolumem referre. Non probabat id Cribellus, Heluetio fœderum uiolatori nihil fidendum ratus. Sed Sfortia latere ſe poſſe putans, Heluetijs ſe miſcuit. Non latuit dolus Tremolium: ita per exploratores omnia illius conſilia odorabatur. Prodeuntibus Heluetijs uelut ad prælium Gallicas copias paratas eſſe iubet, haſtis obuerſis uelut ſub iugum miſſurus. Heluetios ne ipſis quidem recuſantibus, prodire nominatim unumquemque iubebat, diligentius explorato uniuſcuiuſque uultu. Tum demum Sfortiam agnitum prehendi iuſsit: præhenſum in caſtrum Nouarienſe munitiſsimum perduci. Sunt qui ab ipſiſmet Heluetijs proditum, alij à ſuiſmet aiunt: Gallici aliquot ſcriptores, ſumpta ſodalis Franciſcani ueſte deprehenſum. Ita ille in Galliam captiuus perductus eſt, potitus quondam nobiliſsima Italiæ parte: tantaque potentia, ut eius arbitrio res quondam Italicæ ſteterint. Eoque die Tremolius cum Sfortia locutus, bono eum animo eſſe iuſsit: Ludouici Regis manſuetudinem multis notam & ſpem ei ſalutis & certam fiduciam præbere: inuitatumque ad cœnam cum Aubignio humaniſsime ſolatus eſt: omnemque ei honorem habuit, qui in tali fortuna haberi poſſet. Ipſe cùm premeretur bello Gallico, non modo non abiecto animo fuerat, ſed adhibuerat etiam omnem operam qua huiuſcemodi procellam depelleret. Baiazetem Turcarum imperatorem ſolicitarat ut in Italiã arma eodem anno trãsferret, Turcarũ copijs per Forũliuium miſsis: qui & in ea loca deſcendentes, ingenti præda abducta abierunt, orturum maiorem tumultum ſperantes, ut eis Sfortiani receperant. Plures id prodiderunt, diuino id ei concilio accidiſſe, ut poſt ſublatos ueneno nepotes, in hos acerbos fortunę impetus incideret: alij arrogantiæ, alij perfidiæ. Punica enim fide, ut noui commodi ſpes effulſerat, palàm recepta etiam cum Venetis Pontificeque fœdera uiolarat. Quidam impietati, cùm eodem anno Gallos ad ſacrũ annum expiandę Reipublicę Chriſtianę gratia indictũ à Pontifice, Romam euntes, hoſpitibus nummo aureo pro Gallico capite delato, occidi iuſiſſet. Sunt qui (quis tamen non hic rideat curioſitatem aliorum in perſcrutandis alienarum calamitatum cauſis?) potentem hominem auaritia obcæcatum, cùm ſtipendiorum ſolutionem eo tempore Heluetijs differret, quo uel maxime repræſentanda erat, iure in has eum incidiſſe anguſtias, commemorent. Atqui neque illi ingenium in adminiſtrandis

Medio-

Mediolanenſis principatus oppidis, neque prudentiam in moderandis rebus, neque aſtutiam ad uarios rerum euentus depellendos defuiſſe, ab ullo proditum eſt. Magnitudinem animi ne ipſa quidem captiuitas minuit. Quo fit ut uiciſsitudinem fortunæ res uario ordine miſcentis qui intueatur, is hominē ſenem & nobiliſſimum tanto excidiſſe principatu miretur. Eum multi ſcribunt Lochienſi arce incluſum conſenuiſſe: ſed neque Regio more, ut par erat, obſeruatum, nec ſatis liberaliter habitum. Narrant enim ſubterraneum cubiculum ædificatum, idque concameratum atque in abſida curuatum, ferreis compagibus, ferreoq; oſtio munitum: in quod homo quondam & potentiſsimus & ornatiſsimus, coniectus, miſeram captiuitatem paſſus ſit. Alij poſt aliquot annos cuſtodiæ Scoti equitis commiſſum, liberius liberaliusq; tandem tractatum aiunt. Fuerat ei magnum olim odium cum crudeli diſsidio cum Iacobo Triuultio, itaque id petebat à Tremolio ne cogeretur intueri eum à quo capitali odio diſsideret. Id ſentiens Triuultius, prodit ad ſalutandum hoſtem his uerbis. Sfortia, uides quas à te accepi contumelias, haud minore menſura redditas. Nec plura locutus ſeſe proripuit, magis offendens quàm ſi contūmelioſis eum uocibus uexaſſet. Aſcanius Sfortia Cardinalis nuntio fraternæ cladis perterritus, cum turmis aliquot equitum è Mediolano fugiebat. At interceptus à Sonſino Benzenio Venetoq; equitatu, captus Venetias perducitur: Ludouicoq; Regi repetenti hominem, ex fœdere poſt paucos dies deditus, in Galliam perductus eſt: qui & ipſe non modo non infracto animo propter aduerſi prælij euentum, ſed confirmato atq; renouato uiſus eſt, quanquam uerſa omnia intelligeret: & ad Regem noctu accedens, cum multis facibus aulicis ad eius ſpectaculum proruentibus, honorificè quidem Regem & ſalutauit & appellauit: ſed nec ad pedes iacuit, nec ullis lachrymis eiulatúue captiuitatem deplorauit. Quin de ſua captiuitate cum Philippo Luxemburgo Cardinale, & Octauiano Sangelaſiano Engoliſmenſium Pontifice diſſerens, bene ſecum actum aiebat: iocabaturq;. Venetos de ſe optime meritos, qui eum ex his laqueis quibus circumretitus eſſet, exuiſſent, ac ui abductum explicaſſent, cùm periculum eſſet, ne in maiores plagas incideret, quibus confici eum & concidi neceſſe eſſet: indicās hac ratione uel ad Federicum Neapolis Regem, uel ad Alexandrū Pontificem confugienti, uel ad Maximilianum redeunti, duriorem ſortem futuram. Ea enim conſilia agitarat cum fratre: fugam etiam ambo ad Baizetem Turcam meditati, ni intercepti fuiſſent. Sed Aſcanium, ob gradum Purpuratorum, parum carcer tenuit: ac paucis poſtea menſibus fidei ſuæ commiſſus eſt, uāgarique tota Gallia permiſſus. Poſtea quoque (ſed hæc aliquot deinceps annis contigerunt) cùm deieraſſet nihil ſe in Gallos moturum

turum, ſpemq́; inieciſſet, futurum, ſua ut opera ex cœtu Gallicorum Purpuratorum uni Pontificatus pararetur, ad Comitia noui Pontificis à Rege miſſus eſt, & ſolutus, impetrante id ægre Georgio Ambaſiano Cardinale: in quem tam ingratus poſteà fuit, ut dum ſuffragia patrum in eum inclinarent, quo tempore Iulius Pontifex renunciatus eſt, eius unius opera ei Pontificatus extortus ſit, non ſine Bernardini Caruali Purpurati querelis: qui ubi Pontificatum ſibi ereptum uidet, Ambaſiano potius quàm Iuliano deferri uolebat. Mediolanenſis inde ditio in Gallorum redijt poteſtatem. Georgius Ambaſius Cardinalis Mediolanum miſſus eſt: ad eum è Vercellis Mediolanum adeuntem ciues Mediolanenſes profecti ſunt, Regiam clementiam implorantes. Hos ille pecunia mulctatos, ſecuros eſſe iuſsit, grauiora expectantes. nec ulli poſtea fraudi fuit Sfortiam iuuiſſe. Inde & Lignius, Luxemburgus, & Triuultius, Tremolius, & Aubignius in Galliam redeuntes magnificè excepti ſunt, ob præclaram toto eo bello nauatam operam. Carolus Ambaſianus Mediolani prorex relictus, uir prudens & moderatus, ſeuerißimusque in militum rapinis uindicandis. Itaque factum eſt ut eo prorege, pacifica omnia multis annis fuerint. Is tamen longius ætate profectus, ita captus eſt amore puellæ Mediolanenſis, perſonatus ut oblitus decoris ambularet media in urbe, ac uix tandem admonitus à Georgio Curatio amorem abiecerit. Fama eſt duces præfectosque è bello reuerſos, cum munera à Rege expectarent, fruſtratos, & Ludouicus quidem ad rem fuit paulo attentior, quàm tantum Regem deceret. Illud ſatis conſtat, & Tremolium & Triuultium & reliquos proceres ab Anna Regina, Rege ſciente, magnis muneribus donatos. Ea prudentia uirili, ſi quid hac parte Ludouicus errabat, facilè ſarciebat. Tantaque fuit libertas apud Gallos eo tempore, ut palàm mimi perſonatum Regem ludis publicè exhibitis Lutetiæ in ſcenam traducerent ægrum, pallidum, obuoluto capite, ſoleatum, & aurum potui aptum (quo interdum condiuntur precioſa medicamenta) ſitientem. Quod tantum abfuit Ludouicus ut curaret uindicandum, recitatis ut ludis & riſerit & libertatem populi collaudarit. Ac circa id tempus Anna Fuxea ex nobili Candalorum Aquitanicorũ familia, nupſit Hungariæ Regi: eas nuptias Anna Regina ob eorum affinitatem, procurante. Ludouicus interea potitus Mediolano, ut ſunt Regum cupiditates inſatiabiles, & ſordent priora dum maiora quæque expetuntur, animum adiecit ad Neapolim, quæ à Carolo defecerat, recipiendam. Ferdinandus Hiſpanorum Rex, cùm auxilium putaretur laturus Federico, in ſocietatem belli & uictoriæ futuræ admiſſus eſt, ea conditione & nundinatione, uti ambo Reges regnum partirentur. Ferdinandum cupido finium propagandoq;

gandorum, præter iura conſanguinitatis eò impulit, ſed cauſan-
tem uaneq́ prætexentem iram in Federicum, quum paratus anteà
fuiſſet Neapolim Gallo ſtipendiariam facere. Igitur cum Ludo
uico Armeniaco Aubignius cum uiginti peditum millibus, qua-
dringentis cataphractis equitibus Gallico numero & ordine in-
ſtructis, è Mediolano per Hetruriam profectus, eò tandem per-
uenit: pacata undique loca beneficio Alexandri Valentiniq́ Bor
giæ nactus. Huic prima fuit cura Columnenſium, qui ad om-
nem auram fortunæ uarij Gallis fuerant, compeſcendorum. Ar
ces eorum munitiſsimas expugnauit partim ui, partim deditione:
expugnatas Valentino (nam ita quoq́ conuenerat) dedit. Iorda
no quoq́ Vrſino, qui fideliſsimus ſemper Gallo fuerat nulla deter
ritus rerum uariatione. Taliequitium & Allam reddidit, loca pri-
us ablata factione partium: prędamq́ à Columnenſibus ab actam
in eum liberaliter contulit. Mox Apulia omnis in Gallorum uenit
poteſtatem, traditaq́ Hiſpanis. In traijciendo Liri obuius hoſtiū
exercitus nonnihil Gallos turbauit. Sed uociferante Aubignio &
iactationes equitum Gallicorū, qui ſe ſolos ſine pedite paucis ante
diebus hoſtes ſubigere arrogantiſsimè contenderant, exprobran
do, perruperūt turmatim equites, hoſtesq́ in fugam uerterūt. Ca-
pua inde tētata eſt. Fabritius Columna urbi pręerat: eò inuito paſ-
ſim Neapolitani in Gallica caſtra cōtendebant. Venit & ipſe cum
Aubignio in colloquium. At cùm ille ueluti parta uictoria condi
tiones duriores ferret, ipſe ut belli euentum ancipitem expectatu
rus, integra omnia exiſtimaret, nihil eo actū colloquio, Valentino
Borgia pacis perturbante conſilia. Etiam machinis admotis qua-
tiebant Galli urbis mœnia, cùm Fabritij hortationibus excitati ci
ues, multos primo impetu repulerūt. Orta inde indignatio, urbſ-
que grauius oppugnari cœpta. Cum hoſtes iam uiribus ſuis diſ-
fiderent, Galli calentes adhuc à recenti ira prælium ineunt. Mox
in fugam auerſi ſunt: effuſiq́ue quà iter patebat, niſi quos cædes
oppreſsit, urbe pelluntur. Fabritius ubi ſuorum effuſam fu-
gam uidet, equo admiſſo urbe egreſſus, fugiens Gallis ſequētibus
in caſtra reductus eſt, ſeruatusq́ pacta mercede perſoluta: etſi Va
lentinus Borgia magnam auri copiam Aubignio nequicquā pol
licitus eſſet, ſi hominem aut interficeret aut ſibi dederet, Iordanus
Vrſinus, quem ob fidelitatem toto bello exhibitam Galli foue-
bant, cùm ſponſor acceſsiſſet mercedis intra trimeſtre perſoluen-
dæ, effecit ut mox liberaretur. Neapolis deinde recepta eſt: ſed
paucis antè menſibus ingentem armorum machinarumq́ multi-
tudinem Valentino Federicus uendiderat, contractis inde pluſ-
quam triginta millibus numûm aureorū. Federicus pactus eſt cū
Aubignio uti à Rege acciperet certa annua uectigalia, annuūq́ ſi-
bi ſuiſq́ ſtipendium. Cùm ſe ille ſponſorē adhiberet, auchereq́ ex
formu-

formula pacti ſuppellectilem omnem poſſet, cum Aubignij literis in Galliam profectus eſt ad Ludouicum: non ſolum annuis illis uectigalibus ſtipendijsq; donatus, ſed locupletiſsimo etiam comitatu, quem ex ſuis conficere poſſet Gallico ſtipendio ornatus, multis quoque oppidis hortisq; & domibus amœniſsimis traditis: ob quæ identidem feliciorem ſe regno adempto quàm ſeruato reſpondit. Nec uerò temporaria fuit ea liberalitas: Regno etiã Neapolitano pulſis Gallis, idem cultus, idem honos, eadem ei præmia reddita: conſilijs quoque intimis à Rege adhibitus eſt: regioque more quaſi regnaret, cultus. Filius arcem Tarentinam retinens, ea maluit Hiſpanos quàm Gallos potiri. Circa id tempus Regia claſsis in Turcas ad Mitylenem expugnandam cum Veneta miſſa eſt: oppugnataque urbe arx munita præſidio expugnari non potuit, cæſis aliquot Gallis fruſtraq; obnitentibus ex trecentis qui intercepti fuerant Thracibus miſsis ab hoſte, ut in arcem peruaderent, uiginti eò peruenere. Galli Melum petiere: intercepere biremes aliquot hoſtium, quas Veneti adgredi auſi non erant. Italici ſcriptores culpam Gallis adſcribunt: Gallici culpam in Venetos referunt, qui ante tempus ne monitis quidem Gallis, abierint. Claſsi Gallicæ præfuit Philippus Raueſtanus. Galli iam Neapolitanas res confecerant: unaq; cura fuit reipublicæ conſtituendæ, quæ ut in bellis fluxa, parum ſtabat. Itaque iuſſu Regis in Senatum probi quinque uiri & iuris ciuilis ſcientia illuſtres, allecti: in quibus & Martinus Ritius, & Matthæus Afflictus, & Petrus Coardus, qui poſtea Præſes fuit Lutetiæ. Accidit, ut cùm caſu in Leontis Tomacelli & Marini fratris domo cœnaret Aubignius, & ſuper cœnam iniecta eſſet à Franciſco Puderico mentio de Iouiani Pontani eruditione, ut poſtridie Pontanum accerſitũ multis muneribus donaret Aubignius: uelletq; hominem iam ſenem honorifica functione ornare. At is uel uariationem rerum præuidens, uel ocio ſenectutis conſulens, modeſte cauſatus ſenectutem, functione abſtinuit. Calabria & Apulia ex fœdere in Hiſpanorum uenerat poteſtatem, ijdem Tarentum acceptis peditibus Aquitanicis, à Ludouico Armeniaco Nemorenſe, ad quem ſummum imperium Rex quaſi ad Porregem detulerat, receperãt. Ambigi cœptum eſt de aliquot oppidis. Matthæus Afflictus iureconſultus narrat ex his locis, quos Capitanatam & Baſilicatam uocant, ortam primum controuerſiam, hanc alij Capitanatam, olimq; Normanorum & Græcorum temporibus Catapaniatam fuiſſe aiunt, quòd qui ei præeſſet miſſus à Cæſare Conſtantinopolitano, diceretur Græco nomine corrupto Catapanus, quæ uox contractis atque immutatis literis, uerſa eſt in Capitinatam: quique Catapanus fuerat, in Capitanium. Addit idem Afflictus, initium diſsidij ortum prius ex caſtro Rignani, quod Alexander

& Lio-

& Lionectus Richardi nullo iubente ſuum eſſe contendentes inuaſerunt: Vel ob oppidum promõtorij Gargani Daunijs attributum. Paulus Roſellus è Tripalda Hirpinorum oppidulo ſub pacificatoriæ legationis ſpecie uiolatis inducijs à Cõſaluo eiectos Gallos ait, unde exarſiſſe ira Armeniacum, ut erat contumeliæ impatientiſsimus. Conſaluus ubi uidet ſe Gallicis copijs imparem, cum Armeniaco uenit in colloquium ad fanũ ſacratum Antonio. Conſaluum & Hiſpani & Italici ſcriptores non inferiorem Furio Camillo, aut P. Scipione, aut C. Cæſare faciunt: & planè uigebant in eo ſtudio rei militaris: nullæ apud illum libidinum illecebræ. Vtebatur hominibus fortiſsimis, eoq; eos loco habebat quo ſe ipſum. Erant in homine induſtriæ quidam ſtimuli: in laboribus patientiſsimus, in largitione profuſiſsimus. Comprehendebat multos amicitia, tuebatur obſequio, idem edoctus uerſare ſuam naturam ad tempus. Milites in officio liberalitate, indulgentiaq; parum interdum retinere uidebatur: at eoſdem mox, quaſi uices alternas inter ſe eſſent pacti, ferocientes ita domabat, ut ad officium facilè reuocaret. Suopte ingenio, quod nulla doctrina excoluerat, præſentium & imminentium caſuum inſignis æſtimator, futurorum certiſsimus coniector. Incertis & obſcuris, donec qualia eſſent deprehendiſſet, rarò acquieſcebat. In bellicis rebus quid moliendum, quo tempore imparati hoſtes intercipiendi, quà peruadendum, quà anteuortendum, noctúne an diu occurrẽdum: ubi in inſidias præcipitatus eſſet, quà euadendum, ita ſolers, præmeditata iam olim ut ei omnia uiderentur. At idem peruertebat facilè omnia fidei fundamenta, ubi utilitatis ſpeciem uideret, latebras periurij ſuis facilè quærens. Nanque eas uirtutes ſimulatio perpetua, perfidia, nullus Deûm metus, iuriſiurandi contemptus præſtringebant. Huius hæc uox circumfertur: Telam honoris generoſo militi craſsiorem eſſe texendam. qua ſignificabat, ſi quid in contubernio militari paulo contumelioſius dictum ſit, id eſſe interdum diſsimulanter interpretandum, ne leuibus ex cauſis temere ad capitalia diſsidia ueniamus: qua in re uidetur hodie corrupta diſciplina militaris. Is dum dat exigitq; ab Armeniaco iuſiurandum, ut communia eſſent ea oppida de quibus ambigebatur, erigerentur interea utriuſque Regis uexilla, ſecuro interea Armeniaco totus ad belli cogitationes traductus eſt. Nam Ferdinandus Apulia Calabriaque non contentus, ſpe iam integrum Neapolitanum regnum hauſerat. Literis autem admonebat Conſaluum, ſereret belli undique occaſiones. Itaque mox eiectis Gallis, & Capitanatam, & Baſilicatam uiolato fœdere recepit. Hic quum Armeniaco homini & acri & uehementi, quaſi quaſdam contumeliæ faces admouiſſet, non tulit ille cõtumeliam, eductiſq; Gallicis copijs Hiſpanos inſtituit coercere. Nactus aut palantes & diſperſos,

g ſos,

ſos pluribus uulneratis plures captiuos abduxit, tota etiam Apulia exacturus Conſaluum. Itaque cum lectis copijs in Brutios Aubignium miſerat. Addunt Hiſpani ſcriptores, Conſaluum dum ſe Baroli continet, ad ſingulare certamen Armeniacum prouocaſſe, eum pugnam detrectaſſe. Itali ſcriptores, ſæpe prouocatum ab Armeniaco Conſaluum ad prælium aiunt reſpondiſſe, ſe non ad prouocationem ferocientis hoſtis, ſed ex occaſione captata ratione que prius inita, bella capeſſere ſolitum: quóque magis mirere, per præconem prouocatum aiunt. Deliberatum eſt de tota belli ratione, cum ſe iam Conſaluus Barolum loco munito recepiſſet. Erant in conſilio Gabriel Alegrius, Iacobus Chabaneus, Palicius, Ludouicus Datſius, Caſtellio Formantius, Bartholomæus Chandius, Tomas Monferratus, Matthæus Aquiuanus, Mondracus & Torſius: multis diſſentientibus, & oppugnandum Barolum ſuadentibus. Item in eam ſententiam ut bellum protraheretur, occuparentur undique loca munita, ea præſidijs firmarentur, Armeniacus obſideret Barolum: daret operam ne commeatus inferretur. Iam Ambignius Conſentia recepta, Brutiorum oppida & munita loca partim armis, cæſo Hiſpanorum præſidio, partim uoluntaria deditione hoſti extorſerat. Hiſpani Barolo erumpentes aſsiduè leuibus prælijs cum Gallicis equitibus congrediebantur: quo factum, ut diripere multa oppida properantē Armeniacum, à progreſſu hoſtes facilè arcerent. Conuenerat inter Armeniacum & Conſaluum, ut pacta certa mercede captiui utrinque ad ſuos redirent: Ea comitate factum, ut ultro ſeſe Hiſpani Gallique cauillis impeterent. Accidit quodam die ut certare uellent Hiſpani quaſi publico duello cum totidem Gallicis. Armeniacus, qui ea contentione acui ſuorum animos uideret, non detrectauit certamen. Placuit utrinque undecim deligi. Tranij locus delectus, quem Veneti ex fœdere occuparant: Itali ſcriptores narrant ſex horis continuò pugnatum. Inclinante uictoria in Hiſpanos, à Torſio, Mondraco, Petro Baiardo, Arturo, Oliuerio Cabanaco eluſos Hiſpanos: Hos enim ſeptos aliorū equorum corporibus, Hiſpanorum impetus ſuſtinuiſſe, cùm Hiſpanorum equi olfactu necatorum aliorum equorum commoti, Hiſpanos equites excuterent. Venetos iudices conſultos utris uictoriam addicerent, iudicium ampliaſſe: ita ueluti comperendinato iudicio utroſque ſibi uictoriam arrogaſſe. Symphorianus Campegius narrat ſeptem Gallorum equis occiſis, Baiardum & Torſium ita reſtitiſſe Hiſpanis, ut in fugam uerſos reliquos fuga ſibi conſulere coegerint. Narrat autem quinque Italos adiunctos à Conſaluo ſex Hiſpanis equitibus, cum totidem Gallis congreſſos pro uictis publicè habitos, quantumuis Veneto iudice iudicium ampliante. Gerebatur ita bellū, medio ut in prælio uictis parceretur: captiui honeſtis condi-

conditionibus liberarentur. Accidit ut Petrus Baiardus, tumultuaria in pugna uulnerato Alphonſo, quem alij Aloſum uocant, alij Aldonſum Sotomaiorē, captum abduceret, neq; aliter quàm Gallos commilitones apud ſe haberet, eaque adhiberet fouendis uulneribus quæ adhiberi in ea rerum penuria poſſent. Is redditus priſtinæ ualetudini palam Terralium uti inhumanum & uilem habere, dicta factaq; eius eleuare, ut plane uideretur illius exiſtimationi & dignitati illudere: deniq; cùm acuta febre laborare Baiardum noſſet, ad certamen ſingulare hominem prouocauit. Baiardus morbo recreatus conditionem auidè arripuit. Obſignatis ab utroque tabellis conuenit, ſi quis è Gallis aut Hiſpanis impediret prætextu ullo, ne uictor in uictorem lege ageret, ut is tamen captiuus abduci poſſet, non ſecus atque ſi armis ſuperatus eſſet. Ea lex ab Alphonſo dicta, quaſi equitum Gallicorum uim ſuperato Terralio metueret. Congreſsi ambo cùm eſſent, primo ictu uane in caſsidem impacto ab Hiſpano, cùm id uitaſſet Baiardus, ipſe in collum hoſtis gladio adacto quum armato hoſte longius aberraſſet, tertiò demum per iugulum uitata lorica adacto necauit Hiſpanum. Alphonſus qui equitatu ualidum Baiardum ſciret, pedeſtrem pugnam maluerat. Cæſo arma Baiardus non ademit. Hiſpanis ſepeliendum dedit: aut ſi hi impendium ſepulturæ recuſarent, ultro ſepulturus. Hi, cum uictus eſſet illuſtri familia, laudato Baiardo gratias egere, abducto ad ſepulturam corpore. Exteri ſcriptores narrant bis congreſſos Gallos cum Italis & Hiſpanis: priore congreſſu incertam uictoriam, altero congreſſos Italos cum Gallis ſuperiores euaſiſſe. Vagabatur inde Gallicus equitatus adeo liberè per Apuliæ campos, ut Armeniacus preconis uoce diſertè pecuarijs imperaret, pecus deducerent in late patentes Cerignolæ campos, ſe curaturum ne quid his damno fraudiue ſit. Id ille palam edixerat, gnarus Conſaluum fraudi locum inuenturum, educturumq; ſuos quaſi ad paratam prædam: parte uerò alia Gallicum equitatum emitti per Palicium & Torſium iubet, quaſi Canuſium, quò ſeſe Petrus Nauarrus cũ ualido Hiſpanorum præſidio receperat, oppugnaturus. Conſaluus occultè prima uigilia ſuis emiſsis, partem equitatus mittit ad prædam intercipiendam ad Campos Cerignolæ: partem aliam ualle ima collocat, ut ex inſidijs præſidio Gallico, quod pecora tuebatur, occurreret. Inuolant Hiſpani equites in pecora: Præda onuſti inde ſeſe proripere parant. Galli qui præſidio relicti erant, impetu facto in fugam paſsim eos conijciunt. Simulabant hi fugam eo effuſius, quo maturius in inſidias eorum qui abditi eſſent, incurrerent. Cedendo quidem ſenſim impetus Gallorum ſuſtinebant, donec ad uallem qua latebant Hiſpani, pertracti ſunt. Inde exorti Hiſpani integris uiribus & recentibus equis, fatigatis Gal-

 lis ſe

lis ſe circunfudere: multos interclufos & interfecere & cepere. Redeuntes & uictoria inſoleſcentes nactus Palicius è Canuſij ſimulata obſidione rediens, ſparſos & inconditos ſine ordine ita cecidit ut præda extorta potiretur, & captiuos liberaret. Iacobus uerò & Theodorus Boccalus, & Ludouicus Gordus, cum aliquot Hiſpanis equitibus ita acriter pugnabant, ut facilè æquari potuerit certamen, niſi reliqui fuga ſibi conſuluiſſent. Vulnerato Didaco & Boccalo, capti illi cum flore equitatus hoſtilis in caſtra perducti ſunt. Alij ſcribunt à fortuna partam iam præſentemque Hiſpanorum uictoriam interpellatam, dum caſu Palicius uerè è Canuſio redijt, & prẹda onuſtos hoſtes diſſipat: ut ipſa fortuna quaſi eos obieciſſe Gallis uideretur, ut fortè multa eueniunt quæ non audeamus optare. Armeniacus equites, prout cuiuſque opera fuerat, & ante omneis Palicium, Torſium, Terralium collaudatos prẹda donat, inſignibusque donis: & cum robore exercitus ad Baroli mœnia progreſſus eſt, ultro Conſaluum ad pugnam prouocans. Cum pugnandi copia non fieret, agris quacunque incedebat, populatis oppidis multis, caſtriſque expugnatis, magnam uim prædæ trahens ad Canuſium oppugnandum pergit. Canuſio præerat Petrus Nauarrus, magna apud ſuos authoritate, quaſi rei militaris peritiſsimus. Erant & cohortes aliquot è Nauarris Hiſpanisque ab eo delectæ. Conſaluus territus antea Palicij aduentu ſimulato, eò prius Paulum Collium cum ducentis ſubmiſerat: eò perferuntur machinæ bellicæ, & alius omnis apparatus oppidorum oppugnandorum. Et Galli quidem ſtrata murorum parte tormentis, Thoma Monferrato cum Aquitano peditatu urgente, uariè Nauarrum & oppidanos terrebant. Nauarrus & Collius pro dirutis alios muros reficiebant: hoc primo ſecundoque die impigrè. Indies deinde pauciores, uel pilis plumbeis necati, uel uigilijs confecti, ſegnius uim arcebant, Gallis in magna copia peditum ſuccedentibus alijs in locum aliorum. Quarto die cum admotæ eſſent machinæ, Collio ex urbe egreſſo, pollicentique, ſi conditiones haud iniquè offerantur, ceſſurum oppido Nauarrum, miſſus eſt Thomas Monferratus ad eum, monuitque hominem ne uim ultimam experiri uellet. Deditio facta his legibus: ut Nauarrus ſignis militaribus expanſis, tympaniſque pulſantibus incolumi cum exercitu, uulneratis quoque per Gallicos equos in caſtra peductis, emitteretur. Palicius ne tam liberali conditione emitteretur ſuadebat: ui oppugnaturum ſe uno die recipiebat. Alegrius conditiones eas ſpecie amplas, re inanes aiebat. Condonandum eſſe aliquid Nauarro, qui uereretur ne quid ſibi de priſtina gloria deperiret. Potirentur modò Galli Canuſio, magnificè ille ad ſuos rediret: uictum tamen & oppido ſpoliatum reditu rum: ſatis ea hoſtem deditione remiſſurū ſpiritus, compreſſurum

animum,

animum, ſeducturum arrogantiam. Ita Galli Canuſio potiti ſunt. Eo terrore perculſis hoſtibus, Cerignolam recipit Monferratus, Formantius Quadratam, Rubos Palicius, Alegrius Fogiam, Sipontum Baiardus, Altamuram Ludouicus Darſius, Fanum Georgij Sanctocolumbanus, Giracium Galiotus Genolacus. Eodem terrore Galli Iapygiam, Meſſapiam, Pſeucetiam, Salertinos uniuerſamq; Apuliam ſui iuris fecere, exceptis paucis locis Aletium, Calatanam, Rudias, Oriam, Mottulas, cæſis qui in præſidio erant Italis & Hiſpanis, militi diripienda dedere. Caſtellanetum, cum ſeſe ciues Gallicarum ſemper fuiſſe partium profiterentur, uoluntaria deditione acceptum. Conuerſani quoq; in uerba Gallorum iurantes in fidem recepti ſunt. Eodem tempore Ouetanos, qui præſidium Hiſpanicum expulſis Gallis receperant, à Luxemburgo expugnatos diripiendosq; militi datos prodidere. Paucis ante menſibus uenerat in Galliam ex Hiſpania rediens Philippus Maximiliani Cæſaris filius. Is & Ferdinandi ſoceri nomine, Maximiliani patris, Regem Lugduni agentem inuiſit: & cum pacis mandata habere ſe à ſocero diceret, benigniſsimè auditus eſt: prius enim aduentus ſui ſpem faciens, uenturum ſeſe pacis ſtabiliendæ cauſa ſcripſerat, Hæc palàm. Clàm uerò cum Maximiliano patre agebat, ut Germanorum tria millia ad Conſaluum mitterentur: nam horum robur Conſaluus Heluetio peditatui opponere decreuerat. Clam quoq; naues parabat Ferdinandus, quas Hiſpanico peditatu inſtructas Barolum mitteret. Accidit ut quo tempore Philippus ſequeſtrum ſe pacis profiteretur, eò per Aubignium de rebus Apuliæ Rex fieret certior, atq; ut erat in ſubmittendis undique exploratoribus callidus, per Ioannem Dalburgium Pontificem Vuormatienſem admoneretur de delectu Germanorum qui Conſaluo mitterentur. Ipſe Philippus ea erat prudentia, ut per delectos homines induſtrios è Belgis undiq; ſubmitteret, qui ſeſe multorum familiaritatem inſinuando, omnes rumorum uentos colligerent, atque exciperent: pellicerent etiam uel gratia uel liberalitate Gallos ut eorum conſilia nota haberet. Per hos certior factus non ignarum eſſe Regem occultorum conſiliorum, uereri cœpit ne uelut ſimulator à Rege retineretur, aut idem ſibi uſuueniret quod Ludouico XI. Gallorum Regi, qui ſeſe Peronæ in fidem arbitriumq; Caroli Burgundi contuliſſet. Itaque cũ Rege collocutus, alienæ culpę ne reus haberetur orabat: ſe quidem ea mandata pacis quæ accepiſſet à ſocero, afferre: ſi quid ille clam moliatur, ignorare. Rex qui etiam metum Philippi per ſuos explorarat, eo nomine uacuo animo & ſoluto eſſet, orat. Ne tamen ignarum ſe fraudis, atque adeò caudicem & fungum qui illi crederet, putaret, fabella hac metum eius eluſit: Compilatum (ait) à furibus fanum, diem dixit foribus, quippe quæ

irrumpentibus illis aditum præbuiſſent, nec pro fano ſatis fideliter excubaſſent. Tum fores, iniquum eſſe aiunt ſe in iudicium uocari, quæ terebratæ & conuulſæ uix tandem patuiſſent: prius uerò fanum ipſum accuſandum quòd fures ingreſſos receperit, tulerit diripientes, & præda onuſtos emiſerit. Sunt qui ſcribant multò antea præuidentem hæc Philippum non niſi prius acceptis obſidibus in Galliam ueniſſe. Armeniacus rurſus Barolum admouet copias, per caduceatorem prouocans Conſaluum ad pugnam. At is loci munitione confidens, pugnam detrectauit. Cum autem uideret Canuſium redire Gallos, præmiſſumque peditatum & bellicas machinas, Iacobum Mendocium, ſummo apud Hiſpanos loco hominem, qui flore equitatus abeuntium extremum agmen carperet, emiſit. Verſa eſt equitatus Gallici pars Alegrio duce in Hiſpanos, nec uelocitas eis quibus concurſare mos eſt Gallis ſtabili pugnæ aſſuetis, proderat. Ita pluribus uulneratis, duobus necatis, Hiſpani equites ad ſuos ſe recipiunt: urgere Galli: inſtare fugientibus: Mendocius ſuis reuocatis fortiter prælium inſtaurare. Sed cùm cohortes aliquot hoſtiles expanſæ in alas utroque latere Gallos dimicantes inuaſiſſent, & Fabritius Columna cum ala integra ſubſidio Hiſpanis ueniſſet, multis uulneratis deſpondere animos, ac ſeſe inde Galli proripuere. Neque enim præmiſsis antè alijs Armeniacus auxilio eis eſſe poterat. Aucti ſunt Hiſpanis animi felici eo ſucceſſu. Captiui aliquot è Gallis abducti ſunt, inter quos Carolus Motta, quem captiuum de pugnæ ſucceſſu procaciter diſſerentem, & Columnenſium Italorumque uires extenuantem, cauſam dediſſe uolunt ſingulari certamini, quo totidem Gallos totidem Italis congreſſos uictos Italici ſcriptores referunt, Gallicis diſſentientibus. Nanque incerta utroſque uictoria rediſſe uolunt, cum omnes præter legem dictam ſtadij finibus impetu equorum euecti ſint. Apud Caſtellanetum Petro Nauarro, qui uicino Tarento præerat, oppidanos commouente, non diu quies Gallis fuit. Dum enim Lanius & precio ſpoliari ſe, & ariete publicè uenum expoſito uociferatur, Galli qui in præſidio erant, quibus præerat Chriſtophorus Aubrius Raderayus, ſubmiſsis à Nauarro Hiſpanis, nocte intempeſta ab hoſpitibus uno eodemque tempore comprehenſi ſunt, & equis & armis ſpoliati turpiter oppido eiecti. Aubrius ita eiectus cùm perfidiam Caſtellanetium uindicandam ſuadet, facilè Armeniaco homini & acri & uehementi perſuadet, properet ad uindicandum tetrum facinus: Marius Æquicola & Ioannes Monferratus diſſuadebant Armeniaco ne quid ſe commoueret, facilè in tempore daturos illos pœnas perfidiæ. Ipſe ſi ſe ſubducat cum robore exercitus, non ſibi defuturum in omnes occaſiones intentum Conſaluum, quin aut Rubos aut Altamuram aut Fogiam mox aduolet.

uolet. Armeniacus Caſtellanetum aduolat, ut exarſerat ira & ſtomacho: & quindecim numûm aureorum millibus (quæ ciues pro expianda ea perfidia offerebant) contemptis, admotis machinis muri partem ſternere incipit: at arcto adhuc ad irrumpendum loco, cum moræ impatiens immitteret undique Gallos, oppidanis & Hiſpanis, quibus ex ima rerum deſperatione animi acuebantur, haud impigrè reſiſtentibus, ſuos reuocat, ſtrata maiore parte muri uiam ſuis poſtea facturus. Hæc cogitantem terret eques Gallicus Mericus Guarnerius, nuncians ni Rubos contendat, actum de Palicio & oppido, eò enim cum totis copijs Conſaluum è Barolo progreſſum. Itaq; retro unde uenerat, Rubos Palicio opem laturus contendit, ſed inſtructo exercitu: iam enim aſſuetus Hiſpanicis inſidijs, ne diſperſi Galli à leui hoſtium equitatu exciperentur metuebat. Hactenus ita rexerat res Gallicas Armeniacus ut fortitudinem Hiſpani, miſericordiam uicti, fidem ſocij perſpexiſſe ſe faterētur. Alegrius uel imperium eius peroſus, Apulorum commotas ſermonibus, qui parum abſtinentes familiares eſſe Armeniaci querebantur, non deſinebat apertè figere maledictis Armeniacum: pertinere hoc ad exiſtimationem Gallicæ exiſtimatiōis palàm aiebat, ut aut Armeniacus eis uteretur quos abſtinenteis præſtaret, aut ſi ſpe amicitiæ deceptus eſſet, miſſos eos faceret: nihil intereſſe prædareturne Armeniacus, an eos ſecum duxiſſet, qui ueluti in prædam inuitati pro emiſſarijs habeantur. Cum autem iactitaret ſpe prædæ & pecuniæ maioris conſequendæ retentas Gallicas copias ad Caſtellanetum, uir acer ingenio augebat atrocitatem eorum, quæ dicebat, uultu truci, cum acciſas Gallicas copias, Rubos receptos, Palicium oppreſſum & fœdiſſimè deſertum, ingentis pecuniæ uana ſpe conſequendæ quereretur: & hac atq; illac uolitantem Armeniacum, qui tardus ſit & parum efficax, ardentibus Gallis pugnæ copiam non facere: diſtractos tandem Gallos pro præda hoſti præbiturum: ipſe ita ſentiet poſterius, cùm ſatis feriatum ceſſatione torpere Gallum agnoſcet. Hæc delata ad Armeniacum, uariè hominem affecerunt: repoſiturus tamen alio loco Alegrio, publicè tantùm edixit: Quo in exercitu Imperator rumoribus uulgi exagitetur, nihil eſſe ſalutare. Nihil eſſe quod ſibi inuidiam paret ex familiarium ſordibus: tantũ eos abeſſe ab auaritia & rapinis, quantum eum ab abſtinentia: ſe tandem aliquando pro iſtis dictis & factis Alegrium ulturum, ne impunè illuſiſſe in ſe uideatur: interea curet uterque ſuum negocium. Alegrium quaſi bellicis negocijs moleſtis & operoſis implicatus ſit, mox quærere quo defungatur ruiturus talibus curis. Se, quod ſit imperatoris munus, daturum operam, ut bene gerendæ rei occaſionem eis præbeat. Multis bellis didiciſſe quando pugnandum ſit. Non ita facilè reprehendenda Imperatorum conſilia,

ſilia, quæ omnibus patere non debeant: pollutam & uiolatam diſciplinam militarem inſolentia Alegrij, cui ſatis eſſe debeat ſi in tempore rectè pareat: Nec ſi quid ipſe ſecutus ſit non uideat, idcirco minus exiſtimare debere, ſe nihil niſi ſumma ratiōe feciſſe: Quibus de cauſis Caſtellanetum profectus ſit, Alegrio non eſſe reddendam rationem. Verba eius, uerba dum ſint, ſe laturum, ne quid priuata ea contentione res hoſtium ſuperiores ſint: cæterum ubi in præſens certamen ueniendum ſit, facta uerbis potiora futura. Interea Conſaluus cum quinque millibus peditum, equitibus trecentis (nam celeriter è uicinis locis præſidia Hiſpanorum & Italorum eduxerat) Nauarro è Tarento euocato, caſtris propè Rubos poſitis, admotis machinis, in treis partes copias diuiſit, ut una ſemper pars, quieſcentibus alijs duabus, oppugnaret urbem. Anceps diu prælium fuit, Palicius urbem tuebatur cum centum Gallicis equitibus, unà cum Amadeo Sabaudiano. Chabaneus, cui Curtuno cognomen, unà cum Arturo Oliuerio trecentos pedites partim è Narbonenſi prouincia, partim ex Aquitania celeriter circumagebat, ut ſubire Hiſpanis murum præ incidentibus telis facilè non fuerit, Nouem horis continuis, qui Palicij res geſtas Gallicè ſcripſit, narrat pugnatum, equitibus Gallicis unà cum Palicio pro uallo fortiter obſiſtentibus. Conſaluus ubi animaduertit paucitate oppugnantium æquari certamen, Italos milites plumbis æneis fortiſsimum quemq; è Gallis impetere iubet: ſimul integras copias ſubmittit. Vulnerati ſunt & Palicius & Cortonus & Arturus. Hiſpani alij per ruinas ſtrati muri, alij ſcalis aſcenſum parant: aduerſus quos acerrimè & Gallici & Aquitanici pedites occurrunt. Hoſtes & numero & uiribus ſuperiores partim per ſemiruta, partim ſcalis, iam multis pilarum plumbearum ictu necatis, tranſcendêre. Ita Rubos Hiſpani recepere. Ex peditibus conſtat omnes aut necatos aut uulneratos: equitum maior pars uulnerib. quoq; cōfecta. Palicius & Amadeus Sabaudianus, & Arturus Oliuerius & Curtonus capti, lætis Hiſpanis, qui pro Palicio, Armeniaco ſeſe potitos exiſtimabant: Atque ita confectum bellum unius urbis expugnatione. Rubos uictores permiſſu Conſalui diripiunt. Reuocauit inde medio ferè die milites Conſaluus, cum attentari agnouiſſet earum mulierum pudicitiam quæ ad aras confugerant. Eas Barolum perductas, non contumeliæ exemptas, ſed libidini ducum reſeruatas apparuit. Expleti libidine Hiſpani, eas tandem emiſere. Apparuit imparatum Palicium, cum cuſtodes parum ſuo munere fungerentur, oppreſſum: multis tamen horis acriter dimicatum omnes conſentiunt. Repoſcente interea Armeniaco captiuos ea mercede, qua conuenerat inter eos initio belli, idque conceptis uerbis, ſi quis ſe ſciens periurio contaminaret, ſatis oſtendit Conſaluus ſe fi-

dem

dem utilitate metiri: iuſiurandum & deos pro nugis habere. Palàm enim, uiolatas prius à Gallicis inducias querebatur: clàm, his redditis, labare rem Hiſpanicam aiebat. Itaq; equites excepto Palicio & Curtonio longa diuturnaq; cuſtodia aſſeruauit. Pedites prius curatos, crudeli exemplo remigibus Hiſpanicis myoparonibus adiunxit. Inde cum rediiſſet Barolum, & Armeniacus haud longè à Rubis abeſſet, Caſtellanetorum perfidiam identidem accuſans, qua factum eſſet ut ſerius adeſſet, ita conſilia bellica diſpoſuit, ne quid niſi exquiſitis omnium ſententiis moliretur. Acceſsit huic uulneri recens terror. Nam cæſarem Borgiam Valentinum iam fidem cum fortuna mutaſſe ferebant: & qui omnia Regi quem Mediolani inuiſerat, receperat, exauthorato exercitu uana ſimulatione promptiſsimos quosq; è ſuis ad Conſaluum ire paſſus eſt. Recreauit ſpes Gallicas Aubignii interea uictoria, rebus cognitis quæ ad Rubos erant geſtæ. Is cum ſciret Hugonem Cardonium è Meſſana Rhegium ſoluiſſe, & fuſo Iacobo Sanſeuerino, & Didaco Ramiro, qui à Franciſco Harcurtio ad Terinam obſidebatur, liberato. Terina quoque direpta, ne iterum Gallis prædę eſſet, uideret longius progreſſurum diſquirere cœpit quo pacto ferociam eius contunderet. Erant cum eo Claudius Grinianus (hunc alii Grinium uocant, prodiiſſeq; uolunt è familia Iacobi Brigmei Grignii, qui olim nobilitatus ſit animi excelſi & inuicti magnitudine, eoq; nomine à Philippo Burgundiæ Duce inter equites uelleris aurei adſcriptus) & Franciſcus Malherba è Belnenſium nobilitate, eorum qui Aureliis uicini ſunt, pingueq; ſolum & uliginoſum incolunt, pedites Aquitanos & Heluetios, qui M. octingentorum numerum explebant, Malherbæ committit: ipſe equites cum Griniano, qui quadringenti erant, partitur. Fixerat Hugo caſtra ea planicie quæ à Terina proſpicitur. Aubignius explicat mox latè equitatum, uti hoſti terrorem incutiat, neque paucitate copiarum animaduerſa, audacior euadat. Dextrum cornu Honorato Beſemiano & Alphonſo Salernitano, quaſi in Lunæ gyrum gradientibus committit: Læuum Griniano cum paucis cataphractis equitibus, maiore uero parte leuis armaturæ: Media ipſe acie graditur, robur cataphractorum equitum ita ducens, ut Salernitano & Beſemiano facilè iungi poſſet. At Malherbam aptiſsimè ad Heluetiorum phalãgem & peditatum Aquitanicum, qui ſagittis peritè emittendis ualebat, unà leuis armaturæ equitibus adiunxerat. Hugo quoq; Cardonius cùm detrectationem pugnæ, fugæ comitem eſſe uideret, nondum communitis caſtris, ſeſe ad certamen accingit, Emanueli Benauidio committit dextrum cornu, Theodoro Triuultio læuum, partitis inter eos Siculis & Italicis Hiſpaniſque equitibus: in media acie aduerſus Aubigniũ ſubſiſtit cum cataphractis

Aragonijs equitibus, quorum alijs aliquot ueteranis iampridem exactu Neapoli Mompenſerio utebatur: pedites Hiſpanos & Siculos Antonio Læuæ committit, homini eouſque belli cupido, ut tum demum ea hora ſe felicem diceret, cum oſtendendæ Hiſpanorum uirtuti occaſio pediti Hiſpano daretur aduerſus Heluetios & Gallos tot uictorijs præferoces, demptoq; hoc fulgure Gallici nominis circumlaturum ubique Hiſpanos arma iactitaret. Congreſsi utrinque acriter pugnabant, eaq; celeritate ab utroq; cornu procurſum, ut machinarum bellicarū opera inutilis fuerit. Hugo ipſe ante equo inſigni uectus, exemplo ſuo ſatis ſuos hortabatur. Aubignius ubi æquari pugnam uidet, Griniano imperat uti expanſa ala in tranſuerſos Hiſpanos Siculosq; pedites incurrat: Is celeriter inuectus uariè pedites diſsipat. Is terror obiectus hoſti Malherbam impulit, ut magno impetu Heluetios & Aquitanos extruderet, qui perculſis hoſtibus inſtantes, pedites in fugam uerterent. Hugo, quum equitibus labarent animi, ita acriter obſiſtebat ut quoſdam è ſuis prehenderit, & aduerſos in hoſtem uerterit. Tū uelut redintegrata eſt pugna. At Aubignius cum ala cataphractorum Scotorum ita ſe intulit, ut pulſi loco hoſtes perturbatis ordinib. in fugam uerſi ſint. Ita undique fuga facta. Galli multis ſtadijs fugientes perſecuti ſunt, multis in itinere & cæſis & captis, dum incautius per montium anguſtias euadentes conſectantur. Grinianus necatus eſt: Aubignius uix uno atque altero ſtipatus (omnes enim in prædam intenti hoſtes ſequebantur) facto impetu ab Hiſpanis aliquot equitibus captus eſt, nec agnitus: mox tamen opem ferentibus equitibus aliquot Gallicis & Italicis, qui Salernitano militabant, ad unum cæſis Hiſpanis liberatus eſt. Ferunt iugulum Aubignij iterum atq; iterū ab Hiſpano equite petitum, ſed Ioannis Stuardi Albaniæ reguli, uix dum adhuc pubeſcentis, opera, qui reliquos celeriter ad opem ferendam euocarat, ſeruatum. Relata quindecim uexilla militaria: capti M. trecenti, mille cæſi Galli ſupellectili omni impedimentisq; hoſtium ſunt potiti, & Hiſpanicis equis ducentis, quorum iacturam grauiter Cardonius tulit. Is ſeſe proripuit in locum altum, cui Bubalinæ Mottæ nomen locoq; diffuſus longius in Siciliam redijt. Aubignius mox Mottam Bubalinam, dedentibus ſe oppidanis, & Pentadactylum Locrorum oppidum ui expugnauit: & quia hyems inſtabat, dimiſsis in hyberna copijs, Armeniacum mox certiorem facit de uictoria adepta. Elato autem Griniani defuncti corpore ad Bubalinam Mottam, militari pompa & captiui Hiſpani & relata ex hoſtibus uexilla feretrum præibant. Ita illius funeri iuſtis magnificè ſolutis, reliquisque equitibus, decurſiones quoque militares habitæ. Simul cum Griniani corpore elata quoque ſunt aliorum corpora. In his quinquaginta equites fuere notiſsimæ uirtutis: pedites

tes

tes centum. Aduenerat paulò antea Petrus Summuntius (in quo erat ſumma eruditio, & cum eruditione iunctus urbanitatis lepos) ad ſalutandum Aubignium: isq; precibus illius hac funebri oratione fortiſsimorum uirorum exequias celebrauit: Maximè uellem proceres, uiuum potius Grinianum quàm mortuum, reliquosq; fortiſsimos commilitones cæſos, lauderemus: ſed quoniam ita naturâ comparatum, ut corpus fluxum, animum immortalem nacti, euocante Deo Opt. Max. corpus humo, animam cælo tandem aliquando reddamus, enitendum eſt nobis ne ulla poſteritas memoriã fortiſsimorum uirorũ inobſcurare taciturnitate noſtra poſsit, quandoquidem uita defunctorum in uirorũ quodammodo ſita eſt memoria. Atq; ut omittam & genus & auos & proauos (hæc enim ut ſplendidiſsima ſint, ita aliena ſunt, maiorũ ſunt noſtrorum) Grinianum ipſi ſemper ſcitis apud ſuos charum, apud principes magnum, apud uos ſumma beneuolentia fuiſſe. Miſſus prima militia ad Cordeum, omnem exercitũ in ſe cõuertit. Haud facilè diſcerneres militine an Cordeo charior eſſet: neque Cordeus alium quemquam deligere ſolitus ubi quid promptiſsime agendum eſſet: neque milites alio duce plus confidere. Qua quiſq; maximè ratione alliciendus eſſet, unus omnium callebat. Cum Carolo uerò Rege huc profectus, uirtute, aſsiduitate, conſilio, tanto Regi acceptiſsimus fuit. Multa prætereo eaq; præclariſsima, ad ſingulare enim factum properet oratio. Meminiſtis enim proceres, meminiſtis qualem operam Regi Aubignioq; toto hoc bello præſtiterit. Vidiſtis nobiliſsimum hominem militaribus armis oneratum, humi iacentem, fatigatum nocturnis uigilijs quieſcere. Meminiſtis qua uos ille liberalitate fouerit: meminiſtis ut idem primus quidem prælium libenter inire ſolitus ſit, poſtremus commiſſo prælio excedere. Nunquam hominem ab inſtituta animi magnitudine, auaritia ad ſordeis ullas reuocauit, non libido ad uoluptatem non amœnitas ad illecebras. Quid commemorem faciles priuatorum ad eum aditus? liberas querimonias? ut miles eum prò commilitone, ſocij pro fratre, exteri pro patrono paſsim haberent. Nam humanitate equidem tanta fuit, ut difficile ſit dictu, utrum hoſtes magis fortitudinem eius roburq; ueriti ſint, an clementiam ſuperati amarint. Hæc qui uidet ab alijs neglecta, facilè intelligit quantum in homine & nobiliſsimo & opulentiſsimo laudanda ſint. Namq; ut grauius ferri, maioriq; dedecori haberi uidemus uerrucas in facie, quàm næuos & luxata alia membra quæ teguntur: ita ob eam quam de nobiliſsimis hominibus reliqui concepere opinionem, quaſi, de ijs qui reliquos uirtute uincere debeant, minima quæque eorum uitia moroſius obſeruantur. Tali indole Grinianus ereptus eſt nobis (ut Mars fortem quemq; pignerari ſolet) dum fugientibus hoſtibus inſtat,

& ſub-

& ſubducta caſside quo ſtatu res ſint noſtræ explorat: ſed ita occubuit, ut multis prius hoſtibus & uulneratis & cæſis, uictoriam nobis nobiliſsimam reliquerit. Quamobrem fortiſsimi milites, celebremus exequias tanti uiri: Celebraturi uerò ſumus optime, ſi illius exemplo nitamur ſemper ad optima, ſi ille nobis exemplar ſit, ſi eius fortitudinem, magnitudinemq́ animi imitemur, abſtinentiam cenſuram noſtram eſſe putemus, fortunatamq́ mortem eius nobis perſuadeamus, quæ naturæ debita pro patria potiſsimùm eſt reddita: perſoluiſſeque eum naturæ debitum, quæ ei uſuram uitæ dederat, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die: confeciſſeque iter iucundum, quo confecto dum diuorum conſortio fruitur, nulla reliqua cura, nulla ſolicitudine angatur, emiſſumq́ è cuſtodia & leuatum uinculis in æternam domum remigraſſe. Feramus ipſi æquiſsimo animo eius mortem, quem uirtutis perfectæ perfecto functum munere uidemus: cui telis hoſtium interempti uitæ ſocia uirtus, mortis comes gloria adfuerit. Ac ſi præreptos illi aliquot annos, præciſas potius fortè aliquot horas doleamus: id tamen in mentem nobis ueniat, tam ſplendidè & integrè uitam anteactam id perficere ut ſatis ſuperq́ uixiſſe uideatur. Cuius fortitudinem ſi perpenderitis, rationibus ſubductis intelligetis, ſi deſiderium Aubignij & fortiſsimi cuiuſque intuemur, fortiſsimum uirum Grinianum parum uixiſſe: ſi ad earum rerum quas geſsit magnitudinem, ſatis uixiſſe: ſi ad fortunæ uarietatem & commutationem, nimium diu uixiſſe: ſi ad memoriam rerum præclariſsimè geſtarum, ſemper uicturum eſſe. Atq́ ut angi poſſumus eo nomine quòd fortiſsimi uiri cogitationes & actiones medio in ſpacio fractæ ſint & corruerint, isq́ ipſe antè in ipſo curſu obrutus quàm portum conſpexerit: conſolari tamen haud leuiter debemus, cùm ex hac tanta rerum perturbatione in feliciorem uitam migraſſe hominem uideamus. Cuius fortiſsimi manes ita conquieſcunt, ut æterna omnia, ſecura, tranquilla Dei Opt. Max. ope adepti eſſe uideantur. Iam hyems in exitu erat, cum Hugo Cardonius reparato exercitu, miſsis etiam quinque hominum millibus à Ferdinando, auxerat exercitum, ut iam ad octo hominum millia in armis haberet. Siculis Cardonius, Hiſpanis præerat Ferdinandus Andrada belli peritiſsimus. Aderat & Ioannes Cardonius & Alphonſus Caruailus, & Emanuel Benauidius, & Antonius Læua. Aubignius ſuperiores cùm nõ ignoraret hoſtes numero militum, confiſus tamen ueterano milite, & fruſtra toties expectans à Rege auxilium, aleam rurſus belli tentandam ſibi perſuaſit. Itaque facturus hoſti pugnandi copiam, ex Gioia oppido copias educens, in campos uicinos progreſſus eſt. Primum agmen ipſe ſibi ſumpſit: ſecundum Honorato Sanſeuerino, tertium Alphonſo Salernitano tribuit: Malherbæ pedites cũ ma-

chinis

chinis bellicis commiſit. Apud hoſtes in dextro cornu Emanuel, in ſiniſtro Caruailus; in media acie Hugo Cardonius; ſequente Læua cum equite & pedite Hiſpano uetere. Aderat deinde cum recentibus copijs Andrada. Aubignius cum Emanuelis cornu concurrit, ita acriter, ut pulſi hoſtes iam terga darent. At cedentibus mox adfuere Cardonius & Læua: turbatisque equis uir uiro congrediens ferè ex equeſtri pedeſtre certamen reddidere. Anceps erat, utrinque multis cadentibus, certamen, nec ulli fugæ conſilium tentaturi uidebantur. Franci eminus haſtis; Hiſpani cominus paruulis ſuccincti gladijs in haſtatos inuolabant, ordinesque perturbabant: ac quanquam ita peruaſiſſent Germani, qui unà cum Aubignio erant, perturbatæ ut cohortes Hiſpanorum uiderentur: illi tamen ita celeriter undique circumagebantur, ut ipſos Germanos frangerent, cominus gladiolis in eos inuecti. Tandem hoſtes ſæpe & multum cogitantes, qua fronte acieque denſa, cùm numero uincerent ſupereſſentque integræ copiæ; Aubignij equitatum nimis tenuem & rarum impellerent; Alphonſus Caruailus ſiniſtrum cornu circunducens ita in Aubignium, cuius equitatum in anguſtum locum coactum uidebat, inuectus eſt, ut facilè pepulerit labore & uulnerib. feſſos. Inde diſsipati Aubigniani equites, & quà quiſque potuit, inde ſeſe effuſa fuga proripuit. Aubignius ab hoſtibus interceptus, ſuorum cuneo in equum relatus eſt. Alphonſus Sanſeuerinus, cùm tardius Aubignio opem ferret (nam iam hoſtes peditatum quoque Gallicum diſsiparant) à Ferdinando Andrada fugatus eſt. Honoratus Sanſeuerinus, ne tentata quidem pugna, quaſi ſerum eſſet auxilium, cùm fugæ comes eſſet Alphonſo, unà cum eo interceptus & abductus eſt. Aubignius Gioiam, inde Angitulam ſeſe proripuit. Andrada & Cardonius celeritate uictoriæ uſi, Angitulam mox expugnant. Aubignius cum ſuis in caſtrum munitum tranſit, per multos menſes, etſi admotis machinis, obſidionem fortiter tolerans. Scio à Iehannoto Dinuerſo, & Podenaſio equitibus Gallicis & Aquitanicis, huius pugnæ aduerſum euentum in culpam Aubignij relatum, cùm illi Malherbam admonerent, quòd eſſent Galli numero hoſtibus inferiores, protrahendam pugnam: loca munita inſidenda. Sed quando multò calumniari facilius geſta poſſumus, quàm quid opus factu ſit antequam gerantur conſulere, euentis rerum parum ſani homines metiri ſolent hominum prudentiam. Quæ in rem Gallicam eſſent haud ignoraſſe Aubignium tot prælijs aſſuetum facilè crediderim: fieri uerò potuiſſe, ut qui amplas res & ſecundas ductu ſuo ſæpe geſsiſſet, ſcientiæ militari & fortunæ, qua ſæpe in bellis periclitatus ſuperior ſemper euaſerat, confideret, à qua tũ deſertus ſit. Interea ut finis unius mali, principium eſſet alterius, Conſaluus aucto exercitu ex pluribus Germanorum

cohortibus, & undique aduecta annona, Preianne Gallo fruſtra obnitente: iam etiam Venetis, qui ſeſe ſpectatores futuros huius belli receperant, neutriq; auxilium laturos, occultè Ferdinando fauentibus, poſt ſeptimum menſem Barolo egreſſus eſt, ultrò Gallis congreſſurus. Armeniacus, qui aucto exercitu non ignoraret, maiora auſurum Conſaluum, rogat Matthæum Aquæuianum, qui Conuerſanum tenebat, ut ad Altemuram ſeſe Ludouico Darſio coniungens, Canuſium ad ſe properaret. Petrus Nauarrus Matthæum ad Darſium properantem, diſpoſitis in itinere inſidijs, literis perlectis & corrupto pecunia tabellario, cùm id ille ignoraret, intercepit, captiuumq; abduxit. Conſaluus ad Cirignolam tandem cum robore exercitus peruenit, euocato prius ad ſe Petro Nauarro & Ludouico Errera. Alij Ciriniolam oppidum uocant, Cereneolam alij. Peruenerant iam ad Armeniacum ad Canuſium agentem, Darſius, Alegrius, Formantius, ex Caſtillonum illuſtri familia. Traianus Carracciolus, Palicius, Alegrius, cùm hoſtis pugnandi copiam faceret, etſi uix hora diei ſupereſſet, ferox ſermone belli aleam ſubeundamférociter aiebat, obliquè diſſentientes timoris arguens. Cui Armeniacus, qui quoniam aduesperaſceret, malebat ſequenti die pugnare. Ego quidem (ait) dimicaturus ſum. Vereor uerò ne præclarus hic conſultor, curren ti potius equo quàm haſtę confidat, ubi in apertam contentionem certameńq; uenerimus. haud dubiè euētu belli ominatus, fugamq; Alegrij. Ipſe ita inſtruxit aciem, ut in dextro cornu ipſe cum Darſio eſſet, Chandius in media cum peditatu, extremam Alegrius duceret: atque ita decretum eſt exquiſitis ſingulorum ſententijs, ut cùm Armeniacus *inuectus* eſſet in hoſtem, Chandius è media acie machinas bellicas emitteret. Parum abfuit, quin Armeniacus & Alegrius inter ſe digladiarentur, ſed Arſius permulſit iram Armeniaci. Concurrēte principio leues alæ equitum: Tormenta hoſtium bellica in Gallos emiſſa ſunt, quorum fumo & excitato puluere, equitibus Gallicis uiſendi hoſtis & procurendi facilior copia adimebatur. Ea tormenta cum iterum in Gallos emitterentur, metu Italorum, qui ea uentura in Gallorum poteſtatem uerebantur, aut caſu incenſa ſunt. Armeniacus procurrens in Germanos & ſiniſtræ alæ equites, foſsis aliquot, quas hoſtes prius leuiter texerant, incurrens, ne ad eos perueniret factum eſt. Itaque retrò agmen flectens, dum locum alium, quò irrumperet, diſquirit. pila plumbea ictus cecidit. Chandius eiſdem foſsis hærens, & pilis quoque plumbeis ab Hiſpano pedite impetitus, diſſipatis Heluetijs eodem loco necatus eſt. Hūc & Chandenerium uocant, illuſtri natum familia è Pictonica nobilitate, aut Pictonibus uicina haud longè Niorto urbe. Ita Galli animos demittunt & contrahunt. Cædes inde, non iam pugna erat, cùm uictos

duces

duces Galli uiderent, Hiſpani & Germani ingenti ululatu teſtarentur. Formantius acriter dimicans captus eſt: Darſius multis necatis, cùm effuſam fugam Alegrij atque aliorum uideret, ſæpe Diris deuouens hominis contumaciam, qui ſimultate ſua extremo diei tempore uana elatione animi ſubnixus, Gallicam uirtutem eo facto maculaſſet, & de uera belli gerendi ratione Armeniacum dimouiſſet, & ipſe tandem perfugit Venuſiam. Alegrius Tripaldam poſt uarias latitationes, inde Auerſam tandem peruenit. Et Italici & Gallici & Hiſpanici ſcriptores huius diei celebrem uictoriam his foſsis adſcribunt, quibus occubuit Armeniacus. Sepem enim conſtituerat Conſaluus, qua peruaſuros equites Gallicos rebatur palis ſtatutis crebris, ac uirgultis implicatis, perforatisq; tignis ac per foramina traiectis longurijs, truncisq; ex uitibus demiſsis humo congeſta: agerq; parte una ſtolonibus abundans, faciliorem fraudem efficiebat. Alij ita narrant nono Calendas Maij anno milleſimo quingenteſimo tertio, Conſaluū in pontem Cannarum ueniſſe: poſtridie cum tentaret Ciriniolam, ueniſſe ſubſidio Gallos: fuiſſe utrinque acriter pugnatum, donec equites Gallorum ab extrema acie nullo premente ſeſe reciperent. Ea re animaduerſa, equites Hiſpanorum, & Italos Gallorum à fronte præliantium latera adortos perturbaſſe: ita hoſti partam uictoriam. Aubignius interea per hoſtes certior factus de Armeniaco cæſo, utq; comploratæ eſſent res Gallicæ, miſsis etiam equitibus qui eadem renunciarent, ſeſe in fidem Conſalui contulit, pactus omnium incolumitatem, & liberum in Galliam diſceſſum: ipſe, donec confectum eſſet bellum, liberali cuſtodia aſſeruaretur: bello confecto, liberaretur. Ac ne Conſaluus ſub belli nondum confecti formularem extraheret, conuenit ut Neapoli, arcibus, & Caieta reddita aut expugnata, confectum bellum haberetur, atque idem iuris ſtatueretur, Neapoli cum arcibus à Gallis ea æſtate retenta. Galli ſecundum eam pugnam plures captiui abducti ſunt: tormenta bellica eximiæ magnitudinis capta. Interea Neapolitani pulſis Gallis, & in arcem confugientibus, oratores ad Conſaluum mittunt, nihil aliud petentes quàm incolumitatem ſibi, & ueterum tabularum, immunitatum & iurium confirmationem. Conſaluus benigniſsimè auditos, cœnæq; adhibitos Neapolitanos, collaudatis Ferdinandi in eam ciuitatem ſtudijs, ita ſibi eorum beneuolentiam conciliat, libenter ut illi pro Ferdinādo Conſaluum, ſi quid is molitus eſſet, regnare uoluiſſent. Omnium ſibi laborum circa Apuliam exhauſtorum nequaquam tantum fructum eſſe, quàm ultrò ſibi conciliatos Neapolitanos, profitebatur. Itaque ex Apulia Campaniam ueniens, magnificè, receptis alijs urbibus, Neapoli exceptus eſt. Admotæ mox ſunt à Petro Nauarro arcibus machinæ. Valentina turris haud diu oppugnata, rece-

pta eſt. Turris nouæ oppugnatio diutius eos occupauit, ſed cuniculis à Nauarro ductis, parte proruente, Galli deditionem fecere, uiolati tamen omnes præter fœdus. Inde Oui arx ijſdem cuniculis tentata, oppreſsis ruina muri prolabentis cuſtodibus, expugnata. Ludouicus interea Darſius qui Venuſiam ſe receperat, cùm delecta Gallorum manu crebrò eo loco erumpens, uariè Hiſpanos fatigabat. Itaque cùm Valentinum Benauidium cum turmis aliquot Hiſpanicis intercepiſſet, eò miſſus eſt à Conſaluo Antonius Læua cum Iacobo Areliano, qui erumpentem coërceret, quos ille ſæpe fatigatos uariè eludebat: occupata etiam Atella & Altamura, cæſo Hiſpanico præſidio. Inde Conſaluus Caietam contendit. Erant eo loco Alegrius, Ludouicus Salaſsiorum regulus, Oddo Ribberacus Daydius cum Aquitanico peditatu. Caietam ductis quoq; cuniculis dum oppugnat Nauarrus, contrà ex urbe alijs actis cuniculis: uanum fuit hominis ſtudium. Simul Gallici pedites, ex urbe machinis emiſsis, fortiſsimum quenque ex hoſtibus ſternebant. Claſsis quoque Gallica Preianne duce, & Iona nauarcho adoleſcente, quæ inter Molã & Caietam prouecta erat, machinis emiſsis hoſtes Formianis littoribus uagantes paſſim necabat. Cæſi ſunt in Caietæ oppugnatione Sancius Armentalus, Alphonſus Lopeſus, Antius Liteſtanus Germanus, Sed maximè commotus eſt Conſaluus morte Hugonis Cardonij iam Gallicis bellis aſſueti, & Rodorici Maurici. Itaque remiſſa obſidione, in Caſtellonem redijt, quod alij Formianum M. Tullio fuiſſe aiunt. Rex interea conſcriptis ſeptem peditum millibus & quadringentis equitibus, Ludouicum Tremolium & Franciſcum Gonzagam copijs præficit. Eos ſubſidio ſuis mittit. Sed Tremolio Romæ grauiter ægrotante, ut iam deſperata eſſet hominis ualetudo, ſumma imperij redijt ad Gonzagam. Moritur interea Romæ Alexander VI Pontifex Max. Is cùm filio Valentino Cæſari imperaſſet, ut propinato ueneno inuitatos purpuratos tolleret, dum miniſtri errore & Alexandro & Cæſari, & Hadriano purpurato, qui multùm gratia apud eos ualebat, è lagena ueneno infecta crebra pocula dantur, accidit ut quibus pernicies parabatur liberarentur, Alexander Pontifex & Valentinus ſeſe obrutos ueneno ſentirent. Alexandro intra paucos dies extincto, filius mulæ utero recenter necatæ iucluſus, alijſquè pharmacis adhibitis, ſeruatus eſt: ſed ita aduerſa fuit ualetudine, dum agitur de Pontifice deligendo, ut, quod concupierat, è ſuis quem uellet, Pontifex non deſignaretur. Iouianus Pontanus acerbo carmine inuectus eſt in hunc Pontificem, Lucretiamquè eius filiam, quam ei ſponſam, nurum, filiam fuiſſe ait: amarius Actius Sincerus, qui ab eo uictos ait Nerones, Caligulas, Halagabalos, & quod nos cælum & numina dicimus, illum longo tempore apinas credidiſſe. Gal-

ſe. Gallicus exercitus multum poterat ad comitia Pontificia. Georgius Amboſius Rothomagenſium Pontifex unà ſecum è carcere liberato Aſcanio Sfortia Ludouici fratre, cùm is omnem ei ſuam deferret operam, ingratiſsimum Aſcanium ſenſit. Eluſus eſt uerò egregiè à Iuliano, quem Iulium Pontificem nominatū legimus.
» Is cùm & Borgiæ opera & Gallorum uel ſtudio uel metu uideret
» patrum ſtudia in Georgium inclinare, ultrò adijt hominem. Et
» Pontificatum quidem (ait) omnium ſuffragijs dari tibi fateor. At-
» que ego quidem haud diffiteor, uel pleraq; me, tantam ut tibi di-
» gnitatem pararem, & ſimulaſſe dolentem & diſsimulaſſe uolentē,
» tandem ut aliquando rem omnem ad effectum conſilij perducerē,
» Hactenus tacui, cum præmaturam denunciationē officij ſtudijq;
» intelligerem, etſi dolebam cum alios occupare poſſeſsionem Pon
» tificatus uidebam. Sed uſq; mihi temperaui dum perducerem eò
» rem ut dignum aliquid, & dignitate tua, & Gallica expectatione ef
» ficerem. Id uerò ueremur amici tui, ne, quod olim non ignoras ac-
» cidiſſe, quiritētur exteri purpurati, metu te Gallicorum armorum
» deſignatum: nouaq; habeant poſtea comitia de alio deſignando.
» Quin tu eos, cùm uideas parata omniū in te ſtudia, hoc metu libe-
» ras? Neq; enim circunfuſis patribus armis Gallicis, uanè quis ob-
» iecturus Spiritus ſacroſancti numine non deſertos? Itaq; cenſeo e-
» mittas mox omnes Gallicos milites urbe, Pontificatū minimè con
» trouerſum ſine dubio adepturus. Hęc ſuadeo ut non peritiſsimus
» harum rerum, ita de ſtudijs ergà te patrum non ignarus. Quæ e-
» runt neceſſaria in eo tibi parando honore, in eadem nec infidelem,
» nec ſegnem operam polliceor. Georgius hac oratione commotus, rem defert ad Borgiam. Is ridere Iuliani uanitatem, qui homo in dedecore natus, ad turpitudinem educatus, ad ſimulationē accommodatus, ſequeſter comitiorum corrumpendorum, periurijs delibutus, qui nullum in locum tam ſanctum peruenit, in quo nō, quanquam in alijs culpa non eſſet, tamen ex ſua improbitate infamiæ ſuſpicionem relinqueret, tanto poſtea interuallo ſacroſancti Spiritus numē ad Pontificia comitia reuocet. Paruit tamen malo omne illius conſilijs. Ita Galli Roma egreſsi, Iulianiq; opera Pontificatus Georgio extortus, renunciato Pontifice Pio III. Ipſum Iulianum multi poſtea audiere, uanitatem Gallicam ridentem: & Pio paucorum dierum Pontifice, cùm multa in Gallos moliretur mortuo, Iulianus Pontifex præparatis antè in id conſilijs Pontificatum adeptus eſt. Actius Sincerus acerbo carmine in hunc mox Pontificem deſignatum, uaticinatus eſt, paratum omnia euertere: qui nihil meminiſſet, præter uincula & exilium. Iam Heluetij & Galli unà cum Gonzaga longius progreſsi erant. Aderant & Ludouicus Salaſſus, & Sadricurtus Spurius, & Matthęus Trantius, Alegrius Antonius Baſſeius, Michael Gran-

dimontanus, Petrus Medices Florentinus, Sanctocolumbanus, Theodorus Triuultius, qui ſe iampridē ad Gallos receperat: Borbonius Aquitanus, qui comitis Laudani cognomine notior eſt: Gilbertus Carpinas, Ioannis Bentiuoli Bononienſium Reguli gener: Rambertus Malateſta Sogliani Comes, pluresq́ alij partim è Caieta euocati, partim Gallica ſtipendia ſecuti. Vrſini uel Borgiæ irritati ſimultatibus, uel à Iacobo Mendocio maiorum ſtipendiorum ſpe ſollicitati, deſertis Gallis Conſaluo hæſerunt. Galli qui è Caieta eruperant, Molam & Itrium adorti, cæſis Hiſpanis, diripiunt. Arcem Sicam dum oppugnant, uana fuit oppugnatio. Conſaluus è Formiano motis caſtris ſupra Caſinum arcem munitam, quam è templo Galli erexerant, cæſis direptisq́ Gallis recipit. Aquinum Gonzaga profectus eſt. Miſsi ſunt à Cōſaluo Fabritius Columna, & Ludouicus Petilianus, qui cum Columnenſium & Vrſinorum equitibus extremum agmen carperent. In hos inuectus Alegrius, ſex captis, multis uulneratis, reliquos in fugam uertit. Gonzaga ex Aquino motis caſtris, Fregellas ſe recepit. Conſultanti quidnam agendum, quà peruadendum, multis in diuerſas ſententias tendentibus pluresdies conſumpti ſunt. Placuit tandem Lyri amnè ponte conſtrato traduci copias. Fuere qui ſibi perſuaderant, quorundam (qui Gonzagæ familiares erant) opera admonitos hoſtes de conſilijs Gallicis. Nam Conſaluus quaſi non interfuiſſet modò, ſed præfuiſſet extremis conſilijs, leuem mox armaturam equitatumq́ Hiſpanicum miſit cum Petro Pacæo & Fabritio Columna, qui aduerſam hoſti ripam tuerentur: munitioneq́ longè lateq́ perducta, Gallos tranſitu arcerent. Galli interea ad traijciendum Lyrim, Pontem conſternebant, pilis Hiſpanicis æneis, & Italicis ſæpe prohibiti. Galli quoque iiſdem pilis uariè hoſtes infeſtabant. Itaq́ accidit ut à Gulielmo Bayleno Poiano Aquitano equite, cui ubi uiſum eſſet, collineare ſagittam rarò à propoſito ſcopo aberrabat, Fabius Vrſinus ſagitta emiſſa necaretur. Interea à Fabritio Columna, Galli qui Euādri arcem cum Federico Monfortio retinebant, acerrimè oppugnātur, cùm Gonzaga admonitus à Sadricurto, qui arcem magni momenti ad bellum aiebat, minimè obſeſsis auxilium tuliſſet, neque ferrè uellet. Pacta Gallorum incolumitate deditur arx Fabritio. Diſsimili euentu turrim ad Lyris fauces poſitam, cùm fortiter admotis quoque machinis Galli oppugnarent, Antonio Baſſeio urgente, Hiſpani dedere coacti ſunt, pacta quoque ſuorum incolumitate. Iam ponte conſtrato nequicquam hoſtes cùm munitiones oppugnaſſent & ripa aduerſa cedere cogerentur: erant ita Gallica tormenta è ſuperiore inferioreq́ ripa inſtructa, ut ad pontem emiſſa tranſeuntibus maximo eſſent auxilio. Etiam Baſſeius cum delecta Heluetiorum manu tranſierat, Fabritius Columna & Ferdinandus

dus Andrada in tranſeuntes inuecti, uariè eos urgebant. Sed Alegrius & Sadricurtus, & Petrus Medices, & Sanctoiulianus unà cum Baiardo tranſgreſsi, facilè Hiſpanos & Italos equites propellebant, cum repentè Conſaluus cum robore exercitus aduolat. Eius erat conſilium ut impeditos Gallos, & inopinantes aggreſſus, qui nondum flumen tranſierant, concideret. Baſſeius & Alegrius, etſi numero inferiores, audacius ſubſiſtere. Sed Galli machinis aptiſsimè à Conſaluo diſpoſitis, ne auxilium iam tranſgreſsis ferrent, prohibebantur. Quod Alegrius Baſſeiusque intuiti, Heluetios hortati, dum & Galli qui erant cum Alegrio equis cæſis peditum munus libenter ſuſciperent, in tormenta hoſtium bellica impetum faciunt, ut iam Fabritius Columna & Andrada pulſi loco, ſeſe ad ſuos reciperent. Sed ea ab Hugone Moncata egregiè defenſa, & Germanis militibus, tandem ut Heluetijs Gallisque ad ſuos redeundum fuerit. Cæſi ſunt è Gallis aut Heluetijs quingenti, centum ſubmerſi: ex hoſtibus ducenti deſiderati. Petrus Medices in Gonzagam grauiter inuehebatur, quem cunctatione ſimulata, exploratis ſatis omnibus, traijciendi alijs cauſam fuiſſe aiebat: nunquam autem adduci potuiſſe, ipſe ut traijceret. Geneſius Sepulueda eo prælio commendat Ferdinandi Hileſcæ ſigniferi Hiſpani robur, qui machina bellica dextra amiſſa, uexillum læua multis uulneribus acceptis extulerit. Hunc ait, amiſſo brachio, quo ſignum ſuſtinebat ſiniſtra manu, ne pede quidem relato ſignum recipiſſe, dum turpe ducit loco cedere, quē ſemel occuparat: & paulo poſt ingruentibus Gallis, qui ſignum maximè petebant, ſiniſtram quoque manum amiſiſſe: tunc uerò cum ſtatuiſſet non antè ſignum quam uitam amittere, id truncis brachijs extuliſſe, tandiuque loco immotum conſtitiſſe, donec Galli pulſi eſſent. Hunc poſtea euocatum à Conſaluo pro tanto facinore palàm commendatum, & ad Ferdinandum Regem cum teſtimonio & commendatione tantæ uirtutis perductum, ab eoque pro eo ac merebatur gratiam ei relatam præmiaque tributa. Galli in caſtra regreſsi de integro & conſilium Lyris traijciendi inibant. Sed Gonzaga cùm ſe ſuſpectum Gallis ſentiret, uel Sandricurti conuitijs commotus, à quo præconis nomine inſignitum ſe frendebat, uel (quod Sandricurtus iactabat) ut abducto ſecum robore Italicarum copiarum, uires Gallicæ minuerentur, abdicato ſponte imperio abijt, culpam conferens in Gallorum contumaciam, nihil ſuo egreſſum ſe officio dictitans: ſed hactenus eà era- conſecuta quæ hyemi aduentanti, locisque parum bello aptis imputari poterant. Eius diſceſſu & hoſtibus aucti animi, & ex hac ſpe deturbati Galli non leuiter perculſi ſunt: & tamen, ut in rebus fluxis, ſummam imperij detulere ad Ludouicum Salaſsiorum regulum, donec Regi aliud placuiſſet: exteris tamen multis,

qui florentibus rebus præſtò fuerant, deuolantibus, & ad hoſtes ſe recipientibus. Hyems deinceps adeò imbribus frequens, locis præſertim cœnoſis adeò utrorumque copias afflixit, ut Conſaluus tot pro ripa extructis munitionibus, eas deſerere & ad Sueſſam ſe recipere coactus ſit: & Galli, qui toties pro Lyri traijciendo certaſſent, abeunte hoſte nihil deliberarent de tranſitu, deteriores locos & parum munitos ueriti. Tentauerat is prius perfringere Gallicum pontem, in eamq; operam conuehi iuſſerat ligneas munitiones, quæ impetu amnis emiſſæ ſuperiori loco ponte perfringerent. Beiomantius cum cohortibus Aquitanicis paruis nauiculis traijciens, elicuit omnem eum apparatum & abduxit, cæſis qui adornabant Hiſpanis nauigiolisq; aliquot depreſsis & ratibus abductis. Conſaluus cùm hæc fruſtra expertus eſſet Proſperi columnæ conſilio, deliberat de incendendo ponte Gallico. Ad id traiectoriam nauem deligit, eamq; lignis exilibus, ſulphure utraque parte intinctis, ingentiq; alia materia ſicca, reſinata, & piceata, complet: hancq; maximo ſonitu incitatam ad pontem emittit: irrito conatu, cum & Galli dolo intellecto leuibus machinis emiſsis uenientem arcerent, & ignis ab Hiſpanis temerè illatus, & antennas & latera & foros proramque ipſam, reſinatumque & piceatum omnem apparatum prius conſumeret, quàm ponti Gallico nocere poſſet. Galli interea hyemis ſæuitia plures abſumpti ſunt. Vigiliæ multos conficiebant: Heluetiorumq; affecta laboribus corpora. & equi pabuli inopia conſumpti. Tot rebus oppreſsi, cum neque, pecunia auerſa, ſtipendia à regijs quæſtoribus bona fide exoluerentur, Salaſſus conſtituit peditibus relictis, qui munitiones tuerentur, equitatus robur Caietam deducere. Fremere pedites, obijci ſe hoſtium inſidijs, ſtipendia non ſolui, affecta iam omnium uigilijs corpora. Permulſit Salaſſus iras eorum, reque iterum deliberata conſtitutum eſt, uti & pedites & equites in hyberna deducerentur. Machinæ uerò bellicæ fluuiatilibus nauibus impoſitæ ſunt, eorumque auehendorum cura Mandata Petro Medici: nam is, licet plerique id munus detrectarent quaſi periculi plenum, receperat: futurumq; potius ut uita ſpoliaretur ab hoſtibus, quàm hi machinis potirentur, edixerat. Atque ut receperat, ad extremum præſtitit. Nam fluuiatiles naues machinis onuſtæ, in ipſis fluminis faucibus, proris auerſis & undis dantibus locum, unà cum eo & pleriſque alijs obrutæ ſunt: tametſi Medices iam cùm initio littora agitata uentis intumeſcere, ac reſonantem undiq; fragorem & murmur uideret & audiret increbreſcere, cautius ſeſe ea cura explicare potuit. Iam Conſaluus (ut erat ad exploranda Gallica conſilia callidiſsimus, & exploratores plures ingenti pretio deuinctos in Gallicis caſtris habebat) certior factus fuerat de eorum in Caietam diſceſſu. Itaque

Liuiani Vrſini conſilio, parte alia Lyris, adiunctis compluribus nauiculis, atque inuicem colligatis, aſſeribusq; conſtratis, dolijs quoque applicatis ponte facto traijcit copias: imparatosq; Gallos nactus, qui Sugium ſe receperant, cæſis illis oppido potitur. Salaſſus interea cum robore copiarum Caietam properabat. Accelerant Ferdinandus Andrada & Iacobus Mendocius cum leui equitatu hoſtium, ut extremum abeuntium agmen inuadant. Petrus Terralius Baiardus ſolus acriter diu impetum hoſtium ſuſtinuit, donec adeſſent & Bernardinus Adurnius & Grandimontanus & Sanctocolumbanus, cum alijs aliquot Gallicis & Italicis circa lapideum pontem Formianum, qui & diu impetum hoſtium pluribus quoque necatis ſuſtinuere. Atque ubi ſatis intelligunt longius ſuos progreſſos, ſenſim ſe quoque Caietam recipiunt, pluribus tamen deſideratis, in quibus & Adurnius occiſus eſt, & Sanctocolumbanus uulneratus, unà cum Buſeto & Bourdelio. Conſaluus ad Caietam oppugnandam contendit, non ignarus frumenti inopia, ut in tanta multitudine, urgeri Gallos. Galli quoque cum ingraueſceret annona, eſſentq; in ſumma difficultate nummaria, ne fruſtra obſidionis incommoda perferrent, Sanctocolumbanum miſere, qui ſalutato Conſaluo narraret, ſi non indignę militarib. hominibus cōditiones offerretur, Caieta ceſſuros: ſin ſecus, potius nō indignam Gallico nomine mortē oppeturos. Remiſſi ſunt Caietam cum eo Petrus Nauarrus, Didacus Mendocius, Petrus Pacæus, cum Salaſſo tranſacturi. Tandem cum multis diebus Triuultius, Baſſeius & Alegrius cum Conſaluo collocuti eſſent, his legibus urbs dedita eſt, ut Galli omnes, Itali, Heluetij, quà uiſum fuiſſet, uel terra uel mari cū omnib. equis impedimentisq; liberè in Galliam redirent: Caietanorum res omnes ſaluæ eſſent, reliquisq; urbibus quæ Gallicas partes fouiſſent fraudi ne eſſet, Aubignius, Formantius, & reliqui captiui, qui Neapolim abducti eſſent, liberarentur. Non potuit impetrari à Conſaluo, ut Mattheus Aquęuianus & Sanſeuerini liberarentur: Diſertè tamen additum eſt, integra eorū cauſa Ferdinando ſeruaretur: de his neque Ferdinandus, neque Conſaluus ſupplicium ſummere poſſent, donec per legatos Gallicos cum Ferdinando Rex egiſſet. Ei rei peragendæ octo menſes ſtatuti ſunt: hiq; poſtea pace inter Reges conciliata, liberati ſunt. Traianus Carracciolus cum omnibus ſuis liber emiſſus eſt: hiq; qui à Gallis capti erant liberati. Eo pacto Galli in Galliam rediere: Salaſſus tamen in itinere defunctus eſt. De regijs Quæſtoribus, qui pecuniam auertiſſent, decreta peculatus quæſtio: Ioannesq; Herouetus peculatus damnatus eſt: Sadricurtusque & Baſſeius & Alegrius, quaſi rè malè geſta, diu aula excluſi ſunt: Alegrius tamen intra paucos menſes in gratiam redijt. Sed & equitum peditumq; ſtipendium

præ

præfecti fraudauerant, falſum interea equitum numerum deferentes. Sunt qui ſcribant Aubignium & pleroſque alios aliorum captiuorum facta permutatione redditos: uoluntq́ue unà cum Aubignio captum prius Alegrium, liberatum. Herouetus ab ipſis Gallicis Italicisq́ue præfectis ita aiebat fraudari ſtipendia, ut nunquam copiæ eo quo debebant numero uiderentur, quin & in tranſuectione publica alij alijs equos commodarent. Ex ijs aliquot nominabat magni nominis, qui ſtipendium equitum fraudabant & prædam, haud leuem domum auertebant. Ludouicus Darſius cùm eo fœdere uti poſset, ea fuit animi magnitudine, ut expanſis uexillis reſonantibusq́ue tympanis Venuſia egreſſus, fruſtra obnitente Antonio Leua in Galliam redierit. Is etſi ob Armeniaci amicitiam Alegrio parum æquus eſſet, poſitis tamen ſimultatibus author fuit Regi, ut hominem acrem & rei militaris peritiſsimum reuocaret in aulam. Incidit bellum hoc Neapolitanum ſecundum, in annum milleſimum quingenteſimum ſecundum & tertium. Rex interea, qui militaribus uiris deditus, parum æquus uidebatur eruditis, cœpit eos quoque præmijs in aulam inuitare. Actium Syncerum, qui cum Federico Neapolitanorum Rege uerſabatur, liberali ſtipendio fouit: impetrauitq́ue à Ferdinando ut Neapolim rediens auitis paternisq́ue fortunis reſtitueretur. Inerat Regi cum grauitate iunctus facetiarum non ſcurrilis lepos: ut eius multa lepidè dicta circunferantur, in quorum poſſeſsionem uulgus iam inuaſit. Audiens unum ex Heluetijs ſuis ſtipatoribus, diris confixum Pontificijs, cum æs alienum ad tempus non diſſoluiſſet: An ideo (inquit) minus, diris confixi pane albo ueſcuutur? ſignificans, pleriſque qui caſtra ſequuntur, parum hæc eſſe curæ. Cum audiſſet galero & cauſa Pontificia donatum indoctum quendam ab Alexandro Pontifice, Bellum uerò hiſtrionem (ait) Pontificem, qui nobis in purpura ſimias, in pelle leonis aſinos exhibeat. Eiuſdem eſt illud, Deteriorem eſſe conditionẽ equorum, quàm aſinorum: Quippe equos curſu fatigari & diſrumpi, ut aſinis ſacerdotia præfecturasq́ue eccleſiaſticas è Roma referant. ſignificans, ignaris hominibus, ac nullo paſsim delectu habito, ut quiſque prius Romam adcurrit, ſacerdotiorum uacua munera his conferri. Annam Reginam cum uideret cupidine dominandi flagrantem, multa ſe quoque inſcio moliri. Vxori pudicæ multa aiebat condonanda. Eandem acrius inſtantem, tundendo adepturam ſe ſperantem ut deſponderet Carolo Maximiliani Cæſaris nepoti Claudiam filiam, fœdus aiebat uelle paciſci inter muſculos domeſticos & æluros. Atque eidem occinenti eadem ęquè ſtudere, atque adeò erga nurus ita animum induxiſſe omnes ſocrus ut eis iniquæ ſint, ita reſpondit: Itáne uerò tantidem eſſe putas, præeſſe Britanniæ minori obnoxiam filiam Gallicis Regibus:

bus: quanti nuptam potentiſsimo Regi unà nobiliſsimi regni commodis frui: Viſne, inquit, clitellas aſini ephippijs equi præferre? Principio & ceruas cum ceruis cornibus amplis inſignitas à natura: at cum ceruæ ceruis ſeſe præferrent, indignatum Deum, excornes ut in poſterum prodirent imperaſſe. Solebat enim uel fabella uel apologo quid ſentiret efferre, admonẽs Reginam, ne ſua ſibi inſolentia potentiã minueret. Eidem dicenti futurũ, ut claudidicantem leuiter filiam gener contemneret, id ingeſsit: Certum eſſe amorem morum futurum, ut formam ætas popularetur. Iniurias priuato ſibi illatas regnum adeptus ulciſci noluit, dictitans, Parum decorũ eſſe Regi Gallico, iniurias illatas Aureliorũ ducib. ulciſci. Lugduni deprehenſus ab aulicis duobus uiuo Carolo, & antequam noſceretur, uexatus multis uerborum contumelijs, cùm illi conturbati Carolo mortuo abijſſent, abſentes ſua ſponte reuocauit, priſtinæq; dignitati reſtituit, exuiſſe ſeſe perſonam Aureliorum ducis dictitans: proinde Regi nihil hæc eſſe curæ. Cum Iulius Pontifex ſacrilegij eum inſimularet: Atqui (inquit) abſurdiſſimum eſt, ut qui donaria diuum ipſe manibus gerat, alios ſacrilegij arguat. Plebem & ruſticos paſcua aiebat eſſe tyrannorũ & militum: milites paſcua eſſe dæmonũ. Cum audiret Bernenſes eos qui Ioanni Nauarrorum Regi parent, nobilitatem ex æquo omnes iactare: Atqui, aiebat, decem nobilibus eiuſce gentis, unicus enſis ſatis ſuperq; fuerit: Hoc & in Pictonicos iactitabat. Cum Pontifex diras in eum euomeret: Atqui, ait, precandi ille non imprecandi cauſa Pontifex conſtitutus: repetens laudatam eam uocem ſacerdotis quæ adduci non potuit, ut Alcibiadem execraretur. Cum audiſſet Frãciſcum Gallicum Cæſarem, qui poſtea regno potitus eſt, magno ære alieno contracto, Regia quoq; pecunia à quæſtoribus mutuò ſumpta, anxium eſſe, rationes hæ in fiſcum quo pacto referrentur, ipſe quidem eum uacuo animo eſſe iuſsit: hac tamen fabella admonuit. Equitabam cum patre: proximus mihi uidebar oppido in quod perueniendum nobis erat: itaque uiſis templi pinnis altiuſculis, cum è uia languerem, ad patrem conuerſus: en iam, aio, confecta uia: peruenimus in oppidum: (aberramus uerò ab eo loco multis ſtadijs) ille ad me conuerſus, Adoleſcens, inquit, ne poſthac pinnis uiſis templorum, iter te executum dixeris. tacitè innuens indignum eſſe, ut ſpe & ſpecie largitionis, nondum adepti principatus commoda ſe percepturum exiſtimaret. Cùm honori uelificari Regio Iulius Pontifex diceretur, non tantum ocij ſuperfuiſſe aiebat diuo Petro, ut res Claudij Cæſaris aut Domitij Neronis, quæ ad ſe nihil attinebant, curaret. Ex antiquorũ rebus geſtis res geſtas Philippi Macedonis Alexandri patris, & Vlpij Traiani Cæſaris maximè probabat. Vnus è ſodalitio Franciſcano magni nominis corã eo concionans, argutiſsimis

diſpu-

diſputationibus concionem clauſerat, dum in dubium reuocat, ſi Dei Opt. Max. ſpecie dæmon uiro integræ uitæ appareat, isq; ſeſe coli iubeat, ſi is pro Deo dæmonem habens coluerit, an is in ſacroſanctæ perſuaſionis uiolatæ crimen inciderit? Eo audito, qui magis deliraret uidiſſe ſe neminem aiebat. Proinde futurum uti poſthac concionibus ſacris abſtineat, niſi concionatores lites eas inter ſe bona fide componant. Aulico magni nominis, uxoris adulterium deplorante: Diræ, inquit, Pontificiæ, & uxoris adulterium, ſi quis contempſerit, nunquam ſanum hominem commouebũt, & de gradu deijciẽt: ſi quis his uel leuiter cõmoueatur, aculeũ nocturnum diurnumq; qui perpetuò hæreat, relinquet. Cæterùm probi utroq; mouentur. Gloriabatur, cùm ſolicitum ſuſpicionibus regnum, ſuſpenſum metu, perturbatum nouis conſilijs Carolus tradidiſſe, id ſe Franſciſco florenti & ætate & uiribus tranquillum relicturum. Cum audijſſet à Senatu Mediolanenſi poſtica libidine abuſum, exuſtum: Pol, inquit, uereor ne Mediolanenſes omnes exurantur: temperariq; pœnam deinceps, nec niſi indubitatis probationibus conſtrictos damnari iuſsit. Cum audiret Iulium immodicè ſeſe efferentem qui tot urbes puncto temporis recepiſſet, quas uix Franci intra triennium occuparant: Non enim (inquit) erat Gaſto Fuxeus: imitatus Ilieſem: is glorianti Fimbriæ, qui Ilium XI die ceperat, quam urbem Agamemnon X anno uix ceperat, ipſe eam XI die cepiſſet, Non enim Hector aderat, qui pro ciuitate pugnaret. De magnitudine frequentiaq; hominum qui Lutetiæ erant, diſceptanti & Stiſaco miranti quo pacto tantus numerus hominum aleretur: Quin miraris, ait, quo ego pacto cùm tot annos pedibus æger iaceam, pedeſtre tamen certamen ineam, ubi res exigit? ſignificans hominum induſtria & improbo labore multa perfici, quæ factu naturâ difficilia uideantur. Cum Stiſacus, ut erat perfacetus, & Regi gratiſsimus, id uerò ſe mirari diceret, quòd Rex pedibus non careret, qui eos tam ſæpe exagitaſſet ſubagitandis adoleſcentulis aulicis: Hac, inquit, ratione membra tibi iampridem euulſa omnia & ſublata decuit, à te toties in idem negocium ſolicitata. Antonio Viuonio, dum ex condicto unusquiſq; narraret quibus ſtudijs adoleſcentiam traduxiſſet, dicenti ſe pelle uituli contectum, in aucupium, quò aues falleret, deſcendere ſolitum: Tu uerò, ait, haud omnino adhuc uitulinam pellem exuiſſe uideris: notans in eo ſocordiam apertam. Nã Galli ſocordes & ſtultos, uituli nomine deſignare ſoliti ſunt. Narranti Aleandro ex ueterum monumentis, augures ſi ulcus haberent, inaugurandi gratia, ſedere prohiberi: quaſi hoc eſſet ſignum, non oportere qui ulcus aut perturbationem animo habeat, tractare res diuinas. Felicem ait Pontificem, qui in ea tempora non incidiſſet: nunquam enim inaugurandi poteſtatem habiturum

biturum ſi ad uetera ſacra redeamus. Eidem referenti, ſolitos olim & cane & capella abſtinere ſacerdotes, ut non modo attingere, ſed ne appellare quidem liceret: peſsimè hoc aiebat obſeruari ab Alebreti filio, uno ex Purpuratis Pontificijs, qui & capræ carnibus, Biarnenſium mores imitatus, haud illibenter ueſceretur, & agmen canum uenationis gratia in delitijs haberet. Cum ſæpe repeteret edictis ſuis Iulius, Eccleſiæ ſeruandæ gratia bellum Ludouico indictum: laudabat id uetus prudentis hominis qui capitaliorem dixit iniuſtitiam eorum, qui tum cùm maximè fallunt, id agunt, ut boni uideantur. Vnus ex ſtipatoribus eius Deſpenſius cum Aulico, genere, honore, exiſtimatione, principe ſuæ familiæ, exarſerat iracundia, cùm ſtipator nobilitate generis non ſe eſſe inferiorem Aulico iactitaret: erantque eo nomine in certamen uenturi. Hos ante ſe iubet ſiſti Ludouicus, rogatque ſtipatorem, unde ei genus, qui ita ſe conferret nobiliſsimo homini. Tum ille eo ſe genere natum ait, quo nullum ſit nobilius. Id quidem fateri, Regem ortum ſtirpe Noæ: ſibi uerò genus eſſe ac gentilitatem ex alterutro eorum, qui cum Noæ fuiſſent eo tempore quo uniuerſus orbis aquis ſubmerſus eſt. Cachinnum dicitur Rex ſuſtuliſſe, in ſtipatorem, quaſi eadem gentilitate ſibi coniunctum, conuerſusque ad Aulicum magnæ nobilitatis, rogauit deſpiceretne eum cui genus eſſet Regium ſibique æquale. Eoque ioco placauit utrunque, dextramque porrexit ambobus: utriuſque enim animi magnitudinem perſpectam habens, iacturam ſe neutrius facere uelle aiebat: quod neceſſe erat, ſi ad ſingulare certamen ueniſſent. Baionenſem Centurionem & Lemouicenſem ſuperbius de exitu & ordine prælij differentes hactenus tulit, ut Baionenſi diceret, Cùm te rogabo pernas quomodo ſalire oporteat in dolio uel ſeria: Lemouicenſi autem, Cùm te rogabo, caſtanea qua in terra, & quo pacto repaſtinata ſerenda, & quibus campis rapa & napus lætentur, tum demum reſpondeto. Silente utroque, conuerſus ad Lemouicum, Noſtin, inquam, in alio ſolo rapam biennio ſatam conuerti in napum: in alio napum raporum accipere ſpeciem: ita & tu hauſiſti à Baionenſi ſuperbiam, ille à te ignorantiam, quę ſic inſoleſcat. Libros M. T. de Officijs, Catonem maiorem, Lælium, Paradoxa, oratiunculas aliquot in Gallicam linguam, etſi parum fideliter uerſa, ſummopere exoſculabatur. Valdè delectabatur M. T. dicto, quo Cæſarem admonuerat, nullam de uirtutibus eius plurimis nec gratiorem nec admirabiliorem miſericordia: homines ad deos nulla re propius accedere, quàm ſalutem hominibus dando: nihil habere nec fortunam Regiam maius quàm ut poſsit: nec naturam melius quàm ut uelit conſeruare plurimos: eaque Franciſco genero ſæpe inculcabat, conducere arbitratus, talibus aureis eius uocibus undique circunſonare: iſque ſoceri ad-

monitionibus excultus clementiſsimè poſtea regnauit, & ſi multis hoſtium domeſticorumque inſidijs exagitatus. Delectabatur & Commentarijs Iulij Cæſaris in linguam patriam euerſis potius quàm uerſis, ita erroribus ſcatebant: laudanteq; Hieronymo Aleandro clementiam Cæſaris, ipſe quidem laude non indignam, cæterum temporariam & alliciendis Romanis oſtentatam aiebat, exemplum afferens ex Vxeloduni deditione, cùm deditis Cæſar omnibus qui arma tuliſſent, manus præcidiſſet, uitamque conceſsiſſet: & Galliam ipſam pacatam per ſe, ſpecie belli undique conquiſita, uexaſſet & ſpoliaſſet. Fidelitatem quoque Cæſaris ſe deſiderare aiebat his in Commentarijs, in numero aut cæſorum, aut eorum qui ex urbibus ad bellum prodijſſent, referendo. Alexandroq; Xerxis numerum terreſtrium copiarum referente, quas fuiſſe CLXX myriades: & Semiramidis Aſſyriorum Reginæ, cui fuerat peditatus centum millia, equitatus centum myriades, falciferorum & plauſtrorum decies decem millia, uirorum in camelis pugnantium idem numerus: aliorum camelorum (ubi opus erat) uicies dena millia: naues in Bactris ter mille: Elegantia uenuſtateque uerborum abundantes exteros, hiſtoriæ ueritatem aiebat tranſgreſſos: tantumque abeſſe, ut aut quæ de Xerxe aut Semiramide ſcripſiſſent, uera ſibi eſſe perſuaderet, ut & in probatiſsimis hiſtorijs corruptos interdum numeros bellatorum uereretur: quos & à Valerio Antiate uaniſsimè auctos T. Liuius paſsim fatetur. Aiebat uerò Græcos, qui pauca geſsiſſent, diſertiſsimè hiſtoriam ſcripſiſſe: Romanos & diſertè ſcripſiſſe, & res geſsiſſe hiſtoria non indignas: Gallos, multa ſtrenuè cùm geſsiſſent, nihil literis mandaſſe. Aleandrum Rex, cum Lutetiæ ſummo auditorum concurſu Gryphum Auſonianum primùm, & Theodori Gazæ Græcæ Linguæ grammaticas inſtitutiones: mox & Platonis Timæum, & M. Tullij Ciceronis librum de uniuerſitate enarraret: quingentorum nummorum aureorum ſtipendio annuo fouerat. Ea liberalitate factum eſt, ut ad manſuetiorum Muſarum ſtudia plures confluxerint. Rogabant Laſcaris, & Robertetus ſuſciperet cauſam Benedicti Scaligeri aduerſus Venetos, qui Veronam aliaq; oppida Scaligeris extorſiſsent. At ille uetere uerſu reſpondit, Non ſibi his eſſe opus qui pro diuitijs titulos & tumulos demum auorum oſtentare ſoliti ſint. Cùm Doruallus narraret, uiolato iureiurando Valentinum Borgiam Cæſarem à Conſaluo perfidiſsimè retentum, & uinctum ad Ferdinandum miſſum: Ergo, ait, poſthac pro Punica, Hiſpanicam fidem ſumus celebraturi. Narrabat Copus Baſilienſis medicus, Regi acceptiſsimus, ex ueteribus ſcriptoribus, Ceruos qui ex Sicilia in Calabriam ac Rhegium urbem tranſnatent, per æſtatem deſiderio pabuli, longitudine natationis, defeſſos, quòd onus

capitis

capitis ſuper aquas extantis non facilè perferant, ad leuandum laborem rationem hanc inire. Natare quidem ordine cunctos, unius ductum alio poſt alium ſequente: ita uideri exercitus imaginem, congruo ordine incedentis. Inter natandum uerò ſingulos ſuper anteriores caput imponere: Ac ſi accidat ordinis decurionem animo labare, mox hunc in tergo locari, alium uerò decurionis in locum ſubſtitui, quaſi nouus tergi ductor declaratus ſit: Ita repræſentari aciem, in qua Aubignius tergum, frontem Grinianus regat uſque adeò etiam ad ceruos militaris diſciplina tranſijſſe uideatur. Hæc narrantem intuitus Rex, riſu diffluens, Non mirum igitur ſi apud Rhegium cerui, diſciplina aſtuq́ militari pollentes, Gallos criſta feroces deuicerint, innuens Gallos militari potius aſtutia, quàm robore Apulia Calabriaq́ depulſos. Cum Lutetię obambulans, obuios haberet quoſdam è Senatu, qui raptim ad Senatum properabant: An non, inquit, hi ad nundinas uidentur proficiſci? imitatus Stratoclem & Dioclem qui ſeſe mutuo ad meſſem auream inuitabāt: ita enim tribunal, & curiam uocabant. Cum narraret Aleander quoſdam ex ueteribus olim uſos cornibus ante pocula inuenta, uſos fumo & cochlea pro tubis: id retulit, ætate homines fieri aptiores. Vetus illud, Neceſſe eſt facere ſumptum qui quærit lucrum, maximè probabat: cum tamen non ſequeretur, identidem illud iactans, Qui homo maturè quæſiuit pecuniam, niſi eam maturè parcit, maturè eſurit. Dicebat, eum qui Pontificibus his qui bello potius quàm pietati ſtudent, primus arma, ſodalibus ſanctioris uitę inſtituta profeſsis, equos permiſiſſet, & militarem & cæleſtem diſciplinam corrupiſſe. Cum audiret Armeniacum efflictim deperire puellam Neapolitanam, quę uultu eſſet adeò modeſto, adeò uenuſto ut nihil ſupra: Grauem eſſe aiebat tyrannum uoluptatem, quæ ea demum concupiſcat, quorum ſit copia anguſtior. Pragmaticos forenſes uarijs cauillis impetebat. Itaque ualdè laudabat aruſpicis augurisq́ eius reſponſum, qui conſulenti quid oculis maximè prodeſſet, reſpondit: Si pragmaticum patronumque rariſsimè uideris. Ipſe Lutetiæ perſæpe quum Liliatis ſubſellijs ius dicebatur, intererat, patronosq́ diſertos non illibenter audiebat. Eos tamen ſutoris artificium impudenter ſibi uendicare aiebat: Nanque quod ſutoris eſt proprium, dentibus alutam producere: hoc patronos in dilatandis prudentum reſponſis & Cæſarum legibus facere aiebat. Itaque principatum adeptus multa ſtatuit quæ uidebantur utilia ad litium anfractus tollendos, ſed ea adhibitis prudentiſsimis hominibus utriuſque ordinis. Exteros quidem etſi olim inimiciſsimos fouit, ut Ioannem Ludouicum Fliſcum; quem inter equites Torquatos adſcripſit, tribunumq́ maritimorum apud Genuenſes deſignauit. Mortuo Carolo, perlegens, libello oblato,

Caroli domeſticos, duorum ex iјs cum quibus ſimultates olim geſſerat priuatus, nominibus crucem addidit: illi conturbati abeunt, crucem ſibi rati paratam. At mox humaniſsimè reuocantur, eo enim ſe ſigno obliuiſci ait ſimultatum. Suppræfectum Aurelianenſem quo familiariter priuatus erat uſus, ſæpeq́ ſordium reum liberarat: cum in eo eſſent omnia ad perniciem profligata, damnari paſſus eſt: id adiјciens, Contendi priuatus pro amico: Regnum cùm ſum adeptus, leges mihi tuendæ. Nactus ad Braccum Lutetiæ ſenatores Pariſienſes, qui ſeſe pilæ ludo oblectabant, acriter increpitos, ſi poſthac deprehenderentur, pro ſenatorib. habiturum ſe ſtipatorum loco edixit: pertinere hoc ad maieſtatē ſenatoriam putans, ſi minus occupati ludicris publicis uiderentur. Feruente adhuc bello Neapolitano, Rex ut Ferdinandum ad ſua tuenda reuocaret, auerteretq́ eum in cogitationem domeſtici belli, ex Gallia & Tectoſagis equites accerſit, pedites conſcribit: his copiјs præficit Riuium Tribunum militarem: eumq́ mittit ad Ruſcinonem oppugnandam. Paucis ante annis Galli arcem incenderant eam quæ Salſiarum nomen accepit, olim etiam Salſularum. Ferdinandus loci naturam contemplatus, Petro Nauarro authore, ruderi ueteri lapidibusq́ue confractis nouis adhibitis ſucurrit, reliquias colligit, adhibitisq́ue Regio apparatu operis, breui arcem inſtaurauit: muniјtq́ue ualidiſsimis propugnaculis, loci natura arcem alioqui munitiſsimam, magna eorum ſocordia qui Leucatam ſuperiori loco oppidum Regio nomine obtinebant, qui neque ædificantes arcuiſſent, neque Regem admonuiſſent. Riuius latè diductis copiјs obſidebat Salſulas, Hiſpani ſæpe erumpunt ex eo loco: plurimum uerò proficiebant in repellendis uulneratisq́ue Gallis emiſsis æneis tormentis. Vulgo iactatum cum Galli unum è propugnaculis expugnaſſe ſe crederent, id quidem corruiſſe, incendio tamen ab hoſte clam immiſſo & ruina Gallos pleroſque oppreſſos, defenſoribus in partem aliam arcis, momento temporis, ut conuenerat, receptis, qui inde miro ſe artificio ſubduxerant. Riuius animaduertens prælium iniquius eſſe ſuis, nec tamen multum profici propter loci difficultatem, ſuos reuocat quaſi habiturus. Hiſpani mox erumpunt, ſed à Gallis fugā ſimulantibus nunquam in inſidias præcipitati ſunt, facilè ad ſuos ſe recipientes. Extremum erat intercludere hoſti commeatus, progreſſos longius excipere, atque eos intra munitiones continere: idq́ diligenter à Gallis curabatur. Interim tamen leuibus decurſionibus utrinque certabatur, ubi & plures deſiderati ſunt: inter quos Rupipotius, qui Regi gratiſsimus erat, pila plumbea emiſſa necatus eſt: ſimulq́ue uulneratus Aſprimontanus, qui uicecomitis Ortenſis nomine notior eſt. Sed continuata obſidione, cum adeſſe Ferdinandus diceretur multa ſecum trahens peditum equitumq́

tumq́ millia, ipſeq́ Riuius acri morbo uexaretur, ſoluta eſt obſidio. Fuere qui Tribunum auro corruptum ſoluiſſe obſidionem uellent. Id falſum fuit, rumore tamen uulgi exagitatum. Eſt enim ea Gallicæ plebis in iudicando leuitas, uti ignara conſiliorum bellicorum, ſi quid minus ſuccedit, mox in proditionem culpam omnem uertat, multaq́ ex opinione confictisq́ rumoribus, pauca ex ueritate æſtimet. Alij ſcribunt pactis inducijs Hiſpanos in Siciliam à Ferdinando miſſos, ut inde iunctis uiribus Apulia Gallos pellerent. Paulò antea miſerat Rex ad Iulium Pontifi. Max. legatos, qui ei de Pontificatu adepto gratularentur: operamq́ ſuam deferrent: obſequiumquè exhiberent, quale pium Pontificibus Gallici Reges exhibere ſoliti ſunt. Legati hi fuere, Petrus Pictonicus, Sanctoualerianus: Pontifices Ebredunenſis, & Ruthenenſis: Martinus Ritius, quem Neapoli extorrem Rex in patrum Pariſienſium ſenatum allegerat: & Gulielmus Budæus qui Regi erat à ſecretis, & literarum nomine innoteſcere incipiebat: hi amiciſsimè excepti ſunt. Multi quoque qui è Neapoli rediere, ſalutato Pontifice, Regi eum optimè cupere credebant: ſed emicuit inter omnes Baiardus, qui omnium ora oculosq́ in ſe magnitudine rerum geſtarum conuertebat. Conſalui de hoc eſt iudicium, plures Gallis equos eſſe albos, pullos, rutilos, giluos, caſtaneos, leucophæos, unicum uerò Balium (nam Gallica lingua Baiardus equus, qui Latinis balius aut badius eſt, dicitur; paululum immutatis literis: hos & alij ſpadices uocauere. Balios porrò Caſsius medicus equos magnopere commendat) innuens non unum è multis Gallicis equitibus eſſe Baiardum, potius inter tam multos ſpectatæ licet uirtutis propè ſingularem. Rex antea anno M.D.II. VII. Calend. Septemb. è Mediolano tota multitudine obuiam cum infulis effuſa, fauſtaquè omnia acclamante, Genuam ingreſſus eſt, ſummo apparatu exceptus. Is ciues per Philippum Raueſtanum admouerat, ne longius ſibi obuiam irent, locumq́ deſignarat quo illi occurrerent. Obuij Genuenſes facti ſunt Regi, Brixio Iuſtiniano gratias agente, ac urbem in clientelam Regis dedente. Procumbentibus Genuenſibus, Rex mox data dextra Iuſtiniano, conſurgere omnes iubet. Venere Genuam cum Rege Borgia Valentinus Cæſar, Regulus Monferratus, Ludouicus Salaſſorum Regulus, Iacobus Triuultius, Philippus Raueſtanus qui Genuæ proregem agebat: Petrus Gienſis Tribunus militaris, Dunenſis, Ligniacus, Trimolius, Chaumontius, Petrus Fuxeus, & pleriq́ alij: Iulianus, quem diximus poſtea deſignatum Pontificem: Raphael Sanctogeorgianus, & Federicus Sanſeuerinus Romani purpurati, unà cum Georgio Ambaſiano. Rex cum inuiſiſſet loca munita, & quæ opus uidebantur ad perficiendas munitiones curaſſet, poſtulatis Genuenſium

audiendis tandem uacauit. Delegerant hi VIII uiros, qui, quæ in rem uidebantur publicam, cõſulerent, & ad Regem deferrent. Fuere autem hi Ioannes Baptiſta Grimaldus, Symon Blancus, Andreas Cicero, Anfreonus Vſmariſus, Ambroſius Zerbus, Nicolaus Spinula, Antonius Saulus, Stephanus Auria. Petiere hi à Rege, liberè ut mercaturam facere eis liceret in finibus Hiſpanorum, qua ob bellum Neapolitanum iam conflatum arcebantur. Deinde, ne magiſtratus qui annui antea erant, perpetui fierent, ut acciderat in Daniele Scarampa, qui proregis amicitia ſubnixus, prætorem Genuæ aliquot iam annis agebat. Philippus Raueſtanus grauiter poſteriorem hanc petitionem tulit, ut ferè utrique in conuitia exarſerint, accuſantibuſque ciuibus Scarampam, qui pecunia reum emiſerat, decreta eo ſit nomine quæſtio, cui præeſſe debebat Stephanus Poncherius. Rex ne quid populare deeſſet, quæ petierant ultro detulit, ut nihil tam populare Regno eius uiſum ſit: ita ſe in priuati modum ſingulos prenſando appellandóque demiſerat. Quarto Nonas Septembris, cum ſciret Rex edictum publicè à magiſtratibus, præſto ut omnes eſſent, abeuntem Regem comitaturi, ipſe ſummo diluculo antè urbem egreſſus eſt, quàm illi conueniſſent. Multi raptiſsimè admiſsis equis abeuntem ſecuti ſunt. Genuenſes quò teſtarentur beneuolentiam erga Regem omni eum honorum genere cumularunt: præconiſque uoce publicè edixerunt, & ſenatuſconſulto ſanxerunt, ut is dies, quo Rex Genuam ingreſſus eſſet, pro feſto deinceps annuatim celebraretur. Mirati ſunt illi Regem ſtrumis ſolo contactu mederi. Petrus Fuxeus Pontius referebat, ſe olim cum Stephano Spinula, & Bernardo Fliſco ſenatoribus Genuenſibus, in eum ſermonem ueniſſe, ut diceret rebellione poſtea Genuenſium ſecuta, quam nos ſuo loco explicabimus, facilè apparuiſſe, quantum populari ſtudio credendum ſit. Eos uerò narrare ſolitos, culpam non penes populum, ſed penes paucos concitores uulgi eſſe, præcipuè uerò penes nobiles Genuenſes. Eos æquo iure regi rempublicam indignãtes, ea feciſſe quorum Genuenſes non magis puderet quàm pœniteret. Itaq; initio eius tumultus, qui incidit in annum M.D.VI. miſſos à populo ad Regem legatos, qui nobilitatis iniurias, plebis querelam deferrent: ſed dicere exorſos, cum eſſet Rex interfatus, aliaq́ue ſibi præuertenda eſſe dixiſſet, repulſos, eóſque infeſta nobilitate parum poſtea benignè auditos: miſſum uerò à nobilitate Genuenſi Stephanum Viualdum cum tribus alijs, publicè auditum. Vltionem iræ eos & occaſionem cupiditatis explendæ nactos, Regem accendiſſe in eos qui imperata facere parati eſſent, tãtum de Raueſtani proregis & nobilium iniurijs quererentur. Itaque cùm plenum minarum iræq́ue profectum Regem maximis itineribus ſcirent, præcurriſſe è ciuitate qui nuntiarent auidum

pœnæ

pœnæ Regem uenire: ita irritatis Genuenſium animis, cùm pauci ſubdidiſſent ignem ac materiam ſeditioni, ad arma eos ueniſſe: cumq; iam poſitis armis innocentiam ciuitatis tutarentur, aſpernatum Regem eam orationem. Itaque cum Raueſtanus confeſſionem his culpæ magis apud Regem profuturam diceret, rurſus ad Regem miſſos Chriſtophorum Cataneum & Quilicum Nigrum: Cataneum, oratione ad mitigandam iram Regis habita, ad extremum ita finiiſſe, ut diceret Genuenſes ſe omniaq; ſua fidei clementiæq; Regiæ permittere: tũ demũ benignè auditos, in fidem acceptos, metuque omni liberatos: Ita uerborum potius quàm rerum, ni infeſta nobilitas eò Regem uocaſſet, certamen fuiſſe: multos tamen palam diſſuaſiſſe, ne ſe omnino Regiæ clementiæ committerent, ne inſultandi aduerſis rebus eorum poteſtatem nobilitas haberet: adeò ſæuitia imperij exaſperatos animos, facilè ut impetu iræ concitari potuerint: cumq; decerneretur omnia Regiæ clementiæ eſſe permittenda, ingemuiſſe multos conditioni ſuæ, ignaros Regiæ clementiæ, cùm publicam cauſam à priuata non ſegregari iniquo animo ferrent. Hæc à uiris grauiſsimis excepta, quando in Genuenſium mentionem incideramus, referre libuit, poſteriorem eam rebellionem ex uulgaribus hiſtorijs ſuo loco poſtea enarraturi. Ac mihi quidem uetera facta dictaq; maiorum noſtrorum repetenti, cùm & Genuenſium reipublicæ detrimenta intueor, & aliarum ciuitatum non minores animo colligo calamitates, mirum uideri ſolet, unde tot nobiliſsimis ciuibus repentè inuecta ſint incommoda, quóue tandem pacto, qui olim ultrò exterum imperium expetebant, tam facilè repudient. Veriſimillimum uerò uidebatur, ſuperioribus ſeculis uiguiſſe domi foriſque induſtriam: honeſtam de omni uirtute inter nobiles fuiſſe contentionem: certamen eis fuiſſe, dominé antiquiores prudentia & conſilio melius, an foris iuuentus magnitudine animi ac induſtria res bellicas gererent. Ita ſeniores, quorum uirtus multis magniſque rebus eſſet cognita, prouincijs regendis præponebantur: iuuenes ad maxima pericula adeunda parati ſeniorum præmia expectabant: ipſiq; ita educabantur à maioribus, ut equitando, iaculando, ſemper aliquid agerent quo aleretur uirtus. Nunc inſtituuntur ad ocium & illecebras: choreas ducunt tam frequenter, uti ad ludum ſaltatorium & cymbala & crotalia, non ad militiam præparari uideantur: epulis inſtruendis Regiam magnificentiam imitantur. Inde procax & ſuperbus faſtus, pro rectis blanda unoquoque ſuggerente, delitijs, languore, deſidia inficiuntur, & uanis aſſentationibus opinionibusque delinitum animum molliunt, ut iam uerìſsimum uetus illud reddiderint, quo di-
» ctum eſt, Ætatem parentum peiorem auis, ferre nos nequio-
» res, mox daturos progeniem uitioſiorem. Alea & fritillus in

manibus eſt: pro magiſtris uitæ inſtituendæ, agmen canum & aui-
um. Si qui adhibentur rectores formandæ iuuentuti, obſequentio-
res quàm par ſit ſeruiunt ipſi temporibus. Ita dum ſumptus fiunt
ingentes, ad rapinas conuerſi, tum freti malitia peruertere urbes
& expilare, decoraq; omnia labefactare aſſueſcunt. Efferuntur fa-
ſtidio & cõtumacia, efficiũtq; ut qui dixit, Nihil eſſe inſipiente for-
tunato intolerabilius, uerè dixiſſe uideatur. Valet apud eos
plus quod illis nonnullorum eſt artificijs inculcatum, quàm aut
officium, aut neceſsitudo, aut uis decori. Tum demum ciuitates
exteræ, dum ab his quos adſciſcunt, innocentiam abſtinentiam-
q́ue expectant, & tranquilliorem reipublicæ ſtatum, non modo id
non adeptæ, ſed in ſummas miſerias direptioneſq́ue ſe incidiſſe
uidentes, facilè dominatum nouum expetunt. Nec mirum, ſi, cùm
ita inſtituti ad gubernacula accedant, teneant clauum, ſedeant in
puppi, naufragia facta plerunque audiamus. Id quoque in-
digniſsimum, ubi uel de re grauiſsima agatur, ita obſeptum eſ-
ſe aditum, ad aureis magnatum aſsidentibus ſemper, & occu-
pantibus eorum latus eis qui plus poſsunt, paucißimis, apud
quos omnes frendant recidiſſe potentiam, ut neſcias miſeriórne
ſit eorum conditio, quorum querelis occluduntur aures, an ipſius
qui tribus aliquot aut quatuor ita cingatur, ut mancipiorum,
quæ dominorum facta ſunt nexu, fractiq́ue animi & abiecti, & ar-
bitrio carentis ſuo, ſeruuli ſpeciem potius quàm eius in quo eluce-
re poſsit maieſtas, exhibeat: apud quem nihil minus polleat quàm
ipſius iudicium & uoluntas, circumagatur uerò, & hac atque illac
impellatur paucißimorum ſuſurris: qui eum eſſe quæſtum in
animum induxerunt maximum, quàm maximè ſuis potius quàm
publicis ſeruire commodis: neque ullum, qui ſe in eorum com-
mittat fidem, niſi captato undique lucro ſubleuare: qui ſi magni-
tudine rei ſemel occuparint eius animos, difficilis poſtea atque
haud ſcio an ullus aditus ueritati relinquitur. Diſputabat hæc
olim Beſſario Nicenus cum Ludouico XI Rege: aderat &
Ioannes Vaquerius præſes Lutetiæ, cui Rex idem Philoſophis
uſu aiebat uenire, quod his qui medendi curam ſibi uendicant,
qui acutiſsimè quidem de cauſis principijsq́ue morborum diſſe-
rant, magnamq́ue partem in his occupati ſint: illa eorum perexi-
gua ſit oratio qua medeantur ægris. Tum Beſſario, magni eſſe
negotij ait, ad rationem ueram peruenire. Quo enim maior in-
genij uis hominibus acutiſsimis adeſt, eo maiorem humanis ani-
mis conſulendi parere anguſtiam: ſe tamen ex prudentum lectio-
ne conſulere, aduerſus tales aſſentatores id imitetur princeps,
quod poëta ſapientiſsimus, aduerſus Sirenum cantus, quæ ſuaui-
tate aut nouitate quadam & uarietate cantandi reuocabant
eos qui præteruehebantur, ab Vlyſſe ait factitatum, ut obture-

mus

mus aures neque patefaciamus eorum blanditijs: adhibeamus uerò ianitores ac custodes fidiſsimos, rationem nempe ac iudicium circumſpectum, uera demum libenter excipientes: foresq́ occludamus his quæ ueri ſolum ſpeciem referunt: uanos rumores uanasq́ ſuſpiciones, & utilitatis imaginem, & cautionis minimè neceſſariæ titulos obdito etiam peſſulo excludamus. Vbi quid igitur defertur uel à familiariſsimis ad principem, ſubmota amicitia familiaritateq́ adhibeat in conſilium prudentiam: excutiat rem ipſam: eo grauiore animi contentione rem uoluat, quo inſtructiores uiderit familiares ad delationem. Nunquam delatori tam liberè aures aperiat, ut reo non libentius referet: nihil antè ſtatuat, quàm cum accuſatione comparata ſit defenſio: tandem uerò adhibitis prudentiſsimis hominibus, excluſis uerò eis qui rem detulerint, quiué ab eis commoda expectant, & quorum commodo uel incommodo aut iactura honoris res eſt ceſſura, quid æquũ ſanctumq́ uidebitur decernat. Primo uerò congreſſu delatori aures patere, at obſtruere & inuias defenſuro dare, hominis eſſe aiebat indigni tanto principatu: qui niſi tandem cohibeat tales impoſturas, ipſa ſi cupiat ſalus, ſeruare prorſus non poſsit talem principatum. Horum unicam eſſe cauſam ignorantiam: easque tenebras quibus ſuę cuiuſque hominis inſtitutiones moresque obuoluuntur. Eſſe uerò indigniſsimum, quod factitarint Cæſares plurimi, ut excluſis eis iudicibus apud quos more inſtitutisque maiorum peragenda eſſet accuſatio, iudices ipſi dent ex ſua aut eorum qui detulerint, quorumúe commodo res uertatur, cohorte. Ita factum ut ſumma nequitia plurima deferantur, parua religione multi iudicent, delecti nimirum ad urgendum propellendumq́ reum: eoque nomine gratiam inituros ſeſe ſperantes. Proinde rerum omnium nihil commodius eſſe quicquam ad principatum tuendum ac conſeruandum, quàm ab his quibus imperamus, amari potius quàm metui. Recte enim à prudentiſsimis hominibus dictum, Malum eſſe cuſtodem diuturnitatis metum: contraq́ beneuolentiam fidelem eſſe uel ad perpetuitatem. Erga potentiores autem uehementer amorem populi commoueri opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, omniumq́ earum uirtutum quæ pertinent ad manſuetudinem morum. Habere fidem tum principi plebem, cùm eum exiſtimat adeptum cum iuſtitia prudentiam, admirariq́ quem uidet excellentibus quibuſdam & ſingularibus uirtutibus excultum: quem abſtinentem, non immerſum uoluptatibus, pecuniæ in loco contemptorem, æquitatis & iuſtitiæ defenſorem, intrepidum ad pericula, ubi res exigit, ſubeunda agnoſcit: qui probè calleat, malè impetu & familiaria & publica negocia adminiſtrari: cuique uetus illud Tyberianum, tametſi uetuſtate iam protritum, aſsiduè tamen moderatoribus

bus rerum publicarum inculcandum, placeat: Boni paſtoris eſſe
tondere pecus, non deglubere: cuius animus minimè perpetuo
uagetur errore, nec habeat ipſe quid ab alijs pendens ſequatur:
qui regnum plebis potius commodo, quàm familiarium admini-
ſtret arbitrio: neq; talis ſit, qualem aulicorum rapinis expediat eſ-
ſe: quiq; iuſtitiæ ſeruandæ cauſa à Deo Opt. Max. ſe Regno præ-
poſitum ſibi perſuadeat, ut & prohibeat iniuria tenuiores, & æ-
quitate conſtituta ſummos cum infimis pari iure retineat. Olim ita
erant morati qui Cæſaribus aſsidebant, ut uererentur ipſi Cęſares
à tali grauitate & probitate hominibus petere, quod minus perti-
neret ad decus & plebis utilitatem: plurimum apud eos talium
uirorum benè ſuadentium ualebat authoritas, eaq; ab ijs adhibe-
batur ad monendum, & apertè & prudenter, ſi res poſtulabat.
Non illis aut animus abiectior erat, aut ſpes amplificandę fortunę
fractior. Multum poſſe ad ſalutem miſerorum & afflictorum:
decori magnis imperatoribus, parum potuiſſe ad perniciem: pro-
bro nemini unquam fuiſſe: ſæpe hæc ijsq; ſimilia auribus eorum
inculcabant. Humanam conditionem ſic ferre, ut cum faſtigium
ſuum longè ſupergreſſa uideatur, continuo concidat. Ad Lu-
douicum redeundum eſt. Tantus princeps ſuis non caruit uitijs:
pecuniæ ita parcus ac tenax, ut & Neapolim & Mediolanum,
dum iacturam pecuniæ timet perdidiſſe eum conſtans ſit opinio.
Adoleſcens planè animi fuit fluxioris, remiſsiorisq; uitæ: ut in
aulicam, quæ purgandis linteis uacabat, forma non ineleganti, o-
culos admouens mox ſeductam amplexus ſit: Aſtæ quoque in
hoſpitæ filiam, etſi forma mediocri, ſcitam tamen & dulces modos
cytharæ edoctam, mox exarſerit, pudicitiæq; eius, etſi pedibus æ-
ger, illuſerit. Poſt nuptias tamen Annæ maximè contrahebat,
& cohibebat eas uoluptates. Idem propenſiſsimus leuibus ex cau
ſis ad uarias ſuſpiciones. Carolo Borbonio etſi optimè cuperet,
in eo tamen taciturnitatem reprehendebat, uetus illud crebrò u-
ſurpans, Quà flumen eſt tranquillum, interdum latère profun-
diores aquas: quaſi uaticinaretur quæ poſtea acciderunt. In Caro-
lo octauo notat Philippus Cominius, quòd regnum non tam ſuo
quam familiarium aliquot arbitrio adminiſtraret, talisq; eſſet ple-
runq;, qualem eſſe eū aut expediret illis aut liberet. Eadem hęc om
nia in Ludouicū cōgeri poſſunt: ſed accidit ut proborū integro-
rumq; familiaritatē uteretur. Ingratitudinē ei multi obijciunt, orſi
ab uxore. Hanc, cū eſſet eius precib. liberatus carcere regnū mox
adeptus repudiauit. Cōcupierat uerò priuatus adhuc, nuptias An
næ Britānicę, unde Britannicū bellum concitatū multi uolūt. Sed
malè inſtitutū conſiliū, exitū reperire nō potuit. Vnde iocus Ma-
ximiliani Cęſaris, Fatale eſſe ut q̄ ſomniēt Aureliorū duces, Reges
Gallici adipiſcant. Nā et inuito eo, Carolo Regi Anna nupſit, et eo

mortuo

mortuo, Ludouico, ritè tamen prius repudiata alia uxore: quæ uti liberale ingenium decebat, prudens & modeſta quicquid id erat, tulerat & texerat, & de ſalute deſperantem multis lachrymis fratri eum Carolo conciliârat. Ita Ludouici animus deuictus miſericordia uxoris, tametſi uxoris loco nunquam eam habuerit, paulatim elapſus eſt Pariſienſibus aliquot fœminis, quibus priuatus conſueuerat, translatusq́ uxori poſteaquam tantum ſe ei debere agnouit. Multos quoque nouis amicitijs implicatus neglexit, cum quibus priuatus coniunctiſsimè & amātiſsimè uixerat: quoſdam etiam exegit aula, ut Petrum Gienſem tribunum. Idem & multos ſumma pertinacia refellebat, & refelli ipſe ſine iracundia non poterat. Adoleſcens planè incognita pro cognitis habebat, hiſque temerè aſſentiebatur: nec ad conſiderandos rerum exitus aut tempus aut diligentiam adhibebat: unde in uarias anguſtias præcipitatus eſt. nec mirum, cùm in hoc quaſi flexu ætatis, id uel prudentiſsimis accidat. At regnum adeptus rarò labebatur, eaq́ uitia adoleſcentiæ facilè declinabat, cùm multam operam in inueſtigandis aliorum conſilijs conferret. Cùm Renatus Carnutenſium Pontifex diceret, Burgundionibus omnibus innatum eſſe, & in animo inſculptum odium Gallicum, id quidem uerum haud diffitebatur, ſed adfuturum tempus cùm depoſito odio, ultrò Gallicum imperium expoſcant: Neque ſibi tamen, neque ſuis eſſe ſperandum ut ea uideant tempora, ut nec Neapolitani regni receptionem.

TERTII LIBRI FINIS

ARNOL-

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Quartus.

DVM hæc apud Neapolim geruntur, ne in Gallia quidem quietæ omnino res Gallicę fuere, diſsidio à Ferdinando orto, qui prædabundus Galliã Narbonenſem infeſtabat. Id incœptum conatu quàm effectu grauius fuit. Miſſo Ludouico Tremolio ceſſere Hiſpani. Annus agebatur M.D.V. cùm Ludouicus arderet ſtudio Neapolis recipiendæ, augendiq́ ultra Alpes imperij, cùm repentè grauiſsimus eum morbus inuaſit, deſperantibus medicis Regiam ualetudinem: ut Anna Regina mundum omnem muliebrem in Britanniam minorem mittere uoluerit, ni à Petro Gienſi tribuno, qui itinera obſeruarat, prohibita eſſet. Ob quæ conualeſcente Rege primum commendatus eſt: mox muliebri ira exardeſcente, nullumq́ non lapidem mouente, aula excluſus eſt: iuſſus etiam cauſam dicere maieſtatis apud Tholoſanos, ob operam ſuam nauatam Ludouicæ Sabaudianæ. At Senatus Tholoſanus (etſi ut ſeueriſsimus omnium à Regina delectus eſſet) non dignum iudicauit ſe, qui ad reos potius urgẽdos quàm ſubleuandos deligeretur. Itaque Tholoſani patres uel remittentes aliquid ex priſtina ſeueritate, uel religione iudicandi obſtricti, etſi multa urgere reum uidebantur, quæ tamen illis parum hærere uidebantur in hominem integra opinione prçditum, aula eum tantùm comitatuque Regio excluſerunt: Cætera ita temperarunt, ut nihil Regiæ uoluntati iræq́ datum uideretur, tametſi & Ludouica Sabaudia & Alanus Alebretus multa pro teſtimonio in reum dixiſſent: & corrogata eſſent reſponſa aliquot iuriſperitorum Italorum, ut Hippolyti Marſilij & Ludouici Bolognini, quibus hi conſulti reſpondebant uiolatam maieſtatem Regiam. Recreatus Rex pauliſper flexit animum ad religionem, cuius maximè nos res aduerſæ admonẽt: Sacriq́ diuini corporis myſteria ſacrificiaq́ iterum iubente Pontifice, ſupplicationibus paſſim tota Gallia decretis inſtaurari iuſsit. Fuit idem annus inſignis morte Ioannę Caroli Regis ſororis, Ludouiciq́ quõdam uxoris: eodemq́ tempore celebrata ſunt ſponſalia inter Franciſcum Valeſium, & Claudiam Ludouici filiam. Anno ſequenti & Philippus Maximiliani Cæſaris filius, & Iſabella Ferdinandi uxor deceſſere. Philippus planè infeſtior fuit Francis uel ueteri odio Burgundiæ, Francicæq́ familiæ, uel leuibus ex cauſis quas prætexebat. Aiunt, quo primum tempore Bleſis Regem inuiſit, magnificè exceptum. Accidit ut eum Rex cœnæ adhiberet, ipſeq́ proluere manus de more pararet: tum officij cauſa Philippus prolubro mantiliq́ arrepto, miniſtri munere fungeretur. Id eius plenum

num officij ſtudium Rege modeſtiſsimè auerſante, peruicit is tandem, ut abluto Regi mantile exhiberet. Erat Ioannes Grignolius Talerandus homo hilaris, iociſque referendis ſolitus Regi riſus mouere: atq; is Philippo erga Regem ita officioſo, Macte, inquit, eſto hac officij exhibitione. Probè enim fungeris officio, maiora etiam mœrente Rege munire tibi uiam uideris, qua Regiæ maieſtati iampridem debitum, ſed interruptum officium exhibeas. Gallorum res in Italia florebant, nihil prorſus ſine eis ut bellicæ gloriæ reliqui referrent. Pontifex Iulius, dum olim legatione fungeretur apud Ludouicum undecimum Cardinalis, ita fuerat familiaris Ludouico Aureliorum tunc principi, non obſcura ut eſſet eorum beneuolentia. In relaxationibus, conuiuijs, alijſque uoluptatibus uterque alterum & conſcium habuerat & ſodalem. Ab his initijs profectus amor, etiam Carolo Rege auctus fuerat. Is quoque Pontifex deſignatus, perpetuam eam beneuolentiam futuram receperat. Ardebat is cupiditate imperij proferendi. Alexander Pontifex Valentini filij opera multa reuocarat ad Pontificatum, ſtruens ſpe filio amplum imperium, ni morte repentina ea ſpe decidiſſet. Bononiam Ioanni Bentiuolo adimere non potuit, & præſidio ſeptam militum, & munitam ciuium beneuolentia erga principem ſatis moderatum. Poſt Borgiæ Valentini diſceſſum: cum is ad Bentiuolum urbe fruſtratus faſces literarum miſiſſet, quibus à pleriſque ad urbem recipiendam impellebatur, Bentiuolus in multos hoc ſolo indicio delatos graſſatus eſt: ob quæ plebis ſtudia ab eo alienata ſunt. Horum certior factus Pontifex egit cum Rege, ut milites, quos in Italia alebat, ad eam ſibi expeditionem adiungere ſineret. Conceſſum eſt id Pontifici. Is collectis copijs fretus Gallico milite, cui præfuit Carolus Ambaſianus, Bononiam oppugnauit. Ea tandem in eius uenit poteſtatem. Sed Gallicos duces fruſtratos dimiſit: cum enim montes aureos tripliciaq; ſtipendia pollicitus fuiſſet, auideque urbe domita, illi promiſſa expectarent, celeberrima Bononiæ Eccleſia ſacrum fecit Pontifex. Eo loco in adſtantes Gallicos milites multas impietatũ criminumque expiationes effudit, ſolum Gaſtonem Fuxeum enſe gemmato, cylindriſq; & adamante Indico inſigni ornato, donauit. Regem in Bentiuolum aulici acuerant, qui redeunte è Neapoli Carolo, cum ille obſidibus datis liberum tranſitum per Bononiam peteret, Gallos inde ab eo reiectos, eo reſponſo cui multi inerant contumeliarum aculei, referebant. Vix Galli redierant, cum Genuenſes Regis imperia exoſi, ſeſe in libertatem aſſeruerũt, Paulo Nouo ſordido homine, ſed audaci & ſolerti duce. Rex admonitus, Ambaſiano adcurrenti, contracto exercitu, nouas miſit copias, Genuenſes munitionem propugnaculumque ante urbem extruxerant inſigni robore. Inde Regios paſsim proſterne-

bant. Ambaſiani iuſſu Lautrecus & Palicius cum delecta peditum cohorte in eum locum impetum faciunt: pugnantes hoſtes ſeſeque audacius efferentes pilis plumbeis Galli proſternunt, ac demum in fugam alios uertunt. Hi ubi in urbem compulſi ſunt, ſimul animus cum re eis concidit. Heluetij detrectare minimè ueriti ſunt propugnaculi oppugnationem ut rei periculoſæ: hoſtes miſſis ad Regem legatis, militum ferociam inſolentiamque cauſati, deditionem fecere. Paulus Nouus fuga mari elapſus, à myoparone Gallico interceptus, maieſtatis damnatus, capite luit. Palicium uulneratum in propugnaculi oppugnatione multi ſcribunt. Ortum id bellum ob mutuas querelas plebeiorum cum nobilibus. Interdictum eſt Genuenſibus ne conuenticula agerent, ne quid in poſterum molirentur. Rex Genuam ingreſſus, honorificè exceptus eſt. Conuenere ad Sauonam deinde Ludouicus & Ferdinandus hoc ipſo tempore: ubi & ijs qui Gallorum apud Neapolim imperia ſecuti erant, poſseſsiones denuo confirmatæ ſunt, & multa clanculum per Antonium Palauicinum Pontificis legatum, de bello in Venetos parando occultè agitata. Id eo libentius à Rege eſt auditum, ut poſſet Venetorum animos repungere, qui miſſo ad eos legato Regio Ioanne Laſcari, conditiones æquiſſimas repudiarant: neque ſe Regi auxilio futuros ad Neapolim repetendam profeſsi erant. Iulius ſi tantum operæ conſumpſiſſet acuendis in Regibus ad bellum in Turcam decernendum, Remp. quã haud ſcio an ullam hodie habeant Græci optimè conſtitutam haberent, & minus impura ſeruitute opprimerentur: nec Rhodi acerbam uaſtitatem uidiſſemus, ſi quæ arma Leo Pontifex in Gallos mouit, Rhodius ſubmiſiſſet. Annus agebatur Milleſimus quingenteſimus ſeptimus, cùm Iulius Pontifex omnes uias proferendi imperij quærens, arces aliquot ciuitateſque expugnare uellet. At poſſeſſores & domini impares ſe uidentes, Venetorum ſe fidei commiſerunt: permutatione inita, tutiora loca, & ſi minus nobilia, recipientes. Ita Pandulphus Malateſta cum Ariminum inuaderet, Pontifex Arimino eis ceſsit: unde factum eſt, ut Venetos quoque ipſos armis petere uellet. Hi patrijs inſtitutis Rempublicam prudenter moderabantur: faciliuſque Iulium toto imperio expuliſſent, quàm ille eos unica ciuitate. Conſtat Fauentinos & Ariminenſes diu bellis ſeditionibuſque uexatos, Leonardo Lauredano Venetiarum principi ſeſe ſponte ſua tradidiſſe, quaſi deinceps ſperarent nihil niſi æquum à Venetis ſe paſſuros: horum enim imperia tum placida habebantur. Regi erat in animo, ubi Genuenſes pacaſſet militaremq́ rem collocaſſet, quieſcere. Pontifex miſsis legatis ad Maximilianum, Ludouicum, Ferdinandum, Margaretam, quæ Caroli adoleſcentis tutelam gerebat, prætextu belli Turcis inferendi, ſingulos ad bellum Venetis inferendum

dum hortatur. Placuit legatos principum Cameracum conuenire. Ibi quid cuique reddendum ſit, confecto bello ſtatuitur. Bellum in Venetos decernitur. Decretum Ludouico belli imperium. Veneti, & ſi audierant eos fœdus iciſſe, cum tamen omnes quaſi myſterium tacitum id tenerent, orationeq́ ipſi Regum ſuſpenſi tenerentur, ſuſpicari nihil potuerunt: nihil omnino certi, ac nec auctorem locupletem habebant. Cæteri principes & opibus & copijs iuuare eum debebant, nec tamen iuuarunt: nec ſegnius tamen quæ ad bellum opus erant parauit, ut qui prius in ſumma eſſe difficultate nummaria eos non ignoraret, cupidiſsimus Cremonæ aliarumque urbium uendicandarum. Ludouicus conſilio aduocato, deliberarat, an id bellum ſuſcipiendum eſſet. Purpurati omnes ſuadebant: diſſuadebat ſolus Stephanus Poncherius Senonum Antiſtes, contentum Regem patrijs finibus, cedere alienis æquum eſſe. De Cremona ſi quid eum urgeret, facilè Venetos, diſſoluto ære alieno, ea ceſſuros: in reliquis eos fidē & dare paratos & accipere. Rex fœderi non interfuerat, per Georgium Ambaſianum initum eſt: quem & Maximilianus Regio nomine in clientelam recepit ob Mediolanenſem principatum. Carolus Cæſar poſtea iactabat, prius receptum à Maximiliano Gallum, ea conditione, Claudia ut filia ſibi nuberet. Euaneſcente conditione, nihil iuris inde partum: cuius rei, ut confictæ à Carolo, pauci meminere. Ne hoc quidem beneficij clientelæq́ eius oppugnat, quo uno telo utuntur Sfortiani, cùm ſaluis & integris aliorum iuribus id datum aiunt à Maximiliano: cum Cæſar ſi quod ius inde Sfortiæ acquiri uoluit, fraude ſe ipſe ſua clie͂telæ potius iure priuauit, quàm ullum alteri tribuit, qui affinis Sfortiæ ius probè noſſet. Ita Pontifice hortante ſuſceptum eſt bellum. Et ſane patrum noſtrorum memoria accepimus, magis à Gallis bella ſuſcepta impulſu Italorum diſsidentium, quàm animo ditionis proferendæ. Inter hæc Ludouicus ad conducendum ex Heluetijs militem Trimolio miſſo, Galliæ Mediolaniq́ rebus conſtitutis, ad Triuium oppidum exercitum admouit. Erant Regi in armis quadraginta hominum millia: nobilitas quidem Gallica prætoriæ Regiæq́ familię, & cohorti adiecta, cùm ex ſingulis familijs, ex iis, qui uoluntariam militiam erant profeſsi, in cohortes Regias eſſent allecti, ſpeciem præbebat lectiſsimi equitatus. Secutus eſt & Regem Antonius dux Lotharingus: Iacobo Chabaneo Palicio prima acies data eſt: cui iunxit Rex Heluetiorum turmas, Is Triuium, dedentibus ſe oppidanis, recepit. Pandinum ijdem diripere conſtituerant, cùm repente nuntiantur adeſſe Venetorum copiæ. Contraxerant ij ad quinquaginta hominum millia: Bartholomæus Liuianus exercitui præerat. Iam Veneti Triuium receperant, nullo in oppidanos ſæuitiæ libidiniſque genere omiſſo. Franci propius uenere, & caſtra

haud longe ab hoſte fecere: tametſi iter confeciſſent æſtuoſa & pulueruletã uia. Traiecerat uerò Rex prius Abduam, & Reuolſtam oppidum receperat. Sed priuſquam in aciem prodiret, cum Veneti præter ſpem pugnandi copiam facerent, breui in hunc modum oratione excitandos ſibi Gallos putauit: Si quis eſt ueſtrum, milites, qui nouo hoc in Venetos ſuſcepto bello nouoq; hoſte moueatur: is ſi cogitarit quò longius arma proferimus, eo nos in opulentiores, at rei militaris imperitiores bellum gerere: & terrorem ſi quem habet, deponet: & ſeipſum maiore propoſito præmio ad capeſſenda belli præmia excitabit. Nam & cum eo hoſte rem eſſe uidebit, quem uos ſuperioribus annis, cùm numero præſtaret, auſpicio Caroli Regis uiciſtis, & ex uicto prædam opimam retuliſtis: & qui uos olim tot terrarum ſpatia emenſos, iter in patriam & penates facientes, perfidiſsimè Italia omni concitata inuaſerit. Cum eo genere hominum res eſt uobis, quos uana iampridem inceſsit cupido & Cæſarum & Pontificum, & Regum funditus tollendorum: quique uni poſt hominum memoriam, maiorum noſtrorum noſtraque nobis induſtria partos principatus inuadere non dubitarint. Properandum itaque, atque obuiam eundum milites, niſi fortè in mentem uobis uenit, futurum, ut iis rebus oppidiſque cedant, quæ iamdudum occupata per uim poſſident: quod tantum abeſt ut efficiant, omnem ut prius moueant lapidem, quò dominationem etiam in poſterum augeant: quique quo plura habent, acrius quæ non habent concupiſcunt. Quid, quòd ignauiſsimi homines inſtructo exercitu nobis occurrere auſi ſunt: iactitantes uerba illa quidem ſpecioſa, terroriſque et minarum plena, ſed in caput eorum, ſi Dijs placet, recaſura. Nos id à maioribus accepimus, freti ut uirtute roboreque in prælium progrederemur: neque unquam audiendos putaremus magnificos iſtos uerborum funditatores, uerbis demum feroces, rei militaris ignaros: quos telam potius quàm tela tractare deceat: quique imbelles, è latebris ſuis eruti, metu exangues, ne primum quidem belli ſtrepitum expectaturi ſint. Tot meo ductu auſpicioque bella ſemper uictores geſsiſtis. Enimuero æquum eſt, facta mea ueſtraque imitanda uobis proponatis, qui mihi & Sforτiam rei militaris non imperitum, & Mediolanenſem principatum ueſtris armis dextriſque partum dederitis. Quod mearum fuit partium, copias lectiſsimas, auxilia fideliſsimorum Heluetiorum acceſsij: machinas ſuis locis collocaui: locum equitatus explicari poſſet, delegi. Reliqua in ueſtra ſita uidetis poteſtate. Audete modo uincere, Deo Opt. Max. propitio pulcherrimam de Venetis uictoriam relaturi. Eſt locus quem incolæ Agnadellum uocant, ducentis ferè ab Abdua paſsibus, inter Caſsianum & Reuoltam. Vix paratæ erant Gallicæ copiæ, cùm repente Veneti

neti Gallos ad prælium inuitare cœperunt, diſſuadente Petiliano cunctatore illo quidem, ſed Gallicis bellis aſſueto. Nec illi detrectant certamen. Concurrunt pedites, ut æqualis aliquantulum fuerit pugna: aperta acie collatis ſignis dimicatum eſt. Rex ex ſententia ducum tormenta bellica inter uepreta defixerat, ut putarent Veneti nihil ab his ſibi metuendum. At ea maximo impetu in eos prouoluta, & ordines totos turbarunt, & ferociſsimos quoſque nec opinantes proſtrarunt. Carolus Borbonius adoleſcens, iuſſu Regis ad Heluetios nonnihil ex priſtina alacritate remittentes profectus, maxime eos in hoſtes commouit. Tum demum urgere etiam Galli. Immiſſus equitatus facile equitatum hoſtium loco depulit. Liuianus urgere, clamare, ultro citroq; ad Nicolaum Petilianum mittere. Sed & bellica tormenta & Gallicus equitatus, nullum hoſtibus reſpirandi locum dedere: ita uerſi Veneti in fugam: captus Liuianus, qui quoad potuit Francis reſtitit, ut & Montius, & Naldius, Saccius, & Citolus, ex quibus Montius & Saccius in ipſa acie trucidati ſunt, multiq; alij quos præceps conſilium Liuiani ad mortem perduxit. Cæſi ex hoſtibus ad decem hominum millia: multi capti fugientes Galli uſq; ad Meſtrum oppidum perſecuti ſunt: præda prope immenſa: ex Gallis uix quingenti deſiderati. Aquitanorum Heluetiorumq; opera, qui Gallo militabant, multum ad uictoriam cōtulit. Eo bello cùm omnes paſsim laudarent Grignolium Talerandum, qui concitato equo per ruinas hoſtium uiam reliquis aperuiſſet: Talerandus uel oblectandi Regis gratia uel laudis contemptor, per equum calcitronem & refractarium minuſque frenis parentem, ſe inuito tantum ſibi decus partum fatebatur. Hic cùm arcana quædam effutiſſet præter opinionem Ludouici, illud tantum ab eo audijt uetus: Plus oportere ſeruum ſcire quàm loqui. Defunctos Rex ſepeliri iuſsit, fanumque eodem loco ædificari, ubi ſacra fierent annua, idque uectigalibus annuis dotauit. Profligatis hoſtium copijs, Brixiam, Cremam, Cremonā, Bergomum per Carolum Ambaſianum recepit. Palicium miſit Vincentiam, qui & eam & Veronam & Patauium Maximiliano reddidit: Pontifici quoque curauit, Fauentiam, Rauennam, Ariminum. Carauaſionorum arce munitiſsima Rex potitus, Ludouico Michaële repugnante et aduerſante capto, cùm igne in cellam, qua machinarum puluis cuſtodiebatur, admoto, afflicti & fracti eſſent Venetorum animi. Crema dedita à Soncino Benzonio, quem conſtat in tam munito oppido non probe fuiſſe affectum ad ſuum munus fungendum. Ea ſita ad Serij fluminis ſiniſtram, à Federico olim Aenobardo Cæſare poſt uaſtatam laceratámque Cremonam ædificata, quam multis ante annis Veneti diligenter tuebantur, acceptam à Franciſco Sfortia, eo fœdere quod aduerſus Mediolanenſes inierant. Rex cum om-

 nes

nes proſcripſiſſet qui ſe militiæ ſacramento obligaſſent Venetis, niſi intra decimum diem ad ſuos ſe reciperent, eo edicto multos à militia Venetorum diſiunxit. Picheria oppidum à Rege direptum. Maximilianus cum in Regis congreſſum colloquiumque uenire conſtituiſſet, eadem omnia, quaſi collocuti eſſent, committi poſſe, epiſtolis tutius eſſe ſcripſit: arx Cremonæ à Rege recepta, factione eorum qui in præſidio erant: ſecundum eam uictoriam Mediolanum redijt, nullo non honorum genere exceptus. Veneti nouo milite conſcripto, Patauium Cæſarianis dolo cæſis receperunt, miſsiſque legatis ad Hungariæ Regem, Henricum Britannum, conuentumque Norimbergenſem, pacis conſilia cum Maximiliano agitabant: quæ ille omnia reſpuebat niſi Patauium redderetur, excitabatq; Ludouicum ad opem ex fœdere ferendam. Palicius cum quatuor peditum millibus, equitibus centum Gallico numero inſtructis miſſus: receptis aliquot caſtellis fruſtra urbs aliquot menſes oppugnata eſt. Veneti quoque & Vincentiam & Veronam fruſtra tentauere: ſed acerbè cum ferrent, Alphonſum Ferrarienſium principem in caſtris hoſtium uerſari cum Hippolyto fratre, qui purpuratorum Pontificiorum ordini adſcriptus pronus ferebatur in militares curas, duce Angelo Triuiſiano contractam claſſem in Ferrarienſem miſerunt: at munitiones cum hæ eſſent à Ferrarienſi inſtitutæ, in ripa claſsis ut explicari commodè non poſſet, fruſtra fuit conatus. Huic ſubſidio à Rege miſſus Molarcus cum turmis aliquot Gallicis: quorum ope Ferrarienſis claſſem Venetam & fugauit, & magna ex parte diripuit. Namque ubi conſpicit Padi incremento claſsem hoſtium in ſublime ferri, ſubitoque aquam horreſcere, cæcoſque fluctus in ſe prouoluere, admonente Hippolyto purpurato, ſumma nocte omnes egreſsi urbe, machinis celeriter allatis, claſsem Venetam feriunt, contundunt, diſsipant. Hoſtes cum res conclamatas uiderent, triremes colligantes, in eam quæ medio loco ſita erat, quo facilius reliquæ cremarentur, ignes iniecere: ſed Ferrarienſium aduentu ab incendio uindicatæ ſunt, una tamen incenſa. Cælius Calcagninus triremes quindecim ait captas, ſigna ſexaginta relata, reliquarum nauium ingentem fuiſſe numerum: homines cæſos aut ſubmerſos ſupra duo millia, ex Francis & fœderatis Ferrarienſi non amplius quadraginta deſideratos: noluiſſe Alphonſum & Hippolytum iuſto certamini rem committere, donec adueniſſent Ludouici Regis auxilia. Lauretum etiam terrore recentis uictoriæ Venetis ademptum: ſed per incommodè accidit, ut de præda inter gregarios aliquot milites, Italos & Gallos, primum rixa, mox utrinque Italis Italos, Gallis Gallos iuuantibus, certamen apertum intercederet, multique clade ſe mutuo fœdarent: eo loco cæſus unus ex Alegrij liberis. Ferrarienſis profligato hoc bello & pene ſublato,

ſublato, cum firmo progreſſu in Rhodiginos iret, exceptus inſidijs à Gradonico Veneto poſitis, fugatus eſt: cum & in Veronenſium finibus captus eſſet Clietus eodem tempore. At cùm iuſſu Regis magna equitum ac peditum auxilia Alphonſo miſſa eſſent, rurſus ille potitus eſt Rhodigio: Veneti miſsis legatis Dominico Triuiſiano, Leonardo Mocenio, Hieronymo Donato, & quibuſdam alijs ad Iulium Pontificem, cum eo redierant in gratiam, pacti futurum, ut ei Ferrariam uicinaque loca repetenti adeſſent: miſitque ille ad Maximilianum Achillem Craſſum legatum, qui eum Venetis conciliaret. Matthæi etiam Gurcenſis purpurati Pontificij opera uſus, ſed legatis Regijs ſuperuenientibus, irritæ fraudes Pontificiæ fuere. Galli interea qui quæ in temporum inclinationibus ſæpe minimis poſita ſunt momenta obſeruabant, coniuncti Ferrarienſi, à quo Rhodigium receptum erat, Carolo Ambaſiano, Ioanne Iacobo Triuultio, Ioanne Palitio inſtante Montanianum, Ateſte, & Leonicum recipiunt: ut & Coloniam & Vicetiam, & Lemniacum arcemque aliam in ripa è regione Lemniaci ſitam, Alphonſus Ferrarienſis proſcriptus à Iulio, dirisque confixus. Narrat Cælius Calcagninus Iulium prætexuiſſe has cauſas belli in Ferrarienſes illati: quòd Pontificis iniuſſu ſalis uectigal inſtituiſſet: quòd Centum ac Ptebeij duo oppida non reddidiſſet: quòd populos nouis portorijs oneraſſet: quòd petenti Iulio ut icto cum Gallo fœderi nuntium mitteret, non paruiſſet. Ea uero demum cauſa, quòd Ferrariæ iam opes animo inuaſiſſet, urbemque figendæ ſuorum dominationi aptiſsimam uideret. Alphonſum extrema omnia pati maluiſſe, quàm à Gallico fœdere diſcederet, cùm Gallorum opera & auxilio imprimis, Rhodigina inſula olim à Venetis occupata, potitus eſſet. Addit idem cùm Veneta claſsis in Ferrarienſem agrum impetum feciſſet, neminem fuiſſe ex fœderatis qui maturius opem tulerit quàm Regem: neminem qui plures copias multorum menſium obæratas ſubmiſerit, maiuſue adiumentum ad uictoriam & claſsis expugnationem attulerit. Regemque ait per nuntios ac literas ſæpe teſtatum, ſe libenter omne imperium pro Eſtenſis incolumitate ac defenſione expoſiturum: nec Inſubriæ modò ac Liguriæ, totiuſque Ciſalpinæ religionis, ſed Galliarum & reliqui regni uires, non promptius pro ſalute ac exiſtimatione, quàm pro Alphonſo euocaturum. Eo ferè tempore fato functus eſt Georgius Ambaſianus Cardinalis, cui rerum omnium adminiſtrationem perfacilè Rex tribuebat: uir frugi & in omnibus uitæ partibus moderatus ac temperans, in quo erat cùm comitate grauitas cõdita, nec dignitas humanitatẽ morum mutauerat: qui in tam ſubito & turbido tempore, quo Gallicæ res afflictæ uidebantur, ea ſemper exquirebat conſilia, quæ ad concordiam pertinerent: tametſi multis nihil unquam

adlaboraſſe probari potuit ea in re, potius uerò acuendo Rege in Pontificem. Hic Regi in primis iucundus & ſuauis fuit: ille Regi proximus, ſeu ſeria tractaret, ſeu relaxaret animum: cum eo in cubiculo ſolus, comesq́ itineris ſemper fuit. Pellexit in ſuas factiones Iulius Ferdinandum Hiſpaniæ Regem, qui Ludouicum antea Sauonæ inuiſerat: amboq́ ſacro pane una ſuſcepto, conceptis uerbis ſacroſanctum fœdus pepigerant, quod tum à Ferdinando uiolatum eſt. Tribuunt omnes illi induſtriam, animi magnitudinem, ingenium acutiſsimum, prudentiam, cunctationem: iuſiurandi uerò religionem ab eo cultam ipſi Hiſpani negant. Conſaluus ipſe ſæpe quæſtus eſt poſtea: deceptus, ut aiebat, Ferdinandi & iureiurando concepto uerbis ſacroſanctis, & ſyngrapha manu eius obſignata: ut poſthac haud illepidè iocaretur, exacturum ſe à Ferdinando iuſiurandum in eius numinis uerba, cui fidem adhibeat. Notans in eo altius labem parum ſyncerę fidei: quo morbo olim Hiſpanos Iudaiſmo infectos laboraſſe uetus eſt opinio. Redierat is Conſaluus è Neapoli cum Ferdinando: ad hunc cum miſsi eſſent, Ferdinandi nomine, qui cum eo ſupputarent rationes eius temporis, quo Neapolitanis imperaſſet, rationibus ille breuiſsimè intulit, innumeras myriades auri in exploratores demum collatas: ac magno uir animo, Renunciate: inquit, Regi, quid mihi dederit: quid ego ei reddiderim, meminerit inermem & ſqualidum peditem: Apuliæ & Calabriæ partem debilitatam accepi. Reddidi uictorem florentemq́ militem, ſpoliis ſuperbum: reddo iam florentiſsimum opulentiſsimumq́ regnum. Si tam exiguè & exiliter ad calculos adminiſtrationē meam reuocet, repetam & ipſe quæ à me erogata ſunt. Cum ad reliquas res ſecundas, hæc quoque opportunitas adiungeretur: Rex ut ante occuparet, quem ſibi opponere parabat Iulius, Ferdinandum ſibi deuinxerat. At is ueritus ne pro Neapoli certare cogeretur, etſi Germanam Fuxeam conſanguinitate Regi proximam uxorem accepiſſet, repentè auerſus eſt à Gallico fœdere. Interea Monſilice aliud oppidum à Palicio Venetis extortum eſt & direptum, necato ab impijs militibus diſsidentibus de præda Sebaſtiano Naugerio, dum is familiæ nobilitatem oſtentans, aurum pro deditione pollicetur: oppidum receptum ſumma uirtute Palicij, qui cohortibus concitatis, qua murus erat apertus fortiter inuaſerat: cum multi ex hoſtibus id intuiti, præmiſsis armis, ex ſummo ſe permitterent: ob id illi ab Anna Regina poſtea torquis aureus miſſus pōdo ducentū. Virili enim animo mulier, de pecunia ratiocinari ſordidum eſſe ſibi perſuaſerat, cùm de gratia referenda agebatur. Heluetij à Iulio ſolicitati, in Inſubrum agros impetum faciunt. At illi à Carolo Ambaſio prætore Regio, pecunia accepta ad ſuos rediere. Paratur & à Iulio & Venetis claſsis ad Ge-

nuam

nuam inuadendam: huic præfuere Octauianus & Ianus Fregoſij, unà cùm Nicolao Doria, & Hieronymus Contarenus: miſſus & Antonius Columna eodem. Sed cùm Genua acri Gallorum teneretur præſidio, fugata Pontificia claſſe à Preianne, irrita fuit oppugnatio. Fregoſius, cùm iam progreſſus eſſet multorum dierum uiam, in ipſa rudentis explicatione, dum uentos haberet ſecundos, iterum à Preianne impetitus, Contareni ope elapſus, cæſo Franciſco Polano Veneto pila plumbea. Ambaſianus tranſmiſſo Pado Mutinã fruſtra oppugnauit, decurſionibus per equites uaſtans ea loca, quæ incurrebat ad tertium à Bononia lapidem, ubi æger curis & dolore confectus, cum inani Purpuratorum turba Iulius deſidebat. Potuitq; intercipere iracundum Pontificem, & Bononia potiri, niſi aut diris Pontificijs territus, aut legatorum Ferdinandi & Henrici Britanniæ Regis pollicitationibus deluſus fuiſſet, qui ſe Pontificem præſtaturos Regi recipiebant. Stabat in armis rigida hyeme loricatus Pontifex, Mirandulaq; occupata Bononiam rediit. Triuultius luſtrato exercitu in eum mouit: is ad Rauennam contendit. Vrbinas Bononiæ tuendæ relictus: ueterani Galli cum tyrone Italico congreſsi. Nondum erat uentum ad primum teli iactum, cùm hoſtes à Gallis diſsipantur, machinis caſtriſque exuti. Bononia Bentiuolis reddita, ea lege comiter ut maieſtatem Gallicam conſeruarent. Has uictorias Franci Gaſtoni Fuxeo adſcribunt. Triuultius, cum poſſet Pontificem intercipere, hactenus uſus eſt uictoria, ut eum cogeret quos exercitationibus deuinxerat ſoluere. Rex quoq; paſsim tota Gallia prohibuit, ne quis ullius diplomatis gratia Romam peteret, neue eo nomine è Gallia ullus nummus ad Pontificem perueniret: dabat uerò Rex interea operam, ut præfecturæ ſacræ per eos, quos ipſe nominabat, quaſi Oeconomicos, quàm commodiſsimè adminiſtrarentur. Rurſus & Iulius parata claſſe adiunctis multis Venetorum triremibus, quibus præfuit idem Contarenus, Genuam inuadit: adeſt & è Maſsilia claſsis Gallica inſtructiſsima: hæc diu congreſſæ cùm emiſsis uarijs machinis plures horas conſumpſiſſent, reflante utrinque uento, in uaria loca abiere: nec auſus Contarenus ſubſiſtere, cum aduentare Gallicæ copiæ in urbem lectiſſimæ dicerentur: cupiebat rurſus Iulius claſſem Venetam uela facere. Contarenus quaſi è portu egrediens, cùm paululum remigare uiſus eſſet, Venetias ſibi remigrandum iuſſu Senatus profeſſus eſt. Interea in Pontifice Iulio ita fracto, illa quę cõſenuiſſe uidebantur et relanguiſſe, recrudeſcunt. Proſperis Regis reb. ringitur, animos Regum, Venetorum, Cęſaris, ad Regis odium renouabat atque reuocabat. Semper animo ſic excubabat, ut in Francum aliquid moliretur. Exercitum ex Hiſpanis, Italiſq; conduxit. Huic pręficit Raymundum Cardonum adiuncto Petro Nauarro, & Io-

anne

anne Medice purpurato Pontificio, qui Leonis nomen Pontifex poſtea deſignatus tulit. Ii pergunt ad Bononiam oppugnandam: urbem Bentiuoli & Galli tuebantur cum Antonio Fayeta, Iuone Alegrio, Carolo Vicontio. Hoſtes urgente Petro Nauarro iam ſignum Hiſpanicum in murum intulerant: uidebanturq; Galli repellere uix poſſe hoſtes, cùm iuſſu Alegrij machinæ aptiſsimè emiſſæ: miſerè qui in murum peruenerant Hiſpani lacerantur, contunduntur, præcipitantur: rurſus à Pontifice in Gallos immiſsi Heluetij. At Gaſto Fuxeus, quem Rex pretorē ſummū mortuo Ambaſiano pronuntiarat, uim eorum, quæ iam erumpebat in actum, egreſſus ipſe cum lectiſsimo equitatu contudit. Cœpere enim Gallici equites, nunc à tergo, nunc à fronte hoſtes urgere, prorſus ut implicare & perturbare iter eorum uiderentur. Multi ex ijs à Petro Terralio Baiardo conciſi: multi à Carolo Contino necati. Tandem illi longius euectum Continum inſidijs poſitis obtruncant: ueritiq; Gallorum aduentum ad ſuos ſe recipiunt: Baiardus reliquias tardiorum perſecutus eſt. Interea Ludouicus Auogarus dabat operam, ut Brixiani ab imperio Gallico deficerent: accitoq; Gritto cum Venetorum copijs, urbem ſe ei traditurum noctu receperat: urbi præerat Iacobus Daillonus, cui Ludeo cognomen: hic detecta cōiuratione, cùm lege acturus eſſet in Auogarum, ille ſeſe proripuit. Circumſedit deinde clanculum cum Venetis urbem Auogarus, ac per Garſetij fluuij fornicē ſe in urbem iniecit. Fluuius Mella Brixiam præterlabitur, uarijs per eam regionem riuulis prodeuntibus quatuor. Ad dextrā uiſuntur Mompianum & Seretium: ad ſiniſtram, Chorium: quę loca Veneti prę ſidio ſepſerant. Franci ſe in arcem, quæ imo in monte eſt, multis captis proripuere. At Fuxeus admirabili uſus celeritate, cum nondum auditum eſſet eum Bononiam aduentare; ſedentibus hoſtibus ac nihil exaudientibus, urbem ingreſſus propè conuulſam, liberauit: hoſtes caſtra mouere obſidionemque ſoluere: miſsi qui extremum agmen abeuntium carperent caſtraque diriperent. Bergomum quoq; pulſis Gallis, Venetis deditum eſt, receptumq; à Federico Contareno & Petro Longena: arx ſita ſummo in monte à Francis retenta. Fuxeus qua celeritate uenerat, eadem rediens contendit ad Brixiam recipiendam. Seceſſerat in Arcem Aubignius, cui præerat Petrus Erigonius Aquinus. Is non ceſſabat ciues ad officium reuocare, ingenium aduerſum uti flecteret, aut ab imminenti urbis oppugnatione, ſi reſipiſcerent, liberaret. At illi Venetorum hortatu maledicere Gallis, Aubignio ſomnolentiam obiectare: Aquitanis qui arci præerant extrema omnia minitari, ultrò etiam arcem oppugnare. Obiecit ſe Fuxeo contendenti ad Brixiam in itinere Paulus Ballio cum Veneto equitatu. Is mox diſsipatus eſt, capto etiā Guydo Rangonio. Oppidani, qui ſe

locorum

locorum interuallis tutos exiſtimarant, aduentu Gallorum perculſi, nihilo ſegnius bellum parare: Veneti cum Gritto properare, reficere mœnia deiecta, occurre Gallis: mulieres ex tectis proijcere lapides, aquam, tela: idem de ea tuenda ſperare, quod olim acciderat Philippi Mediolanenſium ducis bello, quo tempore inſigni uirtute Franciſci Barbari Veneti, liberata eſt. At Fuxeus ad direptionem ſuos hortatus urbis opulentiſsimæ, equites, dimiſsis equis, primo loco collocat, deinde Aquitanos & Germanos: Fauentini equites quingenti oppoſiti à Gritto equitibus, multos repulerunt: at Aquitanis impares, qui bis mille impreſsionem in urbem fecerant, ceſſere. Epirotę quoque equites, qui cum Gritto erant porta aperta, effuſa fuga ſeſe proripuere: ita factum ut reliquis Gallis, qui arce excipi non potuerant ob anguſtiam irrumpentibus, urbe Fuxeus potitus ſit. Ipſe ut exarſerat antea iracundia & ſtomacho, enſe nudato urbem ingreſſus eſt. Nulli neque homini, neque ſacræ rei religio profuit, quin rabies Aquitanici Germanicique peditis omnia pollueret. Tantum prædæ inuentum, quantum nunquam ſperaſſent Galli. Federicus Contarenus cæſus, Grittus & Iuſtinianus capti, Bergomum quoque eadem celeritate receptum, tametſi eo die longam uiam confeciſſet: Ludouicus Auogarus interceptus, maieſtatis damnatus capite luit. Annus agebatur Milleſimus quingenteſimus duodecimus, cum Fuxeo nunciatum eſt, collecto exercitu & Pontificis & Ferdinandi Hiſpanorum Regis & Venetorum, aliorumque fœderatorum copias haud longè à Rauenna paratas eſſe certo conſilio Gallorum opprimendorum. Ipſe anteuertendum ratus poſt paucos dies, quibus rei frumentariæ gratia moratur, mox expediri milites iubet, annonam paucorum dierum præſto eſſe. Paucis poſt diebus inopinantibus occurrit hoſtibus. Ii in uia Flaminia ſedebant, exercitum in uicinos colles, qui uiſuntur ad dextram excelſi, collocarant: machinisque pulſuri Gallos uidebantur, neque pugnandi copiam facturi. Priori die decurſionibus per equites factis in caſtra reditum eſt, miſsi qui Rauennam tuerentur. M. Antonius Columna, & Petrus Caſtrius. Fruſtra cum eſſet Rauenna oppugnata, necatio etiam Caſtillono & Leſpina, & commeatus Gallis deeſſet, conſtituit Fuxeus oppugnare hoſtes. Iam ſacer dies inſtabat, quo à mortuis excitatum Deum colimus, poſt ſolennia illa quadraginta dierum ieiunia. Erant cum Fuxeo Palicius, Odetus Barbeſanus, cui ab oppido Lautreco cognomen, gentilitiumque aliud è Fuxei familia. Alegrius, Molarcus, Maugeronus, ſummus præfectus Normaniæ Ludouicus: uenerat, & nuper in caſtra Alphonſus Ferrarienſium princeps. Præfecto Normaniæ, & Alphonſo prima acies, ſecunda Alegrio, tertia Palicio commiſſa. Fuxeus cum prætoria cohorte Aquitanorum & Gallorum undique

circum-

circumagebatur. Hiſpani ſe locis tenebant ualidis, tormẽtorumque bellicorum impetu, magnam ſtragem Gallicorum peditum fecere. Machinæ quoque Gallicæ magna clade equitum edita uoluebantur, equitesq́ Gallici cum hoſtibus congreſsi facilè ſuperiores apparebant, integro tamen peditatu hoſtium. Ita factum ut Raymundo Cardonio, fugiente unà cum eo Caruailo & Antonio Læua, capto Fabritio Columna & Ferdinando Daualo diſſiparetur uniuerſus hoſtium equitatus. Reſtabat peditatus cum Petro Nauarro, hic corporibus humi ſtratis uitabat machinarum pilas. Germani in hos immiſsi, quanuis fortiter dimicarent, uinci tamen uidebantur celeritate ab Hiſpanis, qui breuibus accincti gladijs comminus rem gerebant. Aquitani quoque inuecti in peditatum Italicum, irrumpente cum eis Alegrio, magnã eorum edebant ſtragem. At Hiſpani ex ſecunda acie in Francum peditem irruentes, iam machinis imminebant, ni ab Ienolaco Galioto pulſi eſſent, qui omnium obiecta tela uirtute perfregit. Fuxeus id intuitus, omnem equitatũ hortante Palicio, hoſtium peditatui circunfudit: ita hoſtes inſtantibus equitibus, nec reſpirandi ſpacium dantibus, feſsi corporibus animisq́, tandem retulere pedem, ordines tamen ſeruãtes: peruenêreq́ in uiam & aggere & flumine mũnitã, capto prius Petro Nauarro. Hos ſeſe proripientes intuitus Fuxeus: Quid agimus milites, ait, uicti fugatiq́ hoſtes conſilia noſtra explorabunt? quin concurrimus, pauidosq́ & æſtuantes fugamus? Palicius contrà ſuadere, ſatis eo die uires hoſtium accisas, ſatis fortunæ commiſſum: fatigatos milites recreandos: nihil eſſe uerendum ne turbas tam pauci daturi ſint: quòd ſi ea eum cura angeret, expectare fortiſsimas equitum alas, quæ adhuc fugientem hoſtem perſequuntur. Nec tamen exaudijt prudens ſenis conſilium ferox adoleſcens. Quin ſolus, ait, proficiſcar: uos uerò ſedendo uincite: admiſſoq́ equo in hoſtes properat. Properantem ſecuti Lautrecus, Maugeronus, & pauci alij. Ii in hoſtem progreſſi, magnam eorum ſtragem edebant: cùm illi paucitate horum animaduerſa, exercitum in unum locum laxant, circumdatosq́ Gallos, cæſis prius equis proſternunt: proſtratos multis uulneribus fodientes obtruncant. Cęſus eſt Fuxeus, & ferè omnes qui cum eo properarant, excepto Lautreco, qui multis confoſſus uulneribus, inter tumulos cæſorum pro mortuo relictus, diuq́ conculcatus, tandem in caſtra relatus eſt. Captus poſtea eſt Ioannes Medices, unus è purpuratis Pontificijs. Cæſi ex Gallis Alegrius cum filio, cui Viuerroo cognomen, & Ramonetus Sanctomorius, uulneratus Eymericus Baſilacus: ex hoſtibus multi cæſi in quibus Benedictus Scaliger, Titus Benedicti filius: Iulius Scaliger minor natu pro cæſo relictus eſt, & pleriq́ alij. Galiotus Ienolacus cùm machinas ſeruaſſet, laudatus eſt. Cęlius Calcagninus Alphonſo Ferrarienſium

enſium principi haud paruam laudis partem impertit, cuius hortatu machinas loco apto ait traductas, atq; ita deinceps commodè raptatas, hoſtium ut innumerabilem uim conciderent: acie etiam ex tranſuerſo in hoſtem ducta, Rhauenna direpta à Gallico pedite, non quidem uoluntate Paliciȷ, Gallicorumq; aliorum procerũ, at temeritate nequitiaq; Centurionis Iaquini, hominis omni diritate atq; immanitate teterrimi: qui cum fana Brixiæ antiquiſsima ſpoliaſſet nudaſſetq;, ſagulo aureo, & caligis & calceis aureis ſplendidè ueſtitus, homo ueſanus et furioſus, fretus ea familiaritate, quę ei erat cum Molarco, dum agitur de fœderibus paciſcendis, in urbem irrupit, itaq; gula ei poſtea iuſſu Paliciȷ fracta: arx quoque dedita poſtea à Iulio Vitellio. Fuxei corpus Mediolanum relatum eſt, ſummo apparatu tubarumq; ſonitu undique perſtrepente: lecticam ſecuti ſunt captiui principes: relata etiam uexilla militaria: ſummo apparatu iuſta illi facta, magna militum mœrore, ut non ducem, ſed patrem ademptum unuſquiſque profiteretur: præcipuè uerò gregariȷ milites, quos ille liberalitate, ita ſibi deuinxerat, nihil ut eo Imperatore non auderent. Rex, lectis literis Paliciȷ, quibus de uictoria neceq; Fuxei admonebatur, ad amicos conuerſus: Vtinam, ait, ego Italia excluſus eſſem, uiueret uerò Fuxeus, reliqui ſupereſſent proceres: hoſtibus uerò tales eueniant uictoriæ: ſi ſic iterum uincimus, uicti ſumus, ut uetus id repeti iure poſſet, Flere uictum, at uictorem perdi ab ipſa uictoria. Redeundum ob Ludouici Iuliȷq; contentiones. Fauebant Regi purpurati aliquot Pontificȷ, Bernardinus Caruailus, Antoniotus Gentilis, Federicus Seuerinas, Gulielmus Briſſonetus, Raymundus Pria, Franciſcus Soderinus. Horum conſilio antea & Maximilianus Cæſar, & Ludouicus decerni Patrum concilium uolebant. Id primum Turonis, mox Piſis, deinde Lugduni coactum eſt, ubi & multa in Pontificem ſtatuta ſunt. Cum ille interea impios prophanosque omnes pronunciaret, dirarum imprecationes uelut ex plauſtro effundens, priuaretq; eos omnibus præfecturis, niſi urbem redirent. At illi, præcipuè uerò Federicus Seuerinas, cur abeſſent, non leues cauſas proponebant, cùm multis precibus à Mantuano & Triuultio contendiſſet Iulius, uti ex itinere reuocatos comprehenderent. Indictum autem Piſanum conuentum, cum Iulius iureiurando cauiſſet, poſt biennium, antequam Pontifex renuntiaretur, id ſe coacturum, ni indiceret, unicuique ius indicendi tribuiſſe. Ipſe interim pacis conſilia cum Gallo ſimulare: quod intuitus Federicus Seuerinas, nihil non tentabat: ſed callidus Pontifex, nolle ſe agere de pace, quàm per Scotum oratorem aiebat, cum interea & Iacobum Papienſem Cardinalem, & Auxitanenſem crudeliter impeteret: quorum alterum Papienſem crudeliſsimè necauit: alterum ex uinculis cauſam dicere coegit.

Terrebatur uero edicto Regio, quo ille decreta cœtus Baſilienſis & Conſtantienſis in Gallia tueri ſe profitebatur. At Iulius ut Piſanum cœtum diſſolueret, alium ad Lateranum indixerat. Indicto ad Lateranum concilio pauci adfuere è Gallicis Germanicisquè Pontificibus, paucis exceptis, quos poſtea Maximilianus reconciliata cum Iulio amicitia miſit, conſilio Ludouicum opprimendi. Primo Patrum cœtu, qui fuit quinto Nonas Maias, anno Milleſimo quingenteſimo triceſimo, Egidius Viterbienſis Auguſtiniani ordinis præfectus, uir præter uitæ ſanctimoniam, diuinarum literarum peritiſsimus, uetereq; Italia digniſsimus, cuius conciones ad populum grandes erant uerbis, decoræ ſententijs, genere toto graues, uetus illud prudentis hominis callens. Cum Regibus principibusquè aut omnino non loquendum, aut quæ ſunt optima loqui oportere: dicere prior à Iulio Pontifice iuſſus, utilia miſcens dulcibus, & auribus etiam aliqua dans Pontificis, hortatus eſt cœtum ad emendationem prioris uitæ, taciteq; ad arma in communem hoſtem noſtræ perſuaſionis uertenda, hac oratione. Si quis eſt qui admiretur, quod, cum tot magni Pontifices eruditiſsimi, ſanctiſsimiq; uiri ſedeant, ego potiſsimum cœtui huic hortãdo præpoſitus ſim, qui neque prudentia, neq; eruditione, neq; dignitate ſim cum alijs conferendus: is ſi prudentiſsimi Pontificis meiquè conſilij rationem cognouerit, una & illud quod imperauit probabit, & in his profecto laboribus uoluntatem noſtram minimè reprehendendam putabit. Multum ſanè interfuit quamobrem ego non uirtute ulla alijs præpoſitus, ſed quadam ſuperiorum tum temporum tum actionum ratione, & tanquam à cauſa ipſa inuitatus uidear, qui primus hoc cõflictu telum iaciam, & ſacroſancti Lateranenſis cœtus auſpicia capiam. Nam cùm annis ab hinc circiter uiginti, quantum in me fuit, & perexiguæ uires fultæ diuina ope tulere, Euangelia populis interpretatus ſim; Prophetarum uaticinia aperuerim, Ioannis uiſionem de ſucceſſu Eccleſiæ, uniuerſæ ferè Italiæ enarrauerim, ac ſæpenumero affirmauerim eos qui tunc audiebant, ingentes Eccleſiæ & agitationes & clades uiſuros, illiusquè emendationem fortè tandem aliquando conſpecturos. Nunc par eſſe uiſum eſt, ut qui hæc dixerat uentura, idem ueniſſe teſtetur: & qui toties exclamarat, uidebunt oculi mei ſalutaria tempora, iam tandem exclamet, uiderunt oculi mei ſalutem, aut certè ſanctum piumquè principium expectatæ inſtaurationis. Dicam itaquè de cœtu ac conuentu pio, & quàm Eccleſiæ commodus ſemper ſit, & quàm noſtris temporibus neceſſarius: Principio quis non uidet rerum alias diuinas eſſe, cæleſtes alias, alias humanas? Ac diuinæ quidẽ quòd ſunt motus ac mutationis expertes, emendatione non egent: cæleſtes uerò atque humanæ, agitationi obnoxiæ inſtauratio-

nem

nem deſiderant. Nam Luna cum ad Solis commercia uenerit, Sol cum à Cancro in Brumam deſcenderit, quaſi magno mortalium diſpendio, damna ab integro reponit: coguntúrq; præſcribente natura lucis iacturam rependere: & quicquid cadendo abſtulerint, aſcendendo mortalibus reſtituere. Quod ſi cæleſtia ſiderũ itinera, quanquam perpetua, immortalia, ſempiterna, quandiu architecto Deo huius fabricæ terrenæ placuerit, redeunt tamen reſtituunturque: quidnam tertium hoc faciet genus, utpote fluxum, caducum, mortale? Profectò aut interitu citò pereat neceſſe eſt, aut continua innouatione reficiatur. Quod enim eſt cibus corporibus ut uiuant, quod ſemen generibus ut perpetua ſint, id præſtat humanis animis ſua pro tempore emendatio, cultura, diſciplina. At quemadmodum ſi pratis imbres, ſi hortis aquam aut puteos, ſi agris cultum, ſi uineis putationem, ſi denique uiuentibus alimenta ſubduxeris, illa areſcent breui, ſylueſcentque, hæc uiuere deſinent, atque emorientur: ita ferè poſt Conſtantini Magni tempora, quæ ut ſacris rebus multum adiecere ſplendoris & ornamenti, ita morum & uitæ ſanctitatem non parum eneruarunt. Quoties ab his conuentibus habendis ceſſatum eſt, toties uidimus diuinam ſponſam à ſponſo ad tempus relictam. Vidimus Chriſtum paululum in nauicula obdormientem. Vidimus uentorum rabiem, factioſorum furorem in candida ueritatis uela irruentem. Vidimus malas cupiditates, dirã auri atq; habendi ſitim. Vidimus multos adeò ad functiones ſacras uocatos partim bella & ſerentes & alentes, partim deditos corporis gaudijs, per luxum atq; ignauiam ætatem agere. Vidimus ſumma homines ſolertia, ingenium, quo neq; aliud in natura mortalium melius ampliúsq;, aut incultu atque ſocordia torpeſcere ſinere, aut prophanis curis, quum dominico gregi eſſent præpoſiti, intentos occupari. Vidimus perditam malorum audaciam, aduerſus iura, authoritatem, maieſtatem Eccleſiæ ſæuientem. Vidimus, inquam, uim, rapinas, adulteria, inceſtus, omnem denique ſcelerum peſtem, ita ſacra prophanaque miſcere omnia, ita in ſanctum nauigiolum impetum facere, ut penè ſcelerum fluctibus illa latus dederit, ac propè merſa & peſſundata ſit. Rurſus cum eo monente ſpiritu, cui hodie ſupplicationes decretæ ſunt, patres ad piorum cœtum confugerunt: quamprimum emendauere compoſuerécq; omnia, uentis turbinibusque imperauere: & quaſi in tutiſsimum portum delati, impetum rationi, iniuriam iuſtitiæ, uitia uirtuti, tempeſtates ac fluxus ſerenitati tranquillitatiq; cedere cõpuleruut, hymnúmq; cecinere ſancto ſpiritui, piſcatorum, maris, atque aquarum Deo: Aquæ multæ haud potuere extinguere charitatem & illum: Iam hyems tranſijt, imber abijt: ſurge. Iacet enim ſponſa, ut hyeme frondes arborum. Surgit reuireſcitq; ſynodorum ſtu-

dio, ut ſyluæ ueris tempore reuocato ſole frondeſcunt ad ſolis redeuntis radios, & fœcundi ſpirant Zephyri, & lęta plantaria germinant. Ad ſynodorum lumen & diuini ſpiritus flant auræ, & emortui Eccleſiæ oculi reuiuiſcunt, ac recipiunt lucem, ubi pars altera impletur oraculi, Iterum puſillum & uidebitis me: quod quidem nihil aliud ſibi uult, niſi ſancti ſpiritus lucem quæ cœtibus omiſsis extinguitur, tanquam excuſſo è ſilice nouo igne, iterū accendi & recuperari in conuentibus piorum. Fide planè perfecta Deo placemus: hæc labans fulcitur ſynodis, hæc ueram cultum diuini numinis proponit, ſacroſanctę́que fidei fundamenta tuetur. Hac incenſi, qui recta expectant certa illa diuina&que; præmia in eius anchoris decet, atque interdum in ſalo expectare fati uadimonium. Eo fit ut deterius de ſe mereantur, qui abiectis illis anchoris cupiditatibus uela pandunt, rurſus altum, rurſus pelagi naufragia ſpectantes. Ex ea fide & unitate trinę diuinitatis, miſterijsq; diuini ſermonis mortale hoc corpus induente ſata eſt illa uinea, quam & futuram cecinere oracula, & præſentem Euangelia indicauere. At iam perierat uinea: nam ut teſtatur Dauid, illam aper è ſylua depaſtus erat, illam tumor philoſophiæ uaſtauerat. Arius primum montem, ſuper cuius uertices conſita erat uinea, auellere conatus eſt, qui unitatem diſcerpſit. Sabellius ſecundum, qui perſonas confudit. Photinus tertium, qui partum uirgineum impura temeritate labefactauit: tres ueluti impij gigantes, qui gloriç cupiditate, & rerum nouarum ſtudio cæleſtes montes loco mouere auſi ſunt, ut uiam ſibi facerent ad cælum oppugnandum, reſcindendumq;. Et erant iam uoti compotes: nam quæ ipſi philoſophia perſuadebant, armis ea recipi principes imperabant. Philoſophia nos argumentis urgebat: arma collatis ſignis oppugnabant, illa præſtigijs. Hæc ui fidem euertere conabantur, illa inuertere quæ credebantur, hæc eos qui credebant, perdere contendebant: illa in pietatem & animas, hæc in corpora uitamque ſæuiebant. Quid faceret diuina ſponſa iam peritura? quò ſe uerteret? quò confugeret, cuius fidem, cuius opem, cuius auxilium imploraret? Exhorreſcebat tempeſtas, nauicula mergebatur. Deniq;, ne multis morer, nulla effugiendi, nulla euadendi inuenta uia eſt, niſi Nicenus cœtus Syluestro ad clauum ſedenti & iam naufragium facienti adſtitiſſet, ac ſtatim diuinis fulminibus & fidei montes reſtituiſſet, & gigantum temeritatem diſieciſſet, ubi Deus erepta puella ignotos atque impudentes procos repudiauit, ſeptamque liberali cuſtodia adultam iam uirginem caſtè, & ab armatorum impetu defendit, edoctaque eſt ſponſa aduerſis rebus, nullum omnino præſidium ad ſe uel tuendam firmius, uel liberandam accommodatius, uel uindicandam efficacius habere, quàm piorum cœtum, quo uno fit ut nullæ aquæ Eccleſiæ cha-

ritatem

„ ritatem extinguant, utque diuinus ſpiritus in noſtris animis
„ manſionem efficiat, qui unicus uelut aquarum uictor tempe-
„ ſtatumque domitor fertur teſte Moſe, atque excubat ſuper a-
„ quam. Iam uerò de fide dixi, quæ utique parua eſſet ſine cœti-
„ bus, idem fermè de iuſticia, temperantia, ſapientia, cæteriſque
„ uirtutibus exiſtimari uelim: omnes enim deſidiam pro labore, o-
„ cium pro negocio, uoluptatem pro ſolicitudine expetimus: ue-
„ rum cum animaduertimus quandoque fore (quod in cœtibus fit)
„ ut cenſus habeatur, ut morum & uitæ exploretur ratio, ut impro-
„ bi deprehendantur, iudicentur, plectantur: contrà probi allician-
„ tur, foueantur, attollantur, incredibiles ſtimuli appetendæ uir-
„ tutis inijciuntur, ut homines colligant ſeſe, ut meliora deliberent,
„ ut ad uitia relinquenda, & uirtutem capeſſendam accendantur,
„ nihilq́ non honeſtum, nihil liberali homine indignum molian-
„ tur. Illud, illud conuentuum commodum, euerriculum fuit mali-
„ ciarum, diſcerniculum fuit, unde ueluti ex equo Troiano tot cla-
„ riſsima ingeniorum lumina emicuere. Inde illa uirtutum approba
„ tio, illa deteſtatio uitiorum, Dionyſios, Euſebios, Origenes, Baſi-
„ lios, Chryſoſtomos, Damaſcenos, Cyrillos, Athanaſios Græciæ:
„ Hilarios, Arnobios, Cyprianos, Lactantios, Ireneos, Iuſtinos,
„ Clementes, Africanos, Victorinos, Prudentios, Caſsianos,
„ Hieronymos, Ambroſios, Auguſtinos, Gregorios nobis pe-
„ perit: qui cum magna ſimilium turba, quos liberos, quæ ſcripta,
„ quæ monumenta, quod diſciplinarum, quod doctrinarum, quod
„ diuini uel auri uel argenti genus, in Chriſtianum ærarium nõ con
„ geſſerunt? Rem prætereo, niſi tempus obſiſteret minimè prætere-
„ undam, de Eccleſiarum rectoribus, de paſtoribus populorum,
„ in quibus quidem uniuerſa rei Chriſtianæ ſita eſt & ſumma &
„ ſalus. Vt enim inferior hic mundus, cæli tum motu, tum lumi-
„ ne regitur, ita Chriſtianæ gentes à rectoribus ſuis, uelut à cæleſti-
„ bus paſtoribus gubernantur: qui ſi boni futuri ſint, neceſſe eſt ut
„ & lumine diſciplinarum fulgentes, alios doceant, & motum ſan-
„ ctarum actionum exercentes, quæ docuerint, ipſi inprimis & ma-
„ ximè agendo præeant. Hæc duo illa ſunt, quæ & docuit paſtorum
„ princeps Chriſtus, cùm & lucernas ardentes geſtare ad clarè inſti-
„ tuendum, & ad ſanctè agendum præcinctos eſſe iuſsit: ſimul ipſe
„ mirificè exercuit, cum & lux mundi & diuini patris ſapiẽtia fuerit,
„ & ſanctus appellatus ſit, quod probos omnes uitæ ſanctimonia
„ anteceſſerit, atq; ob eas res paſtorem ſe bonum dixerit. Quòd ue-
„ rò ob utrunque, bonum ſe dixerit, teſtatur præco diuinus, qui cœ
„ piſſe eum ſcribit tum facere tum docere. Idem nobis eniten-
„ dum, niſi tantam dignitatem tabeſcere uetuſtate, & per ſocor-
„ diam dilabi uolumus: non eos imitari qui cùm uni & alteri præ-
„ fecturæ ſacerdotioque deſponſi ſint, in alia mox animum adij-

ciunt, ac ueluti priores ſponſas funere extulerint, rurſus proci, rurſus candidati uiſuntur: quaſi profeſsi ſint eam religionem quæ ære demum numerato, profeſſores auctorare didicerit, non etiam annonis mentis ſibi optimè conſciæ, quæ ſtipendia ſunt & emerita mentium ingenuarum: ac primus quidem prudentiæ gradus fuerit ab ijs abſtinere: quòd ſi more humani ingenij impegerimus, redeundum in uiam, neque uerò rationis freni excutiendi, & peccata peccatis cumulanda: id uerò indigniſsimum eſt, diſerteqúe ſacro retinendæ interdicto maieſtatis, metusqúe diuini aduerſatur. Hæc ſi ſemel impegerimus, in gradum nos reſtituunt. Interdicto eiuſdem recuperandæ, unde ſcilicet perturbatio nos animi deiecit. Itaqꝫ ea in re debemus animum maximè exercere, ut exemplo prius à nobis præpoſito colantur boni mores, concordia Chriſtiana in unum omnes coaleſcamus. Huius rei, quæ omnium longè maxima eſt, multa præcipuaqꝫ ſemper fuit cura cœtibus. Nam qui præſtanti doctrinæ ſanctum uitæ inſtitutum adiunxerint, à Synodorum patribus ex uniuerſo terrarum orbe conquiſiti, euocati exornatiqꝫ ſunt ſumma cum eligentium laude, Eccleſiarum fructu, commoda, lætitia, plauſu populorum. Quid illud omnium grauiſsimum ac periculoſiſsimum loquar, quòd nemo tempeſtate noſtra non deplorat: iniurias principum dicam, an militum? legionum inconſtantiam, armatorum minas? Quid enim miſerius, uel audiri, uel cogitari poteſt, quàm ut cæli terrarumqꝫ regina Eccleſia, aut ui ſeruire, aut manus dare, aut graſſantium tela pertimeſcere cogatur? adeò ſerpit hoc tempore, adeò inſurgit, adeò inualeſcit, ut omnis illa Eccleſiæ authoritas atque adeò tradita libertas, euerſa, profligata, & planè extincta eſſe uideatūr. Quamobrem caue Iuli ſecunde Pontifex maximè, caue credas ullum mortalium quicquam melius ſalubriusque cogitaſſe unquam, quàm ipſe Spiritu ſancto monente cogitaueris in Synodo inſtituenda, cuius quidem nulli reges, nulli Cæſares, nulli principes poſſunt uel decreta contemnere, uel iuſſa negligere, uel authoritatem detrectare. Si qui enim fortè Pontificem ipſum per ſe inermem parui pendere auſi ſunt, Synodi authoritate, principumqꝫ & nationum conſenſu, ac ſtudijs inſtructum metuere ac uereri conſueuerunt. Nam ſi Synodorum res geſtas repetamus, nihil his potentius, nihil maius, nihil munitius eſſe intelligemus. Synodo nanque in Ioannem Hiſpaniæ, & Alphonſum Luſitanum, Rodolphum imperatorem deſignatum, Gregorius X. Martinus IIII. in Petrum Aragonium animaduertit. Synodo Alexander V. Ladislaum exauctoratum fecit. Synodo & olim Gregorius, & patrum memoria Eugenius Græcam Eccleſiam Latinæ cōiunxit. Quin in hac eadem æde omniū principe, & quę uincere ſemper hoſtes ſolita eſt, uinci nunquam, non niſi Synodo, &

II. In=

„ II Innocentius aduerſarios deiecit, & III Alexander uictorem ſo„ciosqꝫ ſuperauit: & Innocentius Othonem imperio ſubmouit: & „Martinus V. hoſtilia tyrãnorum arma diſsipauit: & ne omnia per „ſequar, quicquid laude, quicquid gloria dignum à Melchiadis æ„tate in Eccleſia geſtum eſt, aut ad hoſtem arcendum, aut ad Remp. „componendam: id omne ex his conuentibus originem ſumpſit, & „proinde illis acceptum ferendum. Vnde ueterum decretis conſti„tutum uidemus, ut quotannis bis habeantur conuentus docen„tium in Eccleſiijs: credo haud aliam ob cauſam, niſi ut & ſordes ab„luantur, & ne, ſi qua diſſenſio orta eſt, latius uagetur. Et ſimulà„chrum huius moris retinent paſsim Eccleſiæ, dum conueniunt „quotannis ſingularum diœceſium ſacerdotes, ubi de moribus & „doctrina pauca, multa paſsim alia inculcantur, nullo ueterum ex„emplo, qui hunc conuentum ueluti morum aliam cenſuram inſti„tuere. At nos nunquam ne tandem poſt undique qua ſacra, qua „prophana, interuerſas opes, hauſtas uoluptates, ullum tempus in „acerrima & attentiſsima cogitatione ponemus? qua perſpiciamus „quo pacto rationes huiuſce ſacerdotij ad ærarium illud diuinum „referamus, ubi ſeſtertia innumera expenſa cum acceptis conferen„da ſunt? Quouſque tandem pergemus faſtigium ita noſtrum tol„lere, ut luminibus Regum & principũ obſtruere conemur? Quo„tus quiſque noſtrum fidei initia & ipſa primordia religionis, quę à „cruce, & morte, non faſtu & magnificentia profecta ſunt, intuetur? „Quotus quiſque diuini præconis uoce edoctus, in ſimplicitate a„nimi magnitudinem, in procuranda aliorum utilitate, poſthabita „ſua ultimum finem aſſequendæ felicitatis conſtituit? non ſunt ſa„cra, non, inquam, auguſti iſti ritus noſtri ad cæterarum diſciplina„rum uiam & rationem dirigendi. Quippe illæ uario multiplicique „ingenio hominem exigunt: ij niſi ſimplicibus & credulis ſe non „credunt. Nouo genere & inſtituendi & docendi, prius perſuaſos „eſſe uolunt ſectatores ſuos, quàm aliquid illis perſuadeant: ela„tos, laudis cupidos à limine arcent, calliditatem, confidentiam, „magnificaſque iſtas oſtentationes ne admittunt quidem. Nun„quàm ne imitabimur tot culmina fidei? tantas copias teſtium le„ctiſsimorum, qui pomœria prorogauerunt ſacri dogmatis uſque „quaque gentium? Aut hoc reſtituet piorum cœtus, aut iam deplo„rata omnia. Nam quid aliud ſanctus cœtus, niſi malorum metus, „proborum ſpes, errorum correctio, ſeges & reſtitutio uirtutum? „qua dæmonum fallacia uincitur, illecebræ auferuntur, ratio amiſ„ſa arcem recipit, terris è cælo iuſticia redditur? redit ſiquidem ad „mortales Deus. Nam ſi dixerat, Vbi duo uel tres meo nomine „conuenerint, ad eos uenio, interque eos ſum: quanto huc luben„tius ſe conferet, quò non duo uel tres, ſed tot Eccleſiæ capita profi„ciſcuntur? Nam ſi angelos uocat Ioannes Eccleſiarum paſtores,

quid eſt quod uel uotis petere,uel precibus à Deo conſequi non poſsit tanta ſimul frequentia angelorum?Hic Eua ab exilio reuocatur,hic ſerpentis caput talo premitur puellæ ſanctioris: Abrahamus educitur è Chaldæorum terris,Agar ancilla obtemperat heræ,fœdus cum Deo rurſus feritur,animorum circuncifio introducitur.Hic ſcalam figens patriarcharum pater in cælum aditum pãdit,Deo iungitur in palæſtræ ludo,& audendo à Deo accepit nomen.Hic populi ueluti in ſolitudine oppreſsi fame, diuinitus auxilium impetrant,cæli angelorumque panem recipiunt,& ſuauitate ueſcuntur cœleſtium epularum. Hi cum hominum pectora tanquam ſaxea euaſerint,Moſis uirga percuſſa aquarum fontes effundunt.Hic theſaurus agro abditus effoditur,margarita emitur, lampades accenduntur,ſemen in agrum fertilem ſeritur, ſinapis granum ſurgit in arborem,& feraci oleæ oleaſter inſeritur. O beata itaque tempora illa,quæ Synodos ſuſceperunt:hæc ſtulta,ſi non agnouerint:miſera,ſi omiſerint.Et quando ueterum cœtuum commoda ſtrictim attigimus, nunc quam breuiſsimè noſtra delibemus, Tantas ne uirtutes, Dij boni, tantam frugalitatem,modeſtiam,maiorum noſtrorum non imitabimur, qui cum omnia ſibi ſubeſſe uiderent,nihil ſibi arrogarunt?& tamen ita cupio ueteres imitemur, aſpera ut omnia & inculta, ambitionem potius quàm pietatem redolentia uitemus, ne plebem dum emendare uolumus,à nobis auertamus.Frugalitatem exigit pietas,non pœnam:utamur argento,non capiamur:ita quidem ut non auro à nobis & munditiæ,ſed uitijs & illecebris indictum bellum uideatur.Appello ergo te Iuli ſecunde Pontifex maxime,ſummus ille te appellat Deus,qui ſuam te gerere uicem in terris uoluit:qui è tanto iampridem Senatu te unum delegit, qui nonum uſque in annum Eccleſiæ ſuæ te ſponſum defendit,qui & bonam cogitando mentem & magnam agendo facultatem dedit,quantum nulli maiorum unquam præſtitit,ut prædones abigeres,uias purgares,ſeditiones tolleres, Dei templum, omnium quæ uſquam uiſa ſunt magnificentiſsimum excitares, militiæ arma Eccleſiæ (quod nemo antea aut potuit aut curauit) magnis Regibus metuenda faceres:ut denique imperium propagares, ut Ariminum, Rauennam,Fauentiam,& alia permulta recuperares. Quæ etſi tibi eripere hoſtis poteſt,quin tamen primus Pontificum hæc geſſeris, efficere non poteſt. Magnorum enim principum uirtus non caſu aut euentu,ſed ex conſilijs atque actionibus cenſenda eſt. Tibi uerò etiam atque etiam uidendum,ne dum capiti mederi pares,reduuiam curaſſe uideare. Caput uerò illud fuerit tuarum actionum, ſi Chriſti hoſtem Maumetem fregeris: reliqua tibi ademta,alio tempore reddentur. Nunc rebus geſtis hæc duo deerant ut Synodum uocares, & communi Chriſtianorum hoſti bel-

„ bellum indiceres:& quæ ab initio ſemper cogitaſti, ſpopondiſti,
„ decreuiſti,iam Deo, iam Chriſtiano gregi, iam tuæ præſtes tum
„ pietati,tum fidei.Ac ſcias te bonos omnes in magnam ſpem ere-
„ xiſſe,quippe qui bellorum & malorum temporum iniuria,ad hæc
„ differenda quidem coactus fueris,ad negligenda uerò & deſeren-
„ da non minis, non telis, non cladibus adduci potueris, qui ani-
„ mum ea conſtantia firmaris, ut hi fluctus, hæ aquæ, hi turbines,
„ procellæ,quanquam multæ, firmam tamen charitatem tuam ex-
„ tinguere non potuerint.Ille itaque idem Deus qui præter hæc om
„ nia quæ ad animum exercendum enumeraui, immortalia benefi-
„ cia his ſuperioribus annis,tum Romæ tum Bononiæ, cum etiam
„ intra ædes tuas extinctus habueris, te in uitam reuocauit, & ad
„ hæc maxima opera gerenda reſeruauit, ut & ipſe Deus extincto
„ Pontifici manifeſtiſsimo mirabilique exemplo.& Pontifex extin-
„ ctæ Eccleſiæ ſanctiſsima Synodo uitam reſtitueret:atque unà cum
„ reuiuiſcente Pontifice,etiam Eccleſia moribus reuiuiſceret.Ille,in-
„ quam,Deus petit mandatque, ut duo illa animo uolutes, cures,
„ peragas:& euellas,eruas errores,luxum,uitia:inſtitutas, ædifices,
„ plantes moderationem, temperantiam, ſanctimoniam. In te uno
„ id ſitum quod ueterum decretis ſancitum eſt, iubeas exerceri hoc
„ loco. Primum,ſi quis nouum quid proponit,ſi quid quod perti-
„ net ad quantumuis magnæ potentiæ emendationem inſtauratio-
„ uemue,huic ne id fraudi ſit: Deinde,ne cui præcidamus ueterem
„ licentiam libertatemque dicendi:Tum ne immodeſtis uocibus per-
„ ſtrepamus,aut uanis tumultibus cœtum perturbemus:Vt denique
„ ij deligantur, qui grauiſsimis de rebus diſputent,non qui diuitijs
„ ſolum & gratia apud magnos polleant:at ſingulis maximiſque ex
„ urbibus qui iudicio proborum,& in ſtudijs liberaliſsimis grauiſ-
„ ſimiſque uerſati ſunt,& opinione probitatis paſsim commendetur.
„ ad hæc uerò agenda cum alia permulta,tum præcipuè amiſſus ex-
„ ercitus excitare nos debet:quod equidem diuina prouidentia fa-
„ ctum putem,quò armis demum Eccleſiæ freti, alienis cederemus.
„ ut ad noſtra redeuntes,uictores euaderemus.Noſtra autem arma
„ ſunt,pietas,religio,probitas,ſupplicationes,uota, lorica fidei,atque
„ arma lucis,ut ait Paulus.Ad quæ ſi Synodi opera redibimus ut ar
„ mis non noſtris inferiores aliquo hoſte fuimus,ita noſtris erimus
„ omni hoſte ſuperiores.Nos quidem paulò antea occupata à Fran
„ cis Italiæ parte nobiliſsima,ſic orbem reipublicæ conuerſum ui-
„ debamus,ut uix audire ſonitum,uix impreſſā orbitā intueri, poſſe
„ mus,minore omnino ſonitu quā putaramus lapſa erāt omnia:ſpes
„ iniecta nulli uēturū ea poteſtate hominē,qui labefactatus has par-
„ tes aut ſuſcipere poſſet, aut tueri. Ecce autem extitiſti tu Iuli,uin-
„ dex libertatis noſtræ,conuertiſti arma in florentiſsimū Regē: qua
„ in re in ſummam gloriam ueniſti: quæ tamē ſi in ueros fidei hoſtes
conuer-

conuertiſſes, hominum credò admiratione in cælo eſſes, Veniat quæſo in mentem Moſis bellum, quod aduerſus Amalechum Regem geſſit: uidebis populum Deo charum, gladijs fidentem ſemper uinci: contrà precibus ſupplicantem, ſemper uincere. Ioſueus exercitum in prælium ducebat. Aaronus ſacerdos cum Huro ac Moſe montem aſcendebant, illi armato corpore ferebantur in hoſtem, hi demum purgato animo precabantur. Illi enſibus, hi uotis agebant: illi ferro, hi pietate pugnabant. Vidimus utraque arma militiæ ac religionis. at iam quæ noſtra ſunt cognoſcamus. Dum Moſes, inquit, manus attollebat, noſter uincebat exercitus: dum manus remittebat, exercitus inclinabat. Ac ne caſu id factum ſuſpicemur, extremo ſermone illo ſcribitur, aduerſus Amalechum, hoc eſt, Eccleſiæ hoſtem, Dei manum ac bellum eſſe à generatione in generationem: Quibus uerbis monet Deus, utranque generationem: & Moſis & Chriſti, militiæ armis uinci, pietatis ſtudio uincere: ſuperari manu decertando, ſacro faciendo, ſuperare. At quò nos tandem perduxit præceps ambitio? ut cùm Chriſti mandato pacem cum hominibus ſanctè colere, cum uitijs demum bellum gerere debeamus, Italiam tamen ipſi totam armis noſtris concutiamus? An uerò finem nunquam inueniet dominandi illa apud nos ambitio, ut non contenti poteſtate illa eximia, ad raptos dominatus animum adijciamus? Audire operæ pretium fuerit diuinas uoces undique perſonantes, undique Synodum, pacem, ſanctam illam expeditionem efflagitantes. Quando enim uita noſtra mollior? quando ambitio petulantior? quando cupiditas inflammatior? quando peccandi licentia impudentior? quando audacia aduerſus pietatem loquendi, diſputandi ſeribendi, aut frequentior, aut ſecurior fuit? quando in populis rerum ſacrarum? quando & clauium & ſanctorum præceptorum non modò negligentia, ſed & contemptus maior? quando apertius religio & fides ludibrio uel tenui plebeculæ fuit? quando (pro dolor) ſectiones in Eccleſia pernicioſiores? quando hoſtis potentior? quando exercitus truculentior? quando obiter monſtra, portenta, prodigia tum cœli minitantis, tum terræ expaueſcentis, aut crebriora aut horribiliora apparuêre? quando (heu fletus me impedit) cædes, quando clades uel prius Brixiana, uel poſtea Rauennate cruentior? quando, inquam, ullus inter infauſtos dies, quàm ſanctiſsima illa à mortuis excitati Chriſti lux, aut luctuoſior aut calamitoſior illuxit? ſcilicet, ut expleant illi uindicta feroces animos, nos uiles animæ mactamur? inutilis turba, nos cui nullæ eiulationes flebiles debentur, uexamur? Quæ quidem omnia (niſi ferrei ſumus) quidnam aliud quàm cælitus miſſæ ſunt uoces monentis Dei ac præcipientis, ut Synodum habeas? ut Eccleſiam emendes? ut ſponſæ tuæ undique laceſsitæ pacem utranque reſtituas? ut gla

dios

dios auertas urbis & Italiæ iugulis imminentes: ut noſtram frenes uiuendi licentiam, Eccleſiæ uiſcera maioribus uulneribus ferientem: Non enim multum refert quantum agri poſsideamus, ſed quàm iuſti, quàm pij, quàm diuinarum rerum ſtudioſi ſimus: ut denique poſt tot mala, tot incommoda, tot calamitates, principem Chriſtum audias Petro poſteriſque Synodum oſtendentem, ut unicam omnium malorum medicinam, tutum periclitantis nauiculæ portum, ſolam Reipublicæ confirmandæ rationem. iubet enim Petro, conuerſus aliquando confirmet fratres ſuos. Imperat alijs ab ingrata Deo uita, ad gratam piamque lapſos deducant: uult is ea pares, mediteris, cogites, quæ eſſe in eo Pontifice ac uiro debeant, qui ſit piorum cœtum afflictum & oppreſſum miſeris temporibus ac perditis moribus, in ueterem pietatem ac religionem uindicaturus. Ille abs te etiam atque etiam petit, ut ea quæ initio oſtendiſti, in ſanandis hiſce tumultibus, deinceps feciſti, etiam ad exitum augeri & cumulari per te uelis. Quando enim unquam magis uidimus lippitudine præpeditos, præponi diuinæ ſponſæ arcibus pro ſpeculatoribus: pro antiſtitibus eos qui oracula intelligere nequeant: pro uigilibus, uiros ſomno languidos: pro præconibus, qui exiguæ ſint uocis: pro concionatoribus (ut de me aliquid dicam) qui raucedinem contraxerunt: pro nauarchis quique clauum teneant, quibus in ſentina locus eſſe uix debeat in iactatione & æſtu maris: pro præcurſoribus, quibus anhelitus ſit impeditus: Audis Paule: Auditis auguſtiſsima ſemper capita, tutela ac præſidium urbis Romæ: Auditis in quem malorum cumulum Eccleſia Chriſti fundata ſanguine deducta ſit: Videtis acies utrinque profligatas: uidetis cædes: uidetis clades: uidetis campos occiſorum aceruis opertos: uidetis terram hoc anno plus cruoris hauſiſſe quàm pluuiæ: minus imbrium bibiſſe quàm ſanguinis: uidetis tantum Chriſtiani nominis, quantum fuerat ad fidei hoſtem debellandum ſatis, nihil niſi exitium, nihil niſi interitum ſupereſſe: Ferte ſacris ueſtris ad Deum precibus opem, iuuate, ſuccurrite, & quam de Iudæorum & tyrannorum faucibus eruiſtis Eccleſiam, nunc domeſticis cladibus occumbentem eripite. Videtis eo rem perueniſſe, nemo ut iam inueniatur qui ſacram nauem, quæ fertur in ſcopulos retro, inhibeat, cùm remiges obſurduerint: ac nec uectores quidem iactura facta reliquias colligant. Videtis flare atque reflare hinc atque illinc uentos contrarios, ſcindi uela, frangi propè ſacræ nauis malum, carinam dehiſcere: Videtis ui uentorum nauim ita impulſam in funes anchorarum, aliarum nauium, uix ut præciſis funibus nautæ ſe explicare poſsint. Videtis nihil aliud ſupereſſe, quàm ut læuãdæ nauis gratia, iactus mercium fiat diuinarum, qui nequicquã poſtea omniũ cõtributiõe ſarciri poſsit. Videtis ab ipſiſmet Italis acceſſi fero-

ferociſsimos hoſtes in Italiam: qui cum cogantur exire de naui abiectis gubernaculis, cupiunt reliquorum naufragia ex terra intueri, Malunt uehi malè & ſuperbè Turcis gubernantibus, quàm iuncti noſtris uectoribus obtemperare. Tales obſecro peſtes auertite. Orat id à Deo populus, uiri fœminæq́, omnis ætas, omnis ſexus: rogant patres, obſecrat Senatus, obteſtatur ipſe denique ſupplex Pontifex, ut Eccleſiam, ut urbem, hæc templa, has aras, hæc ſacra, hæc ueſtra ipſorum capita ſeruet, ac Synodum Lateranenſem à Iulio indictam hodie: quod fauſtum, felix fortunatumqúe ſit, & nobis & Eccleſiæ, & toti Reipublicæ Chriſtianæ, in orbis terræ certiſsimam ſalutem, diuini ſpiritus numine firmet curetqúe iubeat, imperet, & pacari Chriſtianos principes; & in publicum Chriſti hoſtem Maumetem noſtrorum Regum arma conuerti, atque his fluctibus, his procellis, his aquis, non modò non extingui Eccleſiæ charitatem, ſed ſacræ crucis meritis, & diuini ſpiritus ductu, quibus coniunctim hodie ſacra fiunt, ablui potius ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum ſplendorem munditiamqúe reſtitui. Hæc ille prudenter diſſerebat: at cùm poſt tertiam ſeſsionem fœdus pepigiſſet Pontifex cum Maximiliano in æde dicata ſacræ uirgini Populanæ, Iulius qui pacis antea conſilia cum Ludouico agitarat, acrius bello renouando incubuit, idemqúe Egidius Viterbienſis, quaſi palinodia recantata, multa in Gallos effudit, quaſi impij nemine perſequente ex ueteri oraculo fugientes, uictoriam dediſſent: & tamen uir pius uictus ueritate, extremis uerbis orationis hortatus eſt Pontificem, Si partam diuino munere uictoriam, ſi hunc diem, ſi Cæſaris fœdera, ſi ſupplicem hanc Rempublicam, ſi res geſtas, ſi illud quod cœlo æquaret templum, ſi poſteros, ſi monimenta, ſi trophæa, ſi ſua omnia ſtabilia æterna, felicia eſſe cuperet, componeret hos fluctus, tolleret inteſtina mala, emendaret mores, luxum, licentiam, flagitia, odia, præterea diſcordias; arma è Republica prorſus auferret: & compoſitis rebus pacatiſqúe uera ſanctaqúe pace principibus, quicquid Chriſtianarum eſſet uirium colligeret, & ad imminens Maumetis periculum diramq́ peſtem opprimendam accederet: & ſi res diuina & uera gloria ex animo curæ ei eſſet, alia omitteret omnia: has peſtes aggrederetur, has domaret, has tolleret. Illi uerò adiuncto Cæſare, fretis prudentum conſilijs, nihil deliberatius fuit, quàm hinc Ferdinando, hinc Anglo, hinc Heluetijs ad arma uocatis, Regnum Gallicum opprimere. Quin uulgatum eſt, ioco ne conficto, an uero, quando Romani pictores Petro claues, Paulo enſem tribuunt, illum in Gallos emiſſurum copias, enſe accinctum & clauibus, ad Tybrim profectum in aquas amnemqúe proieciſſe claues, hæc inferentem: Quandoquidem nihil Petri claues prodeſſent, Pauli enſem (quem mox eduxerat) auxilio futurum.

rum. Idem ea fuit perfidia, ut Federicum Sanſeuerinum, unum è purpuratis, qui ad Regem tranſierat, blandis literis ad reditum pelliceret: alteris maximè petebat à Franciſco Gonzaga Mantuano, & Iacobo Triuultio darent operam, ut quacunque ratione interceptum deprehenderent: idem, ut dum per legatos pacis conditiones ſcribuntur cum Rege, alijs legatis Heluetios ſummis inuitatos ſtipendijs uno eodemque tempore in Regem armaret: Gallos uerò in uniuerſum nouo nomine augens Romanam ſupellectilẽ, Micturiuinos uocaret, quaſi immodicos uini potores; quod mox emittendum eſſet: quo uitio ipſe maximè laborabat. Neque hiſce maledictis abſtinebat quæ in ipſum dupliciter recidebant. Vnde factum eſt ut Gallici poetæ palàm in eum his affixis undique uerſiculis luderent:

Patria cui Genua eſt, genitricem Græcia, partum
  Pontus & unda dedit, qui bonus eſſe poteſt?
Sunt uani Ligures, mendax eſt Græcia, ponto
  Nulla fides: malus eſt, hæc tria quiſquis habet.

Magnam uerò ab eo inijt gratiam Ianus Laſcaris, qui his Romam allatis uerſiculis, contrarios mox edidit in hanc ſententiam:

Eſt Venus orta mari, Graiûm ſapientia, ſolers
  Ingenium eſt Ligurum: qui malus eſſe poteſt?
Cui genus ut Veneri, à Graijs ſapientia, ſolers
  Ingenium à Genua eſt; Mome proterue tace.

Is tamen in eas eſt anguſtias deductus, ultro ut copias omnes ſuas Ludouico detulerit, modo tamen Ferrarienſem ne tueretur, tantum ſe ſpectatorem tribueret. Rex Italiam omnem potius ſibi relinquendam eſſe dixit, quàm Ferrarienſem fideliſsimum ſocium deſerendum: eius finibus ſi Pontifex abſtineret, quibuſuis conditionibus ſeſe cum eo tranſacturum. Iulius ubi ſuperatum ſe uidet, magis irritatus eſt, operaque Gurcenſis Cardinalis, ex Heluetijs mox ſuppleuit copias, ſubnixus auro Veneto: Maximiliano etiam Cæſare adiuncto, clandeſtiniſque legationibus & Ferdinandum Hiſpaniæ, & Henricum Britanniæ Regem ad bellum Gallo inferendum impulit. Ludouicus ubi uicinos Reges omnes bellum ſibi parare uidet, reuocat ex Italia maiorem militum partem. Ita Pontifex ac reliqui nacti urbes uacuas milite, Italiæ loca quæ Rex occuparat, recipiunt. Aubignius Hiſpanis Brixiam reliquit, & Tritianam arcem Franciſcus Biarnenſis præfectus, quem Baronem uocabant. Placentia & Parma ex fœdere Iulio ceſſere. Benedictus Cribellus auro Veneto uictus Cremam dedidit. Palicius cùm ſe Papiam recepiſſet, iuſſu quoque Regis ſaluo equitatu in Galliam redijt, uel ſuapte ſponte, cùm ſe hoſti imparem agnoſcit. Qui ſuperfuerunt ex Gallis Mediolani, aut fuga ſibi conſulere co

m acti

acti ſunt, aut cæſi. Eo his gregarius miles in itinere claudicans, obuiam factus ciui cuidam Papienſi: is quaſi peregrini curam ageret, comiter inuitat in domum Gallicum militem: inuitatum quiritantemque multis uulneribus confodit: mortuo cor euelli iuſsit: id conuiuio publicè appoſuit, indigno facinore ſeſe polluens, & quod nemo in ferociſsimo etiam hoſte laudarit. Ferdinandus Hiſpaniæ Rex egerat cum Anglo, ut is claſſe in Hiſpaniam appellens inde in Aquitaniam properans, bellum Gallo inferret. At prius per Ioannis Nauarrorum Regis fines pertranſeundum erat. Ioannes Fuxeus Alebreti filius, Nauarris imperabat. Rex motus ancipiti bello cum & Hiſpani & Angli uni Aquitaniæ diuerſis locis imminerent: ad Ioannem Fuxeum miſſo Amanio Alebreto Dorualo per eum tentabat Anglos Aquitania arcere: ſed nihil poterat conſtitui quod non incurreret in magnam difficultatem. Pungebant Dorualum dubitationes Nauarri. Is cum eo egit ut impediret hoſtium tranſitum. Nauarrus negabat, ſe impedire poſſe. Primum enim prohiberi fœdere inito cum Ferdinando, ne illi eſſet hoſtis: id quoque iactitare Ferdinandum, cum redderetur ab Hiſpanis id Regnum poſteris ſuis, diſertè cautum, rediturum Regnum ad Hiſpanos ſi ſui fœdus uiolarent. Quid autem, cur hoc tempore id ab eo poſtulet Ludouicus, qui multo tempore fouerit Regni æmulum Gaſtonem Fuxeum? deinde cur aliorum controuerſijs ſeſe ipſe interponat? Satis ſuperque eſſe ſibi, ſui cuiq; Regni curam: alienis diſsidijs implicari & inutile & moleſtum eſſe. Cur florentes res ſuas cum aliorum turbulentis miſceat? cur dum alij placere ſtudet, alterum in ſe accendens certam ſibi accerſat perniciem? Tum etiam quid pro Ludouico laboret, qui decreto Senatus Tholoſani paſſus ſit ditionis Biarnenſis imperium ſibi eripi, Regique addici? His itaque reſpondit Oruallus: fœdus ei antiquius eſſe cum Gallis quàm Hiſpanis. Porro nihil metueret Ferdinandi copias: futurum, ſi is uel nutu ſolo indicet irruptionem in Nauarræ Regnum, auxilia ut potentiſsima mox adſint, lectiſsimæque copiæ, quibus ipſe ęgrè Hiſpaniam ſuam tueatur. Quod ad Biarnenſium ditionem attinet, cùm id decretum nemo executus ſit, compromiſſo ſe curaturũ, ius ut ſuum ſaluum ei maneat. Quid autem Fuxeum ingerat, quo ſublato nihil ſit metuendum? Regem ut affinem fouiſſe, non ut Regni alterius æmulum. Excluderet Regno hoſtes Gallicos: id ſi faceret, præclarè apud Ludouicum poſiturum confirmabat: ſi non faceret, uerſari eam in lubrico: in periculum etiam uenire repudiata ea ſocietate, ne eo arces, innumera, eáque florentiſsima oppida quæ in Gallia poſsidebat, occuparentur à Gallis: aliter ſi faceret, uideret etiam atque etiam ne & in Regem eſſet inofficioſus, & in ſemetipſum pene periculoſus. Sperare ſe Franciam eius fortunæ quantumuis afflictę & iacta-

tæ, por-

tæ, portum ac perfugium futurum. His motus Rex Nauarræ, cum Stephanus Poncherius & Petrus Viachius honorarij arbitri dele cti, Biarnenſem ei deditionem addixiſſent, antiquato à Rege Senatus decreto, fœdus cum Ludouico inijt. Ferdinandus ubi ea fœdera inita intellexit, inſtructas copias, quas in Gallum ducturus erat, uertit in eum. Atq; hæc quidem cauſa fuit Ferdinando uicini Regis eijciendi: alteram etiam prætexuit, quod edicto Pontificio & Gallorum Rex & qui ei auxilium ferrent impij pronuntiati eſſent, eorumque regna publicata: exercitui, quem maximo delectu collectum habuit, præfecit Federicum Toletanum Albanum: Aduentu eius cognito, Regem Ioannem effugiſſe. Bemontanos omnes Regis ſtudioſos, totam nobilitatem effuſam didicit. Multi uerò ex factione Agramontanorum illum non modo recipiebant, ſed etiam ultro uocabant. Cum urgeret & inſtaret ſummo cum ſtudio Ludouicus Lerina, Pompelunenſes deditionem mox fecere deſerti à Rege: multiquè alij uicini, eorum ſecuti exemplum, redacti mox in hoſtium poteſtatem, ut Elumberri, Olitenſes, Tutelenſes, Amaij, Mons regij. Arces tamen aliquot, ut & Runcitani, Eſcuaniquè aſpera & montoſa regione freti, manu iuuentutis Menaldo Naualio duce armata, feliciter à ſe hoſtem reiecere. Progreſſus deinde eſt Albanus cum exercitu ad tranſalpinos Aquitanos, fanumque Ioannis, arcem munitam ad montis radices ſitam occupauit: Garritanorum uerò agros miſere populabatur, & uexabat homines contumeliarum omni genere. Montem quoque Gelatium aliam arcem recepit, diruitque paucos poſt menſes. Adfuere & ex Anglia lectiſsima auxilia: ita eis flauit uentus aptiſsimus, coniuncti ut in tempore uiderentur ad Aquitaniam inuadendam: Albanus ſuadere his Baionam mox contenderent, ſuam feſtinationem oſtentare non ſolùm auidam uictoriæ, ſed etiam celeritatis: inermes atque imparatos intercipiendos: Id ſi celeriter fieret, ſe uidere impendere fatum iam, ac certè etiam appropinquare & Baionæ & Dacio, & Burgidalæ: At Britannis, cùm ſe imparatos ad tantam expeditionem, cùm à militibus, tum à pecunia cauſarentur, neque ſperarent ſe commodè hyemare eo loco poſſe, illudiquè ſibi etiam ab Albano profiterentur, pactis cum Franco inducijs, id perſuaderi non potuit. Ludouicus magnas copias ex delectu Aquitaniæ comparat adiunctis Germanis, Heluetijs, & ueteranis, qui in præſidijs erant. Conuenere illi in fines extremos Aquitaniæ: præfectuſquè tantis copijs Franciſcus Valeſius: huic adiuncti Ioannes Chabaneus Palicius, Odetus Lautrecus, Carolus Borbonius, Franciſcus Dunenſis Longuevillanus. Rex quoque Nauarræ corroboratis iam confirmatiſquè uiribus cùm multi ex ueteribus clientibus corrogati conueniſſent, multitudinem uariam coegit, armauit, inſtruxit.

Conuenêre tandem omnes, conferunt conſilia, maximè exquirentes quo pacto facilius reſtitueretur Ioannes in regnum: multiquè dies conſumpti ſunt in his deliberationibus, Commodiuſne eſſet coniunctos ſimul progredi, an uerò uarijs è locis hoſtem extrudere, partitis inter ſe copijs. Commodius extremum id uiſum: id ut maturè facerent, Rex Ioannes, & Palicius cum Germanorum duobus, Aquitanorum quatuor millibus, equitibus ducentis miſsi ad Pompelunam recipiendam. Borbonius miſſus ad Bardulorum agros populandos, Valeſius Albano oppoſitus eſt: ij mox arces aliquot, trucidatis qui in præſidio erant, diripiunt. Ita factum ut mox ex Stella, Olito, Taphalia, Regem ſuum excipere parati eſſent, niſi Antonio Fonſeca aduentante cum inſtructo exercitu, Franciſco etiam Bemontano occurrente direpti eſſent. Albanus recentes Gallos cùm ægrè à ſuis ſuſtineri poſſe uideret, cogitaretquè futura illis in dies, qui equitatu abundarent, omnia difficiliora, ſtatuit pugna abſtinere, ac ſeſe Pompelunam recipere, & iam expeditus antecedebat Gallicos equites. Id intuitus Valeſius admonet Palicium à fronte illi ſe opponat, ſe inſtaturum à tergo fugienti parte alia. Id ille ueritus, concubia nocte magno ſilentio ſuis eductis, à locorum peritis per uaria diuerticula ægrè eductus, ſuperat iuga Pyrenæi. Vix ſe illinc abſtraxit, atque impeditum expediuit cùm in anguſtum cogerentur tantæ copiæ, neque inſtantibus admodum Francis peruenit in urbem: eoquè tempore hoſtes arcem Stellenſem recepere. Hac ſpe deiectus Rex cum Palicio caſtra propius mouit: & iam prope muros caſtra habebat. Ac primum quidem multis ex urbe progreſsis, uariè dimicatum eſt: tardiuſq; urbs uidetur oppugnata, machinis bellicis nondum allatis. Deinde etiam copiæ per ſuburbanam explicatæ multis in hoſtem irruentibus, inter quos cæſus Alimacus. Quo loco caſtra habebant Franci, duo erant fana, alterum Encratio, alterum Claræ Veſtalibuſquè dicatum: quæ cum ſupplices confugiſſent in fidem Antonij Barbeſij adoleſcentis adhuc, data ab eo ſedulò eſt opera ne uiolarentur. Euelli uix potuit opinio Ioanni, quin ſe Pompelunenſes ſponte dedituri eſſent: id cum non procederet, tandem ſtatuit urbem oppugnare. Satis conſtat à Ioanne Lisleo, quem uulgo Liloium uocabant, Aquitano uexilla Gallica erecta, Bernardo Villario, & Stephano Caunao, eam quoque laudem uindicante. Palicius ad oppugnationem Pompelunæ, his quæ eſſent neceſſaria comparatis, caſtris ad urbem poſitis tormentorum impetu cœpit murum deijcere. Eo die murus tantum deiectus eſt, ut & ſequenti labentis muri ruina oppreſsi Ferdinandus Vegua, Petrus Mauricus, Iacobus Vilalbanus. Franci ſæpe ſcalis ad murum poſitis hoſtes adoriuntur, ſæpe pulſi ſunt, ſæpe inſtantes, rurſus excepti ab hoſte, ceſſere. Eo die multis cęſis in caſtra eſt reditũ:

ratio

ratio integro ineunda fuit urbis oppugnandæ: ſequenti Germani depoſcunt urbis oppugnationem: at cum formam totius huius negotij opinione maiorem difficilioremq́ agnoſcerent, eam libenti animo remiſerunt: Iámque fracto milite, acciſo equitatu, agebatur de ſoluenda obſidione: prius tamen per caduceatorem Albanus prouocatus ad prælium. At is cum ſe tuendæ Pompelunæ tantum præfectum diceret, multis iocis prouocationem Gallicam eludens, detrectauit certamen: multa illis alio pacto tempeſtiua futura ad mortem dicens, quæ facilè obire ubi uelint poſſent. Franciſcus Valeſius dum è Pompeluna cœtum ingentem inuiſit, uel ad fanum Ioannis Pediporti, uel ad uicum Euſtarium, ferè ab hoſte interceptus. Is tamen ea fuit animi magnitudine, ut ultro proſecutus ſit hoſtes. Nam ij uidentes ex Euſtario præmiſſum copiarum robur, noctu adfuere certo conſilio Valeſij intercipiendi. At dum riuulum uico proximum tranare uolunt, conclamatum eſt ad arma, exciti lixæ, calones gregarijque milites & nobiles adoleſcentes, qui ei aderant: emiſsis uerò leuibus aliquot machinis, Illi Francos rati paratiores, ceſſere. Expectauit hoſtes ille uno atque altero die, quibus abeuntibus, & ipſe abijt. Dacio eodem tempore oppido munitiſsimo fruſtra hoſtes ſeſe potiri poſſe falsò ſibi perſuaſere: eam urbem uulgus Aquenſem uocat: ueteres fortè per nomen Auguſtarum aquarum deſignaſſe uidentur. Extant adhuc Thermarum indicia, & aquæ calentes. Redijt igitur ex Aquitania Regius exercitus multis admirantibus, culpámque rei malè geſtæ in Dunenſem reijcientibus. Suſpicabatur Cantaber pactas inducias inter Reges poſt Pompelunam munitam, ea conditione, ne Gallus eo tempore Nauarro auxilium ferret, néue Ferdinandus Britannos aduentantes reciperet. Ita Angli poſt maris longas iactationes re infecta domum redierunt: hæ autem pactiones in uulgus minime emiſſæ ſunt, ne Regi Nauarræ regno ob Gallum ſpoliato, quiritandi anſa præberetur: ea in expeditione diem obijt Menaldus Naualius Fontanus, & Gaſto Caſtelbaicus, & tribunus Cantabrorum, pater Petri illius Nauarri, qui Fontem Rapidum, Franciſco Rege, Cæſari prodidit. is captus ab Hiſpanis in Ferdinandi nunquam uerba iurare uoluit: id unum orans, ut ſui iuris ſolutus uel perſoluta mercede, deliberandi ſpatium haberet. Id cum non eſſet impetratum, mori iuſſus. Cum longo Dunenſis tempore prorex Burdigalæ manſiſſet, in arce cui Duæ nomen eſt, accidit ut irritata plebs ob uina extera in urbem illata tumultuaretur, redeuntémque uicinis locis è cœna, quibuſdam è ſuis pulſatis ſequeretur. At is in arcem ingreſſus, emiſſa mox machina, plebem ſummouit: & per ſuos ſequenti die placatam blanda oratione ſedauit: Ludouicoq́ Regi qui pro deplorato eum habuerat, iubenti ſupplicium ſumere de

m 3 ſon-

ſōtibus, humaniſsimè reſcripſit, iam utrinque iniurias uoluntaria contritas obliuione, nihil eſſe quod cicatricem, quæ iam callum obduxiſſet, refricaret: qua in re plurimū apud Dunenſem ualuit authoritas Alexandri Sanctogelaſij, cui Lamſaco cognomen: Rex etiam & Maximilianum per id tempus placarat, & cum Venetis fœdus inierat, uſus ea in re conſilio Stephani Poncherij Senonum Pontificis: qui etſi uidebat eo ſe nomine parum ei gratum, non deſiſtebat tamen uel ſuo periculo prudenter Regem admonere, deſineret cum tam multis contendere, nihil Iulium uirtute agere. Quid cum tot cancris hydriſque congrederetur, quibus ne unus quidem Hercules ſatis ſit? Venetis placatis, adiuncto Maximiliano, impoſturas Pontificias tandem ceſſuras, Britannorum Heluetiorumque minis minori negotio occurri poſſe. Inde crebris principum legationibus poſtulatum eſt, ut cogeretur ſacroſanctum concilium de Republica Chriſtiana deliberaturum. Ac principes quidem, excepto Britanno, multique è Purpuratorum numero, Regi clanculum fauentes, id agebant, ut pro contumaci habitus Pontifex, pontificatu excideret. Nec Venetos conciliare flecterèue ullis legationibus Pontifex poterat. Iulius tantam inuidiam ſeſe uix poſſe ſuſtinere uidens, æſtuabat dubitatione, uerſaréque ſe in utranque partem cœpit, non animo tantum, ſed corpore etiam, ut iam familiares ſollicitum eum uiderent, trepidare hominem intelligerent, quantamcunque fiduciam uultu præferret. Is etiam interdum iocabatur, dudum ſe circumrodere quod tandem deuorandum eſſet, ſe in periculis cum laude & uirtute hactenus uerſatum, ſpe poſteritatis eò perductum: plures dirutas ac penè deſertas à ſe eſſe recreatas Eccleſias. Conſtat & paucis ante obitum diebus, uocem hanc ab eo auditam: Accidiſſet utinam, iterum autem, utinam ne unquam aut Pontificatus infulas adeptus eſſet, aut arma uerſa in fœderatos uertiſſet in communes perſuaſionis ſacroſanctæ hoſtes. Miſera uerò ſors humanæ conditionis: aliquando tandem, idque ſerò agnoſcimus morte proximi quid expediſſet olim. Concuſſo orbe terrarum inteſtinis bellis, magno depenſum ille cupiiſſet, agelli ſe modici potius finibus continuiſſet, quàm ſacra arma profanis miſcuiſſet. Hæc nos ſpecies cogitatioque perturbat, cùm in illud animorum conſilium cœtumque eundum eſt, dum diem ſupremum diuinæ ultionis inſtare agnoſcimus. Magnam uerò ille concepit maculam, ut pacis cùm eſſe deberet miniſter, animo gladiatorio graſſaretur ad Franciam labefactandam, ſacrumque illum mucronem cæſim punctimque uibraret in fœderatos: orbem etiam totum concuteret fulminibus torquendis, diriſque effundendis labefactatum, nec iam recuſaret in rogum Francicum, quin auidus pœnæ inſiliret, flammiferas faces undique prius ſubmittens: contraxit tamen, auxitque exercitum,

titum, ac quanquam debilitatus, efferebat ſe tamen, & ad renouandum bellum reuireſcere uidebatur, ſimul atque ſe ipſe commouerat, ad ſeq; reuocârat. Ludouicum rodebat, apud ſuos uellicabat, ubique carpebat: uidens tamen non licere ut cœperat hoc pertendere, ſpemq; ſibi ſublatam de Ludouico ſubigendo, inde in morbum incidit ex diutina mentis agitatione contractum: ex quo conualeſcere poſtea uiſus, mox tamen extinctus eſt, irarum in Gallum plenus. Et hæc quidem circa annum inciderunt milleſimum quingenteſimum decimum tertium, cùm Henricus Angliæ Rex, quorum maiores Gallorum opera, rerum apud Britannos potiebantur (etſi non me latet ſcriptores rerum Anglicarum id negare) claſſem inſtruit ad Britanniam minorem populandam. Occurrit Britannicæ claſsi Gallica, numero ut inferior, ita ad tantum certamen imparata. Erat prætoria Anglorum nauis Regens uocata, & Reginæ inſignis nauis Chordigera, cui præerat Herueus Portimoger nauarchus. Nec territus Herueus numero claſsis Anglicæ, ſtipatus & ipſe claſſe Gallica, pugnam inijt, occurrentesque aliquot hoſtiles naues mergit: occurrentem etiam Regentem inuadit, ac tandem in fugam uertit: fugientem conuerſa puppe ſequitur, iamque ei imminens, proximam unco detinet. Anglus ubi uidet nullum relictum fugæ locum, ſuos ad prælium excitat: miſsilia utrinq; ingeſta ſunt: unumq; Herueum circumuenire parant hoſtes. At ille monitis ſuis per tranſtra ut incurſarent, & contis & ingeſtis lapidibus Regentem opprimebat. Inde utrinque emiſſæ machinæ bellicæ multos in mare præcipitarunt, ſed emiſſa machina Gallica ex ſpecula Regentis, Anglos excuſsit. Idq; intuitus Petrus Dholus præfectus ſpeculæ Chordigeræ, funibus arreptis, celeriter occupat hoſtilis nauis ſpeculam, nactusque tela & lapides, obruebat Anglos: alijq; nauarchi Gallici occupantes alias ſpeculas, ſiſtere Regentem iubebant: inuitamque iam abducebant, cum ex epibatis unus tributum Anglicæ claſsis monet, ignem in Chordigeram immitteret. Paruit ille, ignique immiſſo, Chordigera igne concepto latius fundere incendium cœpit: quod, antequam occurri poſſet, & tranſtra & remos & cætera opera comprehendit: ſummaq; tabulata iamdudum conceperant ignem, cùm qui in ea erant aut abſumebantur incendio, aut abiectis armis, in mare ſeſe præcipitabant. Id intuitus Herueus, uerſo in aduerſum clauo, nauem ſuam obuertit, quo facilius uentus adactum ignem in Regentem inferret: moxq; idem ignis uento agitatus inuaſit Regentem: ibique flammæ flammis additæ, & Chordigeram & Regentem ſimul abſumpſerunt. Herueum alij arſiſſe aiunt in flamma Chordigeræ, alij ſubmerſum. Anglica claſsis omiſſa Britanniæ minoris oppugnatione, ad ſuos ſe recepit, eodemq; anno Petrus Ioannes Aquitanus,

quem unico nomine alij Petroioannem uocant, & Carolus Artiguanus, Britannicæ claſsi occurrentes ad Breſtum; etſi illi numero nauium ſuperiores eſſent, in fugam tamen eos uerterunt. Nacti tamen poſt aliquot dies Petrum Ioannem cum paucis myoparonibus, parum abfuit quin interciperent: Regiæ enim naues ac myoparones Aquitanico mari non aſſueti, minus poterant. Vnde idem Petrus in Britanniam maiorem excurrens, uico quodam expilato, ſagitta ictus, effoſſo oculo rediijt. Aliæq; naues eodem profectæ, tempeſtate reiectæ tenere curſum non potuere: ita factum, ut eodem unde profectæ erant referrentur. Ad Breſtum tamen ille eluſis quinq; nauarchis, inſequentibus quinq; eorum nauibus reſtitit tanto impetu, eaq; celeritate ſequentibus Anglis, eorum ut Harandus nauarchus dum nimium inſtat fugienti, in mare præcipitarit ſeſe ipſum. Interea Maximilianus Sfortia, Ludouici Sfortiæ filius, cui Pontifex Iulius Heluetios adiunxerat, pronunciata in ſingulos annos ingenti in eam gentem pecunia, eorum ope Mediolanum redierat. Leo decimus, quem Purpurati in Iulij locum Pontificem deſignarant, etſi apertè ei fauebat, Heluetios tamen inueteraſcere in Italia nolebat: & Ludouicus collectis copijs conſilia agitabat de Mediolano recipiendo, eis præfecit Ludouicum Tremolium. Profecti cum eo ſunt ad Mediolannm recipiendum Iacobus Triuultius, Robertus Marcha, Ioãnes Scotus, Albaniæ principatus nomine notior. Hi Nouariam perueniunt, ratiq; urbem paruo Heluetiorum præſidio teneri, uel eis inuitis ad iter ſe accingunt. Venit ad urbem tuendam nouus Heluetiorum delectus à Sfortia ſubmiſſus. Hi ſuis adiuncti, explorata Gallorum paucitate, dein contempta in Gallorum caſtra improuiſò irruperunt. Gallicorum equitum inſignis eo die pugna fuit: Italus externusq; eques mox in fugam uerſus: peditum diſpar certamen. Heluetij in Gallos effuſi, poſt anceps prælium tandem in fugam eos uertêre: perculſis inſtantes, impedimenta quoq; diripuere unà cum machinis aliquot bellicis. Cæſi duo ex liberis Roberti Marchæ, Ludouicus Beumontius, Carolus Monfalcus, atq; unus è familia Triuultiorum quem Galli Corium uocabant, Itali Corialanum: uulneratus Ludouicus Caſtrinouanus, cui Petro Buſſerio cognomen. Id quoq; proditum, per inſidias noctu Heluetios Gallorum caſtra aggreſſos, de uia his languentibus, cum multi quieti ſe dediſſent, irrupiſſe illos. Qui res geſtas Tremolij prodidere, cũ ille obuiam iret Heluetijs, opera Triuultij aiunt exercitum in arctiora loca & uiciniora quàm decretum eſſet, ueniſſe: ita coniunctas eorum copias impetu facto, Gallis ſtragem attuliſſe. Narrant & eodem tempore per Sacramorum expulſis Sfortianis Mediolanenſes Regi conciliatos, & per Adurnios expulſis Fregoſis, Gallis Genuam reſtitutam: quæ mox recepto Octauiano Fregoſo,

goſo, factione ciuium ſeſe in libertatem aſſeruerit. Mediolanenſes quoque territi clade Nouarienſi & Sacramoro abeunte, Sfortiam ſequuti ſunt. Petrus quoq; Soderinus, qui in gratiam Regis Mediceos Florentia expulerat, eodem tempore pulſus. Tremolius maiorem copiarum partem in tutiorem locum perducens, bono eſſe animo milites iubens, caſtra paucis à Nouaria ſtadijs munijt: eò quoque præcipuas machinas abduxit, paucis exceptis quibus utebatur Marcha: parantemq; iter ad Nouariam rurſus oppugnandam, literæ Regis reuocarunt: qui audita Anglorum in Belgicam Galliæ partem, quæ Picardiæ nomine notior, eruptione eis occurrere malebat. Circa ea tempora Iacobus Scotorum Rex, infeſtis copijs admonitus à Ludouico in Anglos mouit, multisq; cæſis ipſe tandem interijt, poſt Norbanum arcem expugnatam cùm diu pugnaſſet cum lectiſsimis Britannorum copijs Surreio duce, haud longè à Tylo flumine. Eſt id fatale Regibus Scotorum, ut dum alijs totos ſe dant, parum in tuto res ſuas collocent. Omnia ſibi faciliora Rex adiunctis Heluetijs putabat. Miſit ad eos Tremolium, cognitum multis qui ſub eo ordine duxerant, ſtipendiáque meruerant. Atque illi quidem munera pecuniamque acceperunt: pecunia tamen accepta, ſpem auxilij Gallo præciderunt. Accidit id & Sfortiæ & Maximiliani Cæſaris opera, qui maioribus propoſitis præmijs, ultrò etiam eos ad bellum Galliæ inferendum ſollicitabant. Itaque ſeriò admonitus eſt Tremolius ab Heluetijs aliquot centurionibus amiciſsimis, Burgundiæ ut oppida præſidio firmaret. Erat Tremolius præſes Regio nomine, aut præfectus Burgundiæ. Admonito itaq; celeriter Rege, ipſe Oxonam (quam & Aſſonam uocant) locum munitiſsimũ, commeatu machinisq; bellicis inſtruit. Diuionem proficiſcitur, urbem Burgundiæ nobiliſsimam. Erat ea olim ſedes domiciliumque Burgundiæ principum: & domus & ſacellum eorum domui uicinum; nunc attributum flaminibus, quos uocant Canonicos, uiſitur. Proxima urbi Cartuſia, inſigne opus, ad ſodalium Cartuſianorum munus dicatum, ubi & eorum buſta & ſepulchra adſunt nobiliſsima: caſtrum Talanum nomine, munitiſsimum, non longè ab urbe, loco edito. Vrbs ut hodie munitiſsima eſt, ita eo tempore propugnaculis carebat frequentibus, quibus hodie referta eſt: meminit Antonius caſtri Diuionẽſis uelut ab Aureliano Cęſare ædificati. Eò tandem Heluetiorum copię peruenerunt, mœniaq; aſsiduè admotis machinis quatefaciebant. Ipſi tamen, dum domui propè ſuburbia dirutæ, mœnibusquè nimium fidunt, ex urbe machina emiſſa, magna ſtrage ſubmoti ſunt. Nec ceſſat Tremolius diruta mœnia uallo aggeribusq; munire, nouos quotidie milites ad urbis defenſionem recipere. Ac intuitus ex arce difficilius oppugnari hoſtes ob ſuburbia, ea

quidem

quidem incendit: uidens tamē plebem inſolentem belli, uel quod ipſe ſubmonendum hoſtem quacunque uia, tutiſsimum ſibi perſuadebat: cum emiſsi ex urbe Gallici equites, Heluetios aliquot captos per uim in urbem abduxiſſent, captiuos remiſſa mercede ad ſuos redire patitur, uiam ſibi per hos muniens ad hoſtes placandos. Nec ſpe fruſtratus, per eos agi cœptum de Heluetiorum cum Rege concordia. Quid enim gentem amiciſsimam tantis ſedibus diuulſam egiſſet in Galliam oppugnandam? quæ eos ſpes, quę iura ad eam oppugnandam reuocarant? Heluetios Gallorum amicitia fultos, nullam non Italiæ orbisq́ partē debellare ſolitos, Gallos eorum uiribus fretos ea ſpolia domum retuliſſe, quæ perpetuò omnes admirentur. Quid attineat tot annorum amicitiam nulla cauſa diſſui? Hæc Tremolij prudentiſsimi hominis dicta, pronis auribus accepta, facilè Heluetios placarunt. Tantum frendebant ex Italicis expeditionibus, quibus Gallis militaſſent, ingentem pecuniam deberi, pro qua diſſoluenda Rex appellatus, procraſtinando eos luſiſſet. Erant autem centum millia nummûm aureorum. Tremolius quando pecunia in promptu deerat, uade apud eos relicto Renato Maſerio nepote, conuentu cum eis ut domum redirent. Nec multo pòſt redierunt: ne ullum quidem redeuntes lęſerunt: ac paulo pòſt accepta pecunia, Maſerio recepto, operam ultrò ſuam Regi detulerunt. Palam tamen iactitantes, ut Maximiliano Cæſari placerent, ea conuentione actum de urbibus Burgundiæ ei reſtituendis: in uiam quod ſe ille daret, eo tempore belli huius gratia, quod ipſi confeciſſent, nihil opus eſſe. Rex etſi primum indignatus eſt ob fœdus cum Heluetijs pactum, admonitus tamen à Tremolio de quorundam dubia fide, de Maximiliani dictis factisq́, lubenter quicquid id fuit æris alieni diſſoluit. Cæſar interea Maximilianus per Carolum nepotem Anglos ſtimulabat ad Galliam inuadendam, adeò parum conſtans in fœderibus initis cum Ludouico ſeruandis, hoſtem ut ſe eum apertum quàm amicum malè Rex profiteretur. E Caletio progreſsi Angli, Flandriæ nobilitate ad arma uocata, latè Gallorum agros populabantur. Contraxit & Rex copias, quibus præfecit Franciſcum Longueuillanum, Franciſcumq́ Valeſium. Illi interea Tarauannam ciuitatem, quam alij malunt Morinorum nomine inſignire, per Talebotum obſident. Ciues diuturna commeatus inopia laborantes, diutius obſidionem ferre nequibant. Delectis ex toto exercitu fortiſsimis quibusq́ negocium datur inferendi in urbem commeatus: ille ſtrenuè mandata curantes, affatim in urbem commeatum inferunt, ſpectante ſedenteq́ Anglo, nec auſo interea impedire. Sed accidit perincommodè ut redeuntes, ante uictoriam ſibi canerent triumphum, multaq́ in hoſtes proferrent, ignauiamq́ eorum ridentes, feſsi de uia corpus curarent, excubijsq́

nullis

nullis poſitis in hoſticum, quaſi in pacatum locum deambularent armorum ſarcinis ſepoſitis. Horum ſecuritatem Angli uidentes, admoniti ab exploratoribus quo loco res eſſent, nocte intempeſta in eos inuehuntur nihil tale metuentes, & leuibus aliquot emiſſis machinis terrent, & reſiſtentes aliquot obtruncant. Multi nouo caſu perterriti fugiunt, multi armis arreptis obuiam eunt hoſti, qui & ipſi multitudine hoſtium circumuenti ſunt. Ita reiecta omni uictoriæ ſpe uelut panico terrore perculſi, omnes in fugam uerſi: unde pugnam eam Calcariam ueteres dixere, cùm ſolis calcaribus Galli fidentes, haſtis abiectis ignauiſsimè fugiſſent. Capti ſunt Longueuillanus, Bayardus, Buſsius, aliiq́ue plurimi, qui mox in Angliam claſſe perducti ſunt: Chabaneus, Paliciꝰ & Imbercurtius, natus è Cordea familia magni in Gallia Belgica nominis, fruſtrati hoſtes euaſère. Cùm autem annona ingraueſceret, Morini Britanno ea conditione deditionem fecère, ne quid illi ex urbe prædæ attingerent. At illi recepta urbe, & eam expilarunt & in ciues miſerè graſſati ſunt. Chriſtophorus Longolius commemorat Maximiliani Cæſaris ad Morinos fugam, cùm tamen paſsim exteri ad Germanos uictoriam trahant, deditamque aiunt urbem à Pontiremio, Pieneumq́ue Gallicum ducem fugatum, ubi & Henricum Britanniæ Regem, & Maximilianum Cæſarem adfuiſſe teſtantur: Inde Tornacum receptum eſt ab Anglis uoluntaria deditione, pacto prius inito cum ciuibus, ſalua omnia futura. At hi Cæſarianis impellentibus nihil non compilarunt: atque ita quidem, ut plerique ciuibus ſolum uerterint. Britanni Morinis præſidio firmatis, Tornaco quoque factione ciuium occupato, claſſe in Angliam ouantes rediêre, à ſuisq́ꝫ magnificè excepti ſunt, Gallicosq́ue primores captos ſatis liberali cuſtodia apud ſe habuere. Eodem tempore Anna Regina in morbum incidens, octauo die extincta, incredibile ſui deſiderium apud Regem reliquit. Aulici ita ſibi perſuaſère, aduerſa eã ſemper ualetudine fuiſſe poſt ultimum partum, quaſi parum fideliter obſtetricum opera uſam: tãtusq́ꝫ fuiſſe mœror Regis uiſus eſt, ut pullatus niſi pullatum neminem admiſerit, acroamataq́ꝫ & ludrica omnia aulæ ſuſtulerit. Hanc Quintianus ait ſummè in exules & uiduas & calamitoſos omnes officioſam fuiſſe, authoremq́ꝫ fuiſſe Ludouico, ne abhorreret à fouendis literatis hominibus. Si quando irata (nam in ſummis laudibus eius, unam excipit iracundiam) declinaſſet à religione officij, in aliqua re, tantam poſtea adhibuiſſe uim pœnitendi, ut remunerando cumulandoq́ꝫ oblitteraret priores offenſiones, easq́ue uoluntaria obliuione obrueret, ut in Gienſi accidit, ſeq́ue eo nomine obiurgari cum uerborum grauitate acriori iuberet: imperaretq́ꝫ pontifici qui ei erat à ſacris confeſsionibus, ne ſe expiatam abſolueret, niſi prius aut eis quos offen=

offendiſſet irata, aut liberis damna illata reſarſiſſet. Hæc ex eodem die quo natum filium maſculum amiſit, uixit in luctu, eodemq́ etiam confecta contabuiſſe putatur. Eodemq́ tempore rurſus pactæ ſunt induciæ inter Ferdinandum & Ludouicū, aut cum priorum dies exiſſet, prorogatæ. Ferdinandum narrabat Grandimontanus Regius legatus, cum oraretur de fœdere paciſcendo aduerſus Maximilianum Sfortiam, illum primùm ſane diu multa contrà, ad extremum manus dediſſe, & negaſſe ſubmiſſurum ſe ei auxilia: durius id Franci accipere uiſi ſunt. At cum uiderent quo in curſu eſſent, & quàm omnes gratiæ retinendæ eſſent, ſatis eſſe putarunt, ſi ille in officio maneret: ſatiusq́ eſſe illius animum offenſiorem recolligi, quàm ueteres inimicitias renouare. Ipſe quoque Rex cum finem alterius mali nouam quotidie calamitatem uideret, Italia amiſſa, Morinis oppugnatis, Nauarrorum Rege ob operam ſibi delatam, in ſui contumeliam Regno pulſo, ſuis ad Nouariam fuſis: arce Genuenſi ab Octauiano Fregoſo expugnata, etſi rationes ita habebat conſtitutas, ut peruellere potuerint hoſtes & pungere uires eius, non frangere: quotidieq́ admonebatur per Claudium Sayſellum legatum ſuum apud Pontificem, quantum ei cuperet Pontifex: de eo tamen legatoq́ ſuo proceribusq́ aliquot aulicis ſibi metuere cœpit: unde factum eſt, ut in morbum incideret periculoſiſsimum. Medicorum tamen iuſſu, relaxandi animi gratia fanum Germani adijt: ibiq́ anno milleſimo quingenteſimo quarto decimo, Maio menſe, nuptiæ celebratæ ſunt inter Claudiam Valeſiam Regis filiam, & Franciſcum Valeſium. Interea Longueuillianus cum Henrico Anglorum Rege congreſſus, honorificeq́ exceptus, tentare cœpit inter Reges concordiam. Ac tandem legatis, eius hortatu ultrò citroq́ miſsis, pax inita eſt, ea conditione, ut Regi nuberet Maria Britannorum Regis ſoror. Huic Rex in Galliam ad nuptias uenienti Abbeuillam uſque obuiam ijt, magnificeq́ eam excepit: ad Dionyſijq́ profectam, ſplendidiſsimè ornandam infulis diademateq́ curauit. Erat ea liberali forma, indoleq́ & ſuauitate morum Regi gratiſsima: unde accidit ut Rex iam morbo ingraueſcente, ætateq́ prouecta, cum ea congreſſus parum recrearit ſenectutem, at morbo acrius uexatus ſit. Iam tamen copias contrahere parabat, ſpe Mediolani recipiendi, cùm medici curare eum ualetudinem iuſſerunt. Antonius Pratianus præſes Pariſienſis prius à Rege impetrarat nomine Valeſij generi, ut Britanniæ minoris ditionem ille moderaretur. Et iam tædebat eum quorundam ſuperbiæ, qui ultrò ad ſe omnia reuocabant, ſiue ita eſſet, ſiue Rex id ſuſpicatus id ſibi perſuaderet. Certè in Pratianū malè iam erat affectus ob epiſcopatus cuiuſdam controuerſiam, unde in febrim incidiſſe creditur: uel ob Britanniæ res ab eo liberius adminiſtratas in gratiam futuri Regis. Morbus

bus

bus tamen ingraueſcens ea conſilia ſuppreſsit. Anno milleſimo quingenteſimo decimo quarto, Calendis Ianuarij fato functus eſt: ſepulchroq; maiorum ad Dionyſij illatus, non ſine mœrore Caroli Borbonij, Vindocinenſis, aliorumq; multorum. Is ea moderatione Gallis imperauit, ut defunctus integri principis patriſq; patriæ nomen retulerit: uiuens non tam plebi gratus, uel ob ſenectutem ingraueſcentem, uel ob parcitatem. Ipſe ut proſpero fortunæ curſu aliquandiu uſus, ita ad extremum uarijs telis impetitus. Suſurrones adulatoreſq; aula exegit. Iuſtus idem, etiam priuatus, integritatis & fidei multa teſtimonia dederat: Regnum adeptus, habuit integritatem eandem quam adoleſcens, at cautiorem ac diligentiorem: cùm in eo nullæ eſſent literæ præter uulgares, hactenus tamen ſapiens eſt habitus, ut & quod opus eſſet ipſi ueniret in mentem, & aliorum benè inuentis obtemperaret. Exoſuſq; aulicos gregarioſq; milites & nobilitatem, ſi quos ex his iuriſiurandi religionem contemnere reſcierat: temereq; iurantes uarijs edictis coercuit, uſus ea in re conſilio Gulielmi Parui, qui ei erat à ſacris confeſsionibus. Fouit uiuens Ambaſianos omnes, Georgium & Carolum, reliquóſque fratres, quos omnes multis præfecturis dignitatibusque ornauit. Georgio defuncto, multum uſus eſt opera Stephani Poncherij, & Florimondi Roberteti, & Iacobi Belnenſis Samblanciani.

QVARTI LIBRI FINIS

n ARNOL-

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Quintus.

POST interitum Ludouici, regnum delatum eſt ad Franciſcum Valeſium proximitatis iure. Is corpori eius iuſtis perſolutis, Rhemos mox contendit: ibique uigeſimo die Ianuarij, anno milleſimo quingenteſimo decimoquarto, magno apparatu unctus eſt: Lutetiamque properans magnificè exceptus eſt, læta plebe, fauſtaque omnia eo Rege ſibi ſpondente, qui & ætate & inſigni corporis magnitudine polleret. Eo anno pax inita eſt inter Carolum Maximiliani Cæſaris nepotem, Cæſarem poſtea futurum: renouata pax cum Anglo. Rex Carolum Borbonium Magiſtrũ equitum dixit. Antonium Pratianum iuris præfectum deſignauit, hominem iuris ciuilis peritiſſimum, ſed populo parum gratum. Certior factus incurſiones ab Heluetijs factas in Delphinatium fines, Lugdunum properat: exercitum paratum inuenit, quem contraxerat Ludouicus: ſtatuit Mediolanenſem principatum recipere. Maximilianus Sfortia quanta Mediolano impenderet tempeſtas intuitus, & cum Maximiliano Cæſare, & Leone decimo Pontifice fœdus inierat: ingentem procellam depulerat ſubmotis Ludouici copijs. Ardenti Franciſco cupiditate inuadendi Mediolani, quod opponi poſſet præſidium diſquirebat. Erexerant ſe iam Mediolani ciues tacitè ad recipiendum Gallum. Germanos paulò antea iuſſu Maximiliani Cæſaris ſua ei ſtudia profitẽtes remiſerat: itaq; excedendum ei ad tempus Cæſar ſuadebat: ſed animus infixus in retinenda ſpe Mediolani, rurſus Heluetios eum uocare ſuaſit, auxilia quoque à Pontifice Leone accerſere. Franciſcus cùm exhauſtus eſſet fiſcus immenſis donationibus, Pratiani conſilio ingentem pecuniam contraxit ex inſtitutione nouorum magiſtratuum. Vicenariam enim claſſem Lutetiæ ſenatui addidit: quæ uelut adſcriptitia & ſuperuacanea, diu malè audiebat apud uulgus. (Scribit Gulielmus Budæus, ea nota hominumque opinio ut deleretur apud uulgus, partem allectorum patrum in alias claſſes contributam, & parem numerum



merum aliarum claſsium, in illam intercalatum fuiſſe in ſupplementum.) Senatibus quoque reliquis nouos conſcripſit ſenatores, minus tamen exagitatos uulgi rumoribus quàm Pariſienſes, quibus uicenaria claſsis data erat. Rex ipſe in eam expeditionem profectus eſt cum euocatorum firma manu, & equitatu Gallico ornatiſsimo, metum ut omnem periculumq; præſentia eius excuteret. Relicta eſt regni gubernatrix Ludouica Sabaudiana, mater Regis. Inde Gratianopolim, & fanum Virginis Dambrunæ, & Guileſtras, & fanum Pauli adiens, uia Argentaria per Alpes exercitum eduxit, ægre machinis bellicis tranſmiſsis. Cæterum tanta alacritate militum uſus eſt, ut, cum hoſtes eum nondum contraxiſſe copias putarent, inſtructo exercitu in eorum finibus uiſus ſit. Iam Sfortia ingentem numerum Heluetiorum contraxerat: Leo Pontifex Proſperum Columnam cum mille quingẽtis equitibus ſubſidio ei miſerat. Proſper nunquam eo loco Gallos iter tentaturos putãs, de uia feſſus, ſe, equitatumq; ſuum apud Villamfrancham, oppidum ſitum in Pedamontanorum finibus, recreabat. Ruſticus quidam Claudium Morelium admonuit quo loco equitatus Columnæ eſſet. Is Palicio & Aubignio & Baiardo renunciat. Illi Nicolaum Imbercurtium acrem hominem, cum expeditis militibus celeriter eò properare iuſſerunt: ipſi mox cum robore copiarum ſecuti. Is ubi Villamfrancham uenit, pacata omnia nactus, urbem occupauit. Circa Proſperi domum, quem prandentem deprehenderat, ad arma conclamatum eſt. Sed Palicio adueniente, Proſper in Gallorum uenit poteſtatem. Cæſi equites hoſtium mille: reliqui in fugam uerſi aut capti: urbs direpta. Proſper in Galliam miſſus eſt. Multi aiunt Gallicos equites, qui prius à Palicio miſsi erant ornatu mercatorum, quaſi uidulis & ſarcinulis in dorſa equorum reiectis, portæ adequitaſſe: & quaſi hoſpitium quærerent, eos qui portis aſsidebant, oppreſiſſe. Laus quidẽ Proſperi intercepti ceſſit Palicio. Rex ne quid à tergo relinqueret, Odetum Lautrecum, et Petrũ Nauarrum, attributis eis Aquitanicis peditibus, paucisq; equitibus, Nouariam oppugnare uoluit. Iamq; ad oppugnãdam urbem omnia aptauerant, cum ciues aliquot ex urbe egreſsi, nunciare iubent Lautreco, uelle ipſos ad eum mandata perferre. Admiſsi in tabernaculum, urbem dediderunt, pacti omnium incolumitatem. Recepta Nouaria, miſſus eſt Lautrecus ad Heluetios auro placandos. Cum eis pepigit multis pecunijs promiſsis, modica tamen parte perſoluta, ut iam confectum bellum Rex putaret. Adfuerunt ei Germanorum copiæ ad bellum paratiſsimæ. Sfortia per Matthæum Sedunenſem cardinalem Heluetios, cũ quibus ictum erat fœdus, impulit ad bellum renouandum, pactus maiores pecunias: futurumq; oſtendens, ſi per eos Gallus excluderetur, eorum ut arbitrio Mediolani principatum componeret: ipſiq; Ita-

liæ nobiliſsima parte potirentur. Iam Lautreco negocium datum erat pecuniæ ad Heluetios perferendæ. Is in itinere à Ioanne Franciſco Pico pertumultuoſè, neque tamen non uerè, cum conſideret illos fore in officio, & in Regis poteſtate, certior factus eſt de immutata eorũ uoluntate, celeriterq́ in pacata loca pecuniam recepit: præmiſsisq́ ſpeculatoribus, fremitum hoſtium audiẽs, mox Regem admonuit, copias ſuas pararet, ad futuros mox ferociſsimeq́ inſtaturos hoſtes, qui omnia belli conſilia in celeritate defixerint. Peruenerat Rex Marignanum: & quanquam mouere caſtra ſtatueret, eo loco ſubſtitit. Erant Heluetiorum uigintiquatuor millia: Hiſpanorum, Italorumq́ octo millia: hi egreſsi ad Gallum oppugnandum, Idibus Septembris in conſpectum eorum uenêre. Miratus eſt Rex unde ea repentina mutatio: ſed adhibitis in conſilium peritiſsimis rei militaris ducibus, copias expedit ad pugnam, ita tamen, ut bellica tormenta, quibus abundabat, Gallis eſſent pro uallo. In prima acie collocatus eſt Carolus Borbonius, in extrema Palicius, mediam ſibi Rex ſumpſit. Vix inſtructa erat acies, cùm Heluetij ingenti ui in primam aciem inuehuntur. Erant cum Borbonio Germani qui nuper ſubſidio Regi uenerant: hi quòd raptim inſtructas acies uiderant, fœdusque ictum cum Heluetijs, uereri cœperunt, ne eo fœdere cautum eſſet, ipſi ut Heluetijs dederentur: itaque fuga ab ijs primùm facta, ſed certis ordinibus, minimequé turbatis. Hortatus autem Borbonius Gallicum Aquitanicumqué peditatum, pari impetu hoſtes excepit, & initium cum hoſtibus confligendi fecit. Itali aliquot è Mediolano egreſsi, à Palicio in urbem redire coacti ſunt. Fatigabantur Heluetij machinarum impetu, quibus plures obterebantur. Itaque ubi uident præter ſpem Gallos prælium acriter inire, deliberant impetu facto bellica tormenta diripere. Ea acrius in eos emiſſa loco eos ſubmouerunt, pluresqué eo impetu quàm bello abſumpti ſunt: ferocius tamen incurrunt, ut primo impetu multi obtriti ſint. Cum Rex in mediam inſiliens aciem confirmatis animis ſuorum, prælium, quod iam elanguerat, accendit: mutatoq́ equo (quippe plures fatigarat) dum acrius hoſti inſtat, parum abfuit quin haſtis obtereretur. Pedites nunc fugam captare, nunc redintegrata ſpe acrius in pugnam prodire. Petrus Nauarrus labantes Aquitanos excitare. Nox prelium diremit: dubia uictoria, niſi quòd Heluetij ſe ſtantibus in armis Gallis, uiciſſe non credebant. Ne nox ipſa quidem pugnæ expers fuit: nam Heluetiorum aliquot Galliam acclamantes, quoſdam ex Gallis errore eò appulſos obtruncarunt: diſperſosq́ Heluetios aliquot nacti Galli, eodem ululatu tractos diſsiparunt. Germani errore cognito, nihil non pollicebantur. Iis cura data bellicorum tormẽtorum conſeruandorum, nam & ad ea diripienda Heluetios properaturos

raturos Rex putabat: ipſe inſomnem noctem duxit: tantùm palu datus paululum in rheda quieuit. Sequenti die primo diluculo adfuerunt Heluetij; inconditoque clamore ſublato, ferociter in primum cornu inuecti ſunt. Redditur & à Gallis Germaniſq; par clamor. Ibi uerò cominus coacti conſerere, gladios utrique impigrè ſtringunt. Pergunt illi ad tormenta bellica diripienda. Ibi Germani, quò fidem ſuam probarent Gallo, acriter impetus hoſtium depulêre: collato pede quaſi uir uiro congrederetur, diutius dimicatum eſt. Galiotus Ienolacus, qui machinis præpoſitus erat, quà confertos hoſtes impetum facere uidebat, ita ſolerter machinarum pilas admouebat emittebatque, excidere ut illi acie mox cogitarint. Franciſcus Rex non Regis magis quàm militis munera exequebatur, acriter & uehementer præliabatur, multas edebat ſtrages, impetũ cũ prætoria cohorte faciebat in illam manũ hoſtium confertiſsimam. Aquitanicos pedites præda ingenti promiſſa hortatus, haſtis hoſtium impetitus, non deeſſe ſuis, exempla undique factaq; Regis oſtendere, occurrentium Heluetiorum aduerſa ora fodere, fugientium terga: ubi maior impetus eſſet hoſtium, ibi occurrere cum prætoria cohorte. Heluetij machinarum opprimendarum conſilio omiſſo, cum etiam aliquot intercepiſſent, conferti in primam aciem inuecti, ultimamque obliquè adorti, uariè iam perturbabant Gallos. Tum uerò media acies aduentante Rege ſuóſq; ſtimulante, fortiſsimè eorum impetum excipiebat: ut ea quidem parte ſenſim Heluetij cederent, ordineſque laxarent. Cedentes tamen retrorſum diuertebant, acriùsq; Gallos inuadebant. Ludouicus Tremolius & Iacobus Triuultius cùm fatigatos iam uiderent Gallicos pedites, authores fuerunt Regi ut equites cataphractos in hoſtem immitteret: idq; cùm eſſet factum, pediteſque ſublato clamore acrius inſtarent, inſtantibus Gallis, in fugam uerſi ſunt. Inde ex fuga Comum & Mediolanum contendebant. Veneti ſcriptores ita prodidere: Conſtituiſſe adhuc Heluetios cum cohortibus integris, nec bello fatigatis Regem inuadere à lateribus, ac per conuallem uicinam Marignano, paratos fuiſſe in pugnam peruenire, ni Bartholomæus Aluianus cum Veneto equitatu mox ſeſe efferens, inuectuſq; in iam diſſipatos, ultrò etiam terruiſſet, territiſque inſtans adcurrentibus quoque Gallicis equitibus eos fudiſſet. Et periti rerum Gallicarum mirantur nunquam Venetos inuectos in hoſtes fuiſſe, donec certam uiderent Gallis uictoriam, à quibus accìſis rebus parum ſe tutos credidere. Certè legatos ij antea ad Regem miſerant, ſe cum omnibus copijs in Regia caſtra eſſe uenturos: atque horum officio Rex commotus egit eis per literas gratias, idque ut maturarent hortatus eſt. Rumore tamen Venetorum aduentãtium, & Francis animus acceſsit, & Heluetijs timor iniectus eſt. Cæſi

 ad ſex

ad ſexdecim hominum millia. Scio ego ita iactatum, quaſi Borbonius territus ex prima acie in ſecundam ſe recepiſſet: at ille uiuens non tuliſſet eam notam. Vulneratus eo prælio Gilibertus Leuius, qui Ventadorei cognomine notior eſt. Cæſus & nocturno prælio Salazartus è familia Iriartea natus, oppidulo cui nomen Ochagabea, haud longè à fano Pediportij, quem, ut uirum fortem magniqúe & acris animi, magni faciebat Petrus Nauarrus. Germani ueteribus inimicitijs incitati, nacti cohortes aliquot Heluetiorum, in eas doloris iracundia eruperunt, omnesq; interfecerunt. Quoſdam in ſubterraneam domum confugientes, præſente Carolo Borbonio, incenderunt. Nec Gallis incruenta fuit uictoria. Deſiderati ſunt Franciſcus Borbonius Caroli frater, Imbercurtus, Carolus, Tremolius, Telamonius Luduici Tremolij filius, Iacobus Sancerrius, Buſsius, Moius, Nicolai Petiliani Comitis filius, alijq; plures: ex peditibus mille quingenti. Mediolanenſes ſupplices Regi obuiam uenerunt, deditionemq; fecerunt. Hos ille in fidem recepit, pecunia prius mulctatos. Mox caſtrum munitiſsimum, in quod ſe Sfortia receperat, oppugnari cœptum. Petrus Nauarrus cuniculis ſolerter actis, muri iam partem diſiecerat: ſed dum à Rege miſſus Carolus Borbonius conditiones pacis agitat, remittere cœperunt milites ex priſtina diligentia aliquid. Itaq; Nauarrus, accerſitis Aquitanicis centurionibus, uariè increpitos rurſus cuniculis inſiſtere eos iubet. Yrions Aquitanicus centurio ex uico Euſtario, qui egregiam operam extrema pugna Regi nauârat, dum circa cuniculos, quos hoſtis peruertabat, lampade accenſa progreditur, proximus Nauarro pila plumbea ictus cecidit: cuius mortem Nauarrus, quòd dux cum ducibus Gallicis, Italicis, reliquis bellis fuerat, ſummamqúe rei militaris ſcientiam habebat, grauiter tulit: multosqúe alios idem cuniculus oppreſſerat. Sfortia commotus, quòd caſtrum & natura loci & manu munitum egregiè oppugnaretur, legatos ad regem mittit: ſeq; ut initis aliquot pactis quæ proponebat, in deditionem recipiat, petit. Non recepit Rex conditiones, ſed miſſo ad eum in caſtrum Antonio Pratiano ſummo iuris præfecto, nouas proponẽs conditiones, quibus eum multis annuis uectigalibus donabat. Cum hæc placuiſſent, uenientem in fidem recepit, uiuentemq; ita fouit, ut pulſus etiam Mediolano, nihil ex priſtina in eum obſeruantia remiſerit: illeq; cùm liber poſſet facillimè ad ſuos peruenire, noluerit. Multus indè tota Italia ſermo de tanta Regis uictoria: cuius aduentu maximè Heluetiorum copiæ Italorumq; omnibus rebus ornatæ atq; inſtructæ, caſtrũ Mediolani munitiſsimum obſeſſum, tot hoſtiles uires uno prælio eſſent deletæ, patefactumq; Gallis Mediolanum: quod antè Heluetiorum copijs ex omni aditu clauſum eſſet. Itaque & Leo Pontifex, & Veneti, Ita-

ti, Italiæq; omnes reguli gratulatum ad eum legatos miſerunt, operamquè ei ſuam omnem detulerunt. Et quando Pontificis animus alienior à Gallis quàm deceret uidebatur, per Iulianum Medicem cardinalem, cuius arbitrio Pontificatum Leo adminiſtrabat, actum de ſanciendis fœderibus: ipſeq; Pontifex Bononiam uenit ad Regem excipiendum. Regi obuiam miſit Nicolaum Fliſcum, & Iulianum Medicem purpuratos. Rex Bononiam profectus, magnificè à Pontifice exceptus eſt: ſancita ſimul fœdera: datum Pontifici, ut pragmatica ſanctio, nouis conuentionibus in eius locum ſubſtitutis, aboleretur, non ſine interceſsione prouocationequè Gallicarum eccleſiarum & academiarum: ibiquè Adrianus Gounſierius purpureo galero donatus eſt: occultiora etiam fœdera opera Iuliani cardinalis inita. Erat is Regi amicißimus ob Narbonenſem pontificatum, multis repudiatis competitoribus à Rege conceſſum. Alberti quoque Pij induſtria eo tempore Regi probata. Carolus Cæſar obijciebat Regi, de diuidendis Italiæ plurimis principatibus, urbibuſquè, Siciliæq; regno actum. Planè à Rege purpuratos omnes pontificios conſtat multis & pecunijs, & ſacerdotiorum, cœnobiorum, præfecturarumquè eccleſiaſticarum muneribus donatos. Regem muneris inſignis loco à Pontifice demum accepiſſe trunculum dominicæ crucis. Parmam & Placentiam Regi Pontifex reddidit, uelut uetus Mediolanenſium patrimonium. Actum eſt quoque de bello Turcis inferendo, imperijquè Conſtantinopolitani inſulas libenter Pontifex deferebat Regi: ſed is & Antonij Pratiani iuriſpræfecti & aliorum uſus conſilio, eas contempſit. Hippolytus Eſtenſis, unus è purpuratis Alphonſi frater ſuadebat, dum uires integræ eſſent, ſtudia exterorum parata, regnum Neapolitanum Rex armis inuaderet. Sed Gallos domeſticum ocium domum reuocabat. Vnde Pontifex in expiationibus delictorum elargiendis liberaliſsimus habitus. Indequè magna uis pecuniæ parata: tantaquè fuit eo tempore concionatorum impudentia, ſine ijs expiationibus hæreditatem ut illam cœleſtem cernere neminem poſſe palàm iactitarent: unde odio pecuniæ in alios uſus inſumptæ uileſcere cœpit tantæ rei authoritas. Martinus interea Lutherus exortus eſt, homo maximè Pontifici infeſtus, & qui ad ei concitandam inuidiam, omnes rumorum uentos colligere conſueſſet. Is uelut unguis in hoc ulcere exiſteret, ſtimulator fuit eius tumultus Germanici, quem pij omnes nondum placatum dolent: eam Pontifex, habito patrum concilio, impium pronunciauit: ſacris interdixit omnibus qui eum aut tuerentur, aut ſuſciperent. Nec tamen minus Federicus Saxoniæ Dux, alijquè Germani principes hominem fouerũt: ij Pontificia liberalitate primùm crimina minimè extingui, neque manes noxæ eximi; multaquè declamitabant in nationem ſa-

cerdotum,ut ueterem diſciplinam cauponantem. Deinde eò etiam poſtea progreſsi ſunt,Pontificem ut ipſum in ordinem cogerent,inſtitutaq́ue ac ſanctiones ueterum apertè reijcerent, nouorum ipſi dogmatum aſſertores.Cœtus auguſtus Academiæ Pariſienſis iure eum malè de religione ſentientem,à Pontifice ex ſancta hominum communitate exterminatum prodidit, doctrinamq́ue illius eiuſmodi eſſe,quæ neque liberalis ſit,neque ex ipſis diuinorum librorum hauſta fontibus,& talem planè quæ partim ex Huſſitanorum,partim ex Valdenſium, ac cæterorum olim factioſorum damnatis iam commentarijs corrogata uideatur. Atque in hanc recentem flammam iniecti profeſſores bonarum literarum multi:res exagitata apud uulgus: clamitatum à multis,Eraſmum Roterodamum huius tumultus cauſam fuiſſe: hauſiſſe ex eius libris occaſionem reliquos:cum tamen ille editis libris multis,nihil ſibi cum his eſſe,nec unquam fore commune profiteretur.Nec dubitauit apertè profiteri Sacerdotum quorundam palàm impiam uitam, Theologorum ſupercilium, Sodalium quorundam non amplius ferendam tyrannidem: huic tempeſtati locum feciſſe, dum politiorum literarum cultores inuoluunt fidei negotio, acrius multos irritatos:potuiſſe æquis conditionibus initio res componi:uitia emendanda,non ordinem tollendum.Hoc ita dictum in malis,ut bonorum exiſtimationem nihilò faciat deteriorem:& ita dictum in genere,ut nulli ordini ſit irrogata contumelia.At alterius partis ſemper in peius uergentis peruicaciam,alterius quorundam odijs & intempeſtiuis clamoribus, hucuſque progreſſam tragœdiam,ægrè ut ſedari poſsit.Sperandum tamen, Deo optimo hortante promouenteq́ue,futurum, reſipiſcentibus illis etiam capitum aliquot dogmatumq́ue palinodiam recinentibus,pontificiæ ut maieſtati debitum illi tandem officium exhibeant.Ex huius quoque ſcriptis quædam expuncta ſunt iudicio Academiæ Pariſienſis:cuius ſemper cenſura hiſce in rebus apud pios plurimum ualuit.Hiſpania quoque eo prætextu pecuniæ in ſacrum bellum erogandæ uexata:eodem tempore exactæ à Carolo eo nomine ſumma acerbitate pecuniæ, manetq́ue in hunc uſque diem anniuerſaria ea exactio.Rex paulò antea auctus Ludouica filia,in Galliam compoſitis rebus redijt. Carolum Borbonium Mediolani relinquit:conuenerat cum Venetorum legatis Antonio Grimano,Dominico Triuiſiano,& quibuſdam alijs,ut copijs eos Rex iuuaret ad Brixiam & Veronam,quæ à Cæſarianis tenebantur,recipiendas.His ex pacto auxilia petentibus, nulla interpoſita dubitatione, peditum tria millia, equites mille expeditos, una cum Lautreco Fuxeo mittit Borbonius.Sed cum Maximilianus Cæſar Henrici Britanniæ Regis hortatu, qui pecuniam ad bellum ſuppeditaturum ſe pollicebatur,adiuncto etiam Ludouico Sfor-

douico Sfortia Maximiliani fratre, bellum Mediolano inferret, tanta rerum commutatione motus, ad ſuos redijt: quippe ad Maximilianum magnæ ex Germanis Heluetijſque copiæ conuenerunt. Iſque admodum magnis, diurnis, atque nocturnis itineribus confectis, non longè à Mediolano peruenit. Borbonius tanto periculo commotus, ad Heluetios Regi fœderatos fideliſsimos ex ſuis mittit qui auxilium peterent, Mediolanóque egreſſus primùm ad Abduam properauit. Ibi certior factus parata quidem ab Heluetijs auxilia, ſed tardius properare, Maximiliano copiolas ſuas noluit opponere. Mediolanum autem rediens, iam gliſcentem ſeditionem compeſcuit. Ex tringinta tribus ciuibus, qui in Galliam ad Regem mittebantur, tres eò tantùm peruenerant, reliqui ad Maximilianum confugiebant: hos ex itinere retractos occidi ille iuſsit. Aduentu Borbonij territi Mediolanenſes, qui iam Bartholomæum Claudium tribunum rerum capitalium ad urbis præſidium relictum oppugnare parabant, conſilio immutato, cum Gallis de urbe tuenda conſiliū ineunt. Iam Cæſar prope Marignanum caſtra locârat, elatuſque ſpe certa uictoriæ ex Borbonij fuga, urbi contulit caſtra. Veritus Borbonius ne ſuburbia ſibi pro caſtris occuparet, ea, quòd à ſe teneri non poſſe iudicabat, ne cui eſſent uſui Cæſarianis, incēdit: legationes ad Heluetios nouas circummittit, ad eos pagos quos ſuperiore anno Rex pacauerat: miſſaque ingenti pecunia, paludamentiſque militaribus auro argentoque egregiè contextis, ad iter mox eos extruſit. Properantes hi poſtico arcis excepti ſunt: Maximilianus occaſionem aucupabatur, incitatus promiſsis Galeatij Vicecomitis, ſi qui tandem ex urbe erumperent, Galloſque inuaderent. Ea ſpe fruſtratus cùm eſſet, non eſt uiſa ratio ad Mediolanum oppugnandum commorandi, ne dum in eo eſſet occupatus, circunuentus à tergo ab equitatu Gallico aduentante laboraret. Ad hæc cùm Borbonium aggeres duxiſſe, ſeque imparatum à commeatu uideret, diutiusque eodem loco tantæ copiæ ali non poſſent, Heluetijſque diffideret, Brixiam adijt: ciues pacti ingenti pecunia, ut caſtra aliò trāſferret impetrarunt. Inde Laudem præteruectus urbem hoſtiliter diripuit atque incendit, dubitans an in Venetos tantas copias duceret. Venit interea ex Anglia ingens pecunia Maximiliano. Erat is perhumanus & liberalis, neque pecuniæ cupidus: Baltheo quoque Germanico ſuccinctus, gregarios milites humaniſsimè audiebat. Si quis egeſtatem deploraret, nummis è baltheo depromptis egeſtati eorum ſubueniebat: raroque bella capeſſebat, niſi cùm re nummaria laboraret. Igitur ingenti pecunia ab Anglo accepta, cum unus de ijs qui erant ei à ſecretis ſolito triſtitior eſſet, rogatuſque ab eo quid frontē contraheret: Quid (inquit) non doleā qui tantam pecuniam inter tot milites diuiſam, euolaturam mox uideam?

uideam? Arriſit ille, laudatoque eius conſilio, omnibus ignaris uelut literis acceptis, quibus in Germaniam properare iubebatur ob Ladiſlai Hungari Regis mortem repentinam, è caſtris ſe proripuit fruſtratis militibus. Borbonius extremum agmen Cæſaris carpens, impeditos tardiuſque properantes oppreſsit: reliqui Cæſarem ſecuti in Germaniam rediêre. Vſi ſunt Galli fideli ea in expeditione Venetorum opera, itaque mox cum Venetis ad Brixiam contendunt: ibi iubente Lautreco quinque uarijs locis ſeparatim quatiuntur mœnia: quinque quoque poſtea locis uariè certatum, parúmque abfuit, quin à Petro Nauarro undique Cantabros Aquitanoſque ſubmittente perueniretur in urbem: At hoſtes non ſibi defuere in ijs depellendis, Ii mox territi annonæ inopia, deditione ab Hicardo facta, urbem arcemque Lautreco dedidere. Deinde ad Veronam recipiendam cum eis miſſus eſt Lautrecus: ibi congreſsi ſex equites Gallici cum totidem ex Hiſpanis, uictores rediere. In ijs fuere Cicheus Regi familiaris, Moularcus & quidam alij: quos imitatus Pomperanus, inermis cum inermi hoſte congrediens, uictor & ipſe redijt, ſed Cicheo & alijs irridentibus: unde poſtea ingens inter eos orta ſimultas, ut aliquot poſt annis Cicheus renouatis inimicitijs, in decurſione militari ex cauda equi ferocientis impacta ori proximi Pomperani, clàm cum Pomperano congreſſus, necatus ſit: ipſe Pomperanus à Lorgio uulneratus, & iuſſu Regis, qui Cichei morte grauiſsimè affectus erat, ad ſupplicium rapi iuſſus: ſed cum conſtaret alterum alteri uelut priuatum duellum prius denunciaſſe, Borbonio adnitente mitigatus eſt Rex. At Veronæ conferti Veneti Galliquè quaſſatis prius mœnibus, parum abfuit quin urbem expugnarent. Hanc tuebatur M. Antonius Columna, & Lautrecus quidam Mantuana porta progrediens, quatefaciebat muros: ac quodam die Thoma Fuxeo, Leſcuno fratre cum pedite uariè irruente, poſt dirutum propugnaculum in ſpem uenerat urbis intercipiendæ, niſi tormentis clanculum reconditis pulſi eſſent Galli. Cæſar interea auxilia miſit: quæ cauſa fuit, ut induciæ paciſcerentur cum Cæſare, deligerenturquè Carolus Hiſpaniæ Rex, & Franciſcus Galliæ, honorarij arbitri. Hique tandem ita ſtatuerunt, uti acceptis ducentis millibus nummûm aureorum, Veronâ Cæſar cederet: proniorque fuit ille ad pacis conditiones accipiendas, ob quinque pagos Heluetiorum nuper Regi conciliatos, quibus quingenta millia nummûm aureorum Rex miſerat, ingentemquè pecuniam in ſingulos annos pronunciarat. Eoquè tempore gliſcere cœpit ſeditio apud Hiſpanos, plebe in nobilitatem incenſa. Ea res mouit Carolum ad pacem cum Gallo ineundam, ut is Ludouicam filiam uxorem ducturum ſe polliceretur, eiuſquè matrimonij gratia remitteret Rex Carolo ius omne, quo Neapolitanum

regnum

regnum ſibi aſſerit: ac donec matrimonium contractum eſſet, centum millia nummûm aureorum quotannis Regi penſionis nomine penderet, eiuſque rei ergò ſponſores claſsicos & aſsiduos daret. Id eò lubentius arripuit Carolus, quòd uereretur adiunctis Heluetijs, Pontifice, Italiæque omnibus regulis, ne expeditionem ille pararet in Neapolitanum regnum: quod ei tum perfacilè fuit: poſtea nequicquam tentatum eſt. Borbonius antea in Galliam redierat relicto Mediolani prætore Lautreco, cuius opera conciliati fuerant Heluetij. Senatus Gallicus Mediolani conſtitutus præſide Ioanne Selua, cuius iudicia probatiſsima ubiq; uiſa ſunt: nam quanta in inuidia quantoq; in odio reliqui fuiſſent animaduertens, multò grauior atque acrior in reuocandis iudicijs ad priſtinam religionem uiſus eſt. Florebant eo tempore res Gallicæ. Sed tamen perpetuo euentu plaudentis fortunæ, faſtu aula regia abundare cœpit. Multi inter blanditias rerum proſperarum minus iam cupiditatibus ſuis imperare. Si quam uidebant eximia corporis ſpecie & decore, eam deperire. Italicas aliquot pellices palam habere. Poſthæc anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo decimo, Regi natus eſt Franciſcus filius, regno, ſi per fata licuiſſet, ſucceſſurus. Et patres luſtrici adhibiti Leonis decimi Pontificis nomine, Ludouicus Medices, & Antonius Lotharingus: Ambaſiæq; infans ſummo ſplendore apparatúq; ablutus eſt, cum eſſet Maximilanus Cæſar fato functus. Dum comitia habentur de Cæſare deligendo, uiſa res eſt noñ indigna Gallica maieſtate. Itaque candidatum ſe mox Rex oſtẽdit, quadraginta millia nummûm aureorum mittens ad concilianda ſibi ſuffragia: miſſus Ioannes Langiachus ad Poloniæ Regem. Prenſabat unus Federicus Dux Saxoniæ ſine fuco more Germanico. Acrior erat competitor Carolus Maximiliani nepos Rex Hiſpaniarum, Auſtriacáque familia commendatus. Fuit legatorum Gallicorum tarda prẽſatio: nam paſsim ita negabant, ut Carolo ſe debere profiterentur. Pontifex apertè Gallo fauebat, ſi quid cõferre potuiſſet in eum. Iam Ludouica Sabaudiana Regis mater ſolicita erat de infulis Imperij, apparatu pompaq; ſolenni. Arturus Goufierius præfectus prætorio miſſus erat ad res tentandas: is re nondum expedita in itinere obijt, non ſine Regis querelis, qui eo familiariſsimè utebatur. Lentum negotium, ſed tamen erat in ſpe. Deſignatus tandem Cæſar Carolus Auſtriacus, Erardo Marca maximè adnitente, qui palàm in mores Galli multa conferebat: leuiſsimis de cauſis, ille hoſtis, cum pater & fratres Gallis amiciſsimi eſſent. Et Leo pontifex per Thomam Caietanum unum è purpuratis admonebat Germanos, prohiberi Carolum Imperij petitione, cùm ueteri profeſsione unus idem & Romanum Imperium, & Neapolitanum retinere non poſſet. Itaque eo nomine poſtea is legibus ſolutus eſt, aucta etiam Pontifici Neapolitana

politana penſione. Franciſcus Sammarſallus, cuius conſilio in conſuetudine quotidiana magnoperè Rex delectabatur, celeriter mutatis equis ad Pontificem miſſus, ſpe Regem ipſum rediens impleuerat. Et Leo quidem natura probus erat, qui principem Romanum probè egiſſet, liberalitate regijſq; alijs dotibus nulli inferior, uenationi deditus, uoluptatum ſine aliorum iniuria cupidus, ac paulo anteá allectis in purpuratorum collegium multis, ingentem uim nummorum contraxerat, ut & ex indictione belli Turcici: ſed Iuliani Medicis opera toto pontificatu uſus, acris hominis, multa effecit, ut poſteritatis in eo Pontifice, dum Franco bellum indicitur, deſideraret. Inde Regi natus alter filius, Henricus Regi ſucceſſurus. Eodemque tempore clatros cancelloſque argenteos obiectos feneſtræ ad fanum diui Martini Turonici euulſos multi mirati ſunt: quorundam conſilio, non ſine plebis querelis, ut tandem uindicem diuûm ſacrilegij pœnas ſumpſiſſe iactatum ſit. Sunt & poſt aliquot demum annos tandem à Senatu Lutetiæ confirmatæ hæ conuentiones, quibus pragmatica ſanctio abolebatur imperio iuſſuque Regis ſæpe repetito, allegato ad Senatum Ludouico Tremolio: idq; incidit in annum milleſimum quingenteſimum ſeptimum decimum. Detecta eſt antea coniuratio improbiſsimi nebulonis Guyſoti præfecti uigilum apud Tholoſanos, qui coercendis nocturnis rapinis præpoſitus cùm eſſet, prædabatur ipſe in obuios cum ſatellitio improbiſsimorum nebulonum: conſtatque multos ab ijs necatos, multos ſpoliatos, in ciſternas, puteos fœdioraque alia loca coniectos, Michaël Craſſus, & plerique alij integræ opinionis, detecti uelut prædæ participes: decreta in eos quæſtio: iuſſu Senatus præpoſitus quæſtioni N. Bertrandus. Vix in hoſtico unquam patrata talia facinora apparuit. Sumptum de ijs ſupplicium ea ſeueritate, in hûc ut uſque diem maneat memoria tam fœdæ coniurationis. Et annus quidem agebatur milleſimus quingenteſimus uiceſimus, cùm ultro citroque miſsis legatis, fœdus initum eſt cum Henrico Angliæ Rege, iniecta mentione ſponſaliorum inter Franciſcum Regis filium, & filiam Regis Angliæ. Inde ad urbem, cui Ardea nomen, conueniunt ambo Reges unà cum uxoribus, eo ſplendore, eàque pompa, ali ut plures legiones in plures annos eo ſumptu potuiſſent. Tabernacula tria magno ſplendore excitata ſunt, loco medio inter Ardeam & Guinenſe caſtrum: alterum Gallo, alterum Anglo, aliud Thomæ Vulſeno Cardinali, quo uiro familiariſsimè Anglus utebatur. Fama eſt, dum proximi eſſent Reges, nec dum locus eſſet deſtinatus colloquio, ſummo diluculo petaſatum Regem comitatumque tribus tantum miniſtris, Caletium properaſſe, Anglumque inuiſiſſe: cū cùm lectulo decumberet excitatum à miniſtris, feſtinante Rege, diſcinctum tunicatumque adhuc, necdum dato ſpatio ad domeſti-

cam

cam ueſtem ſumendam, obuiam iiſſe. Eadem comitate uſum Anglum, Regem nullo ſtipatum ſatellite inuiſiſſe. Mox ad Ardeam conuenère, ea uſi familiaritate, ut ab iis initiis profectum amorem non modo ſeruaturos, ſed aucturos Reges coniectura omnes augurarentur. & Angli à Gallis toto triduo magnificè opipareque excepti ſunt, & Galli ab Anglis alio triduo profuſis epulis accepti: proceribus utrinque donata, ut propinans Borbonio Anglus, pateram auream egregiè cælatam dederit: qui ut erat Anglis iniquior, munus apertè quidem repudiaſſet, ſed eo non exaudiente ignaroque, ueluti ei aſsideret, munus accepit Carolus Barroſius, homo dicax, aulicaque dicacitate ſolitus riſus Regi excitare. Quæ cauſa fuit, ut quod alii certum fuiſſet exitium allaturum indignante Borbonio, huic ob morum feſtiuitatem feſtiuiſsimè ceſſerit. Eoque tempore Philibertus Chalonius Aurengiorum princeps, in aula degens, ob aduentum Thomæ Vulſeni Cardinalis Lutetiæ hoſpitium mutare coactus: grauiſsimè id tulit, delataque ad Regem querela, cùm ſe rideri putaſſet, irarum plenus ad Cæſarem transfugit, eique amiciſsimus fideliſsimusque poſtea fuit. Hoc fœdere deſponſa eſt Maria Henrici filia Franciſco Regis filio: id fœdus ut ſacrum & perpetuum eſſet, execrationes adhibitæ à Pontificibus ſacrorum authoribus: Qui fœdera uiolaret, huic aqua atque igni interdictum. Et Carolus quidem Cæſar iamdudum conſilia belli in Gallum agitabat: ademptum Burgundiæ maioribus ſuis principatum querebatur: frendebat Mediolanum Cæſarum patrimonium occupari. Conciliari tamen Gallo uoluerat, dum ſeditiones Hiſpanorum componit, Auſtriamque & maiorem Germaniæ partem ſeditionibus æſtuare uidet. Factaque ſpes ut ambo congrederentur, amiciſsimè ſi quid alterum premeret tranſigerent, cùm repentè ſeſe proripuit Cæſar, rebus iam ſuis compoſitis ferocior factus. Accendebant odia aulici, qui Cæſarem ut ſtolidum apud Regem traducebãt, matriſque furorem referentem: Id ut erat ineptum, ita uerum fuit, matrem Cæſaris perpetuo furore laboraſſe: datos ei cuſtodes qui furentem obſeruarent: quæ ſe cum inedia conficeret, toto conclaui paſsim ordine miro tragemata et ſalgama cuſtodes apponebãt, quibus illa guſtatis inediam depellebat, reſipiſcens interdum, interdum omnia deiiciens: quæ tamen ita conſtituta erant, ut facilè deiici non poſſent: unde accidit ut quoniam illa intempeſtiuis horis ſæpe & nocturnis cibum peteret, ſingulis horis nocturnis & diurnis epulæ illi pararentur. Et cum prædes pecuniæ Neapolitanę cauſa Rex poſtularet, exarſerunt utrinque eruperuntque tandem odia male preſſa: Leone præſertim Pontifice, Franciſcoque Sfortia ad Italiam recipiendam uocante Cæſarem: ſtimulanteque Henrico Britanniæ Rege, qui per Ioannem Albaniæ Regulum, miſſum

o in Sco-

in Scotiam à Gallo, grauiter ferebat Scotorum Regis paruuli recipiendi per ſororem ademptam ſibi facultatem, proſcribiq; ab eo Anglicæ factionis proceres. Robertus Marchius Cedanum habitabat uicum, ſed caſtro munitiſsimo inſignem: ibi caſtrum depreſſo ſubmiſſoq; loco omni machinarum genere inſtructiſsimum. Is Gallo ſemper amicus fuerat: erant ei in armis ſemper paratæ aliquot cohortes. Accidit ut is cum Emeriano de arce Hiergiæ controuerſiam haberet, eductis repente cohortibus ipſe non ſolùm hoſtes fugauit, ſed collectis maioribus copijs in uicina loca impetum faciens, populationibus uicos aliquot fœdauit. Id Cæſar interpretatus eſt quaſi iuſſu Regis ea patraret, miſsiſque legatis, impetrauit ut reuocarentur ab eo Gallici milites, qui iam Viritonum obſidebant: Accenſis tamen odijs, cùm uiolato fœdere Anglus Cæſarem ad bellum hortaretur, utrinque bellum parari cœptum. Cùm autem Regem admoneret, de Cæſare nihil eſſe quod laboraret: ita Cæſarem ſuſpici à ſe, ut ſe putaret præſtare debere ſi quid in Gallos moliretur. Hæc Rex intuitus, cum ſeditio apud Hiſpanos recruduiſſet, opemque afferre Henrico Nauarræ Regi, ſaluis cum Cæſare fœderis legibus, poſſet, Andream Fuxeum, qui Leſparrous dicebatur, Antonium Turnonium alioſque plures, adiunctis ex Aquitania multis peditibus, equitatuque Pictonico, in regnum Nauarræ impetum facere iubet. Fuxeus celeritate uſus, priuſquam Hiſpanus copias contraheret, uſus nobilium oppidanorumque egregia opera, Pompelunam recepit, aliaque aliquot non ignobilia loca oppugnauit. Cum præſidia locis diſponere debuiſſet, aut aucto exercitu alia loca expugnare, uoluntarios milites Aquitanos omnes ſponte dimiſit, maioremque equitatus partem ad ſuos remiſit; ac Gruniam profectus (quod alij Logronium, alij Iuliobrigam ueteribus fuiſſe aiunt) oppidum cœpit oppugnare. Ibi acres homines, & multis rebus ad defendendum parati: nec facilè uallo & foſſa aggereq; id aggredi Fuxeus poterat, cùm tormentorum copia non abundaret. Hiſpani, ubi longius progredi hominem uident, ſedatis ſeditionibus, exercitum contrahunt, ei obuiam ueniunt: Ille urbem oppugnans, tantum abfuit ut hoſtem terreret, ut quotidianis eruptionibus uariè Gallos illi fatigarent. Quibus ille, penuriaq; annonæ fatigatus, cui prius non conſuluerat, expectabat opportunum tempus inde ſeſe proripiendi, prius recepto Nauarrorum regno. Poſt receptam Pompelunam (quam alij Pompeiopolin uocant) Leſparrous peruenerat in locum, quem incolæ uocant Pontem Reginæ. Stellam etiam receperat, & Lozarcon: Gruniam uerò dum obſidet, territi oppidani machinarum impetu, ni noui auxilij ſpes affulſiſſet, de deditione cogitabant. At nobilitate Hiſpanica, quæ commota domeſtico bello in gratiam cum plebe redierat, auxi-

lium

lium urbi ferente, cùm abundarent Hiſpani copijs, & ob Hyberũ fluuium, medium inter urbem & caſtra, duriora omnia erant Leſparroo: itaque conſilium redeundi init, ſequentibus hoſtibus, & extremum agmen laceſſentibus. Ad hæc erumpentes reliqui ex urbe, undique admixtis alijs, Gallos perturbabant. Vbi ad Noyum uicum uentum eſt, fatigatus ille aciem pro tempore inſtruit circa horam quartam poſt meridiem. Anceps Gallos terror circunſtabat: nam neque leuibus hoſtium equis procurſantibus conferti pugnare poterant, & procurſando latius euecti, patebant ſagittis Hiſpanorum. Suſtinebant tamen hoſtium impetum, donec Leſparrous haſta in oculos infixa obtritus eſt, unde poſtea obcæcatus eſt. Galli paſsim cæſi & fugati. Nauarrorum urbes eodem momento receptæ: qua in re ſane plagam accepere Franci odioſam tum re, tum tempore. Turnonius & Leſparrous captiui abducti. Multi putarunt culpa Leſparroi cladem acceptam: nam Pompelunæ, cupida nobilitate recipiendi Henrici ſui Regis, nulla Nauarrorum inſignia Gallica fixerat: ob quæ illos mox in gratiam rediſſe cum Hiſpanis Ioanne Luxo etiam Aquitano ſequeſtro: qui cùm apud eam gentem gratia ualeret, indignaretur in nullam ſe partem bellicarum curarum accerſitum. Ipſe Leſparrous culpa ſe uacare aiebat, propterea quòd firmus ab equitatu non fuiſſet, infrequénſque præliorum miles, rapiniſque demum aſſuetus, ac pauló antè ære dirutus, ad tantam expeditionem ſibi attributus fuiſſet: qui nec ſuo imperatori parêre didiciſſet, neque ut parêret coerceri, quaſi uoluntarius miles poſſet. Rex in ſolatium amiſſorum oculorum, & Leſparroum ſuo ære carcere liberauit, & multis annuis uectigalibus donauit. Cæſi eo prælio ſunt Durfortenſis & Arinachus Fuxenſes: Sanctocolumbanus cum multis alijs dedit ſe in fugam. Atque eo quidem tempore ſatis conſtat, multis Galliæ locis equites Gallicos graſſatos. Queſti non ſolui ſtipendia, paſsim uagabantur, oppidula diripiebant, agros uaſtabant, pecus abigebant, ne pudicitiæ quidem uirginum parcentes, ut uicis multi diffiſi, in urbes ſe recipere cogerentur. Meldenſes, cùm illi uicinos agros popularentur, obuiam prodierunt raptim ad arma plebe uocata, eductiſque machinis, has cùm globi ænei deeſſent, quò terrorem excitarent, onuſtas papyraceis globis emiſere. Illi uel admoniti à lanio quodam (namque is poſtea eo nomine ceruice luit) uel inconditæ plebis arma contemnentes, facilè in urbem ingenti ſtrage edita eos compulére. Diſsimili euentu ceſsit militibus ferocia in Aquitania: Nam poſt expilatos aliquot uicos, uel leuiſsimis urbibus excluſi, ad Mompaoum oppidulum Petracoriorum peruenere: ibi ſomno et uino madentes, nocte intempeſta ab oppidanis ruſticiſque conciſi ſpoliatiq; ſunt. Erãt hi ętate uiribusq; florẽtes ex turmis Chãdij

qui uariè prius agros popularium uexârant, ac ſibi mille Dæmonum nomen impoſuerant. Si rogaſſes quò pergerent, ad Dæmonem: unde prodirent, è Dæmone, aiebant: unde multi ſuſpicati à potentiore immiſſos. Rex irritatus Cæſarianorum in Galliam irruptionibus, excurſionibuſquè in Mediolanenſem agrum, quē iam magna ex parte occupârant, copias parauit quibus auerteret Cæſarem ab exteris bellis, ad ſua reuocaret: his præfecit Gulielmum Gounfierium Boniuetum tribunum maritimorum. Erat ille Regi perfamiliaris, arcanorum omnium ſermonum particeps: Burdigalem profectus à priuatis, ne ipſis quidem Senatoribus ſacerdotibusq; parcens, mutui nomine ingentes corraſit pecunias, exegitquè magna acerbitate. Is cum in Nauarros ſe proficiſci palàm iactitaſſet, nocte intempeſta admonitis clâm præfectis, continuatis nocte dieque itineribus prius uiſus eſt circa Fontem Rapidum, urbem hoſtium munitiſsimam, quàm illi ſuſpicati eſſent ex alio eum itinere diuertiſſe. Eam urbem etiam deſignant Fontis Arabici nomine: nactuſque ad locum, cui Andayo nomen, mare tranquillum, traiecit copias. Aduexerat plures machinas: è Burgidala quoque ſumpſerat plures inuſitatæ magnitudinis, non ſatis ex uoluntate ciuium. Situs urbis, & uicinum mare reddebant oppugnationem difficilem. Vrbs machinis quaſſata, turres proſtratæ: nec tamen conferti Galli ui expugnare urbem poterant, ut iam de reditu etiam cogitarent. At prius ea ui machinarum impetu conuulſa ita muri pars, ut hoſtis ſibi diffideret: ita deditione facta, urbs recepta eſt. Cùm machinis emiſsis aditus eſſet in urbem factus, ſtrato muro, Diegus Verus, qui urbi præerat, Francos irruentes complanato prius loco, & infra oppleto igni, & ſulphure fefellit. At cùm hoſti puluis deeſſet ad onerandas machinas, & commeatus, uentum eſt ad deditionem. Claudius Lotharingus Guyſius, cùm in murum magno animo aſcendiſſet, laudatus eſt à Gounfierio. Vrbis cuſtodia tributa primum SanctoBoneto: hoſte tamen uicos proximos occupante, ita factum, ut CampoRufus & SanctoRomanus, cùm uicum uicinum Sancto Marianum expilarent, cæſi ſint, Curteno fugiente: Subſtitutus in SanctoBoneti locum Iacobus Daillonus Ludæus, Boniuctus in Galliam reuerſus, quaſi nulla impenſa tantum bellum confeciſſet, gloriabatur. Omnes multa de eius induſtria ac re geſta: atque hæc una uox omnium, nihil magnificentius, nihil præclarius geſtum: unum hunc uerè eſſe bello Mediolanenſi præficiendum, Rex hoc facto ſic incenſus erat, multum ut acceſsiſſe ad eius erga eum amorem uideretur. Cæſar poſt aliquot menſes Philibertum Chalonium Aurengium miſit ad urbem obſidendam. Vrbs egregiè à Ludæo defenſa: ſed periculum erat, ne commeatus inopia opprimeretur. Satis conſtat eò uentum inopiæ, ut nec

muri

muribus alioue animali immundo abſtinerent Galli Aquitaniq́; qui in præſidio erant:& omne herbarum radicumque genus muris eruerent,ſutrinæ etiam corijs uterentur. Tum demum apparuit Claudij Lotharingi conſilium non inutile.Is, ubi primum urbs eſt recepta,author erat Boniucto illius diruendæ: rudera operaque alia in Endaium transferri uolebat: ſentiens facilius Gallum quærere, quàm quæſitum tueri. Parandæ erant copiæ ad annonam inferendam:hæ paratæ ſunt à Iacobo Palicio, qui inuito hoſte urbem omni referſit commeatu.In locum Ludæi & aliorum recentes immiſsi. Vrbis cuſtodia Franciſco Frangio Aquitano, qui apud Caſtillonum gratia ualebat,& Petro Nauarrulo, cuius maiores à Cæſare necati ferebantur, attributa. Aſsidebat urbi Bertrandus Cuena in omnes occaſiones intentus:is tandem ingentibus præmijs Nauarrulum ſolicitat,ut urbem dedat.Erat id difficile,niſi communicatis conſilijs cum Frangio:is uerò abhorrebat ab eo facinore.Multi ex turmis Nauarruli quotidie ad hoſtem tranſibant:oppidani ad ſeditionem ſpectabant:corrupti aliquot milites,uel,ut aiebant,tædio longæ militiæ à Nauarrulo uenia impetrata in Galliam redibant: quos omnes Lautrecus deprehenſos mox necari iuſsit,ſubmotis magnorum uirorum precibus. Ita factum ut urbs dederetur:Frangius incolumis cum incolumibus aliquot militibus urbe emitteretur.In hũc Lautrecus mox animaduerſurus erat,niſi multa ille quò dilueret à ſe omnem culpam retuliſſet, quæ iuriſperiti conſulti probata magni eſſe momenti aiebant.Interpoſita hac dilatione per Caſtillonum, à Rege impetrauit cauſam ut diceret:atque is poſtea publicè exauthoratus eſt, uel ob urbem celerius quàm par eſſet ignauiſsimè relictam,uel ob parum fidelem operam Regi nauatam:cum tamen quicquid id eſſet culpæ in Nauarrulum conferret,qui ſeditioſè concitatis militibus deditionem ſuaſiſſet. Euentus rei dolo eum uacare monſtrabat, cum Nauarrulus auctus ſtipendio,reſtitutiſque auitis bonis , ad Cæſarem tranſiiſſet.Caſtillonus uel morbo,uel dolore,quem contraxerat ex euentu rerum aduerſarum,Baionæ interijt:Deinde Hiſpani populari cœpere Aquitaniam,duce Aurengio:qui collecto ex Hiſpanis Germaniſque exercitu,Luxo etiam Aquitano adiutore,ut quidam frendebant,ſuſcepit eam expeditionem. Ac tranſmiſſo pontibus Gauo fluuio alioqui rapidiſsimo,qui tunc placidiſsimus fluebat, Sordam oppidulum peruenit. Prope Sordam quaſi roſtro finditur Gauus,& diuiſus æqualiter in duas partes,latera undique alluit,rapideq́; dilapſus mox in unum confluit. Eſt Sorda ſita in præfectura Daciorum,uicina montibus Pyrenæis: ibi domus ſodalium Benedictinorum lautius nuper à Carolo Grandimontano pontifice Burdigalenſium,atque eius loci cœnobiarcha ædificata. Gauus qui Sarranſam,idem cum locum præter

uehitur, tumulus eo loco Turpini pontificis Caroli Magni familiaris: famaque eſt ibi caſtra magnum Carolum diutius olim fixiſſe. Hiſpani locum nacti uacuum incenderunt: eodem terrore uicinum aliud oppidum Petram Foratam, quod Adriano Aſprimontano paret, peruenerunt: ſed ibi ſuperiore loco atque arduo ueteris caſtri reliquiæ, ſatis tamen tum munitæ loci difficultate: quo factum, ut commeatu tantùm ex inferiori loco ab oppidanis excepto, Eſtingum uicinum aliud oppidum appulerint. Fluit & ea parte Gauus: oppidum ſatis excelſo loco ſitum, ſed ad hoſtiles impetus excipiendos parum munitum. At oppidani in nemus uicinum delapſi, ſylueſtribus ſepibus denſum, paludibus defendebantur: intercepere etiam aliquot equos hoſtium. Eſt & alter fluuius Vidoſus nomine, qui ex Pyrenæis montibus prodit, & circa Vidacham caſtrum Grandimontanorum haud ignobile præterlabitur. Hiſpani Eſtingum incenderunt: & diripuerunt, ac Vidachã profecti, diu arcem loco paluſtri ſitam obſederunt: eamque poſt uiceſimum diem necatis crudeliter qui obſidionem tulerant, receperunt, & diruerunt: ruſtici palàm Dacium & Baionam perfugerunt. Erant Dacij paratiſsimi ad hoſtes excipiendos, eòque paucos ante dies immiſſæ copiæ. At hoſtes prædabundi, prius arcem uicoſque eius loci, quem Mauleonum ſolum uocant, populati redierunt, multis ex ſuis deſideratis: quippe agricolæ armis aſſueti, præcipue in baliſtis ſagittiſque emittendis periti, ſi quos temere ex ordine progreſſos deprehendebant, paſsim feriebant. Eodem terrore hoſtes inuecti in Biarnenſium, qui ſe Bernenſes dici malunt, fines, Saluamterram & Nauarrinum oppidum diripuere. progreſsi etiam ad Oleronum urbem, qua tamen abſtinuere, direpto tamen fano Mariæ uicino, quo loco pontifices Oleronenſium ſacra peragunt. Vetus eſt enim fama, necato olim pontifice ab Oleronenſibus, ſacris eis interdictum: ſacra trsnslata ad fanum illud uicinum Marianum, quod tunc hoſti ut minus munitum patuit. Sed accidit, Oleronenſes cùm eſſent inſtructi milite ad hoſtem excipiendum, ut præter uoluntatem prætoris quadringenti ex urbe egrederentur, quaſi hoſtem inuaſuri, qui excepti ab hoſte paratiſsimo, multis cæſis in urbem compulſi ſunt: multi quoque ex his ſubmerſi, dum Oleronenſes fugientibus portas occludunt, ueriti ne una hoſtes irrumperent. Dirimitur uerò fanum id Mariæ ab urbe Olerono, uicino fluuio. Ipſe Aurengius aliquot poſt menſes in Italiam naue actuaria uectus, ſordidaque ueſte de induſtria, quò facilius lateret, amictus, ab Andrea Doria exceptus eſt, & ad Palicium perductus, diuque captiuus in Gallia manſit. Diripuere quoque circa id tempus hoſtes fanum Ioannis Lucenſis, & uicum Viarrium, & agros Laburtium uicinos Baionenſibus. Parte alia Cæſar in finibus Galliæ Belgicæ,

per

per Henricum Nanſoum collectis plus quàm equitum octo millibus, peditũ uiginti millibus, Moſone urbe per deditionem recepta, Maſerias oppidum oppugnabat. urbs ſatis munita eſt, amnibus etiam prȩterfluentibus munitior. Sed ſuburbia, quæ eo tempore urbi æqualia erant, ab ipſis Gallis diruta, ne hoſti prædæ eſſent. Sunt urbi uicina loca excelſa, ex quibus emiſſa tormenta bellica uariè oppidanos terrebant. Miſſus eſt Petrus Terralius ad urbem tuendam: hunc ſecuti Annas Mommorantius, Turritus, & plures alij, qui quotidianis eruptionibus hoſtes fatigabant. Ipſe Baiardus caduceatori Nanſoi diſertè imperauit, ne ſub ſpecie deditionis impetrandæ rediret in urbem, ni parêret morte denunciata. Multi tamen opprimebantur globis æneis è ſuperiore loco emiſsis: in quibus parũ abfuit quin opprimeretur Franciſcus Braſſacus è Golardorum antiqua familia in Gadurcorũ finibus. Nanſous dum uidet acriter urbem defendi, caſtra aliò tranſtulit, ſeditione orta in caſtris à Germanis, aduentãteq́ Gallico exercitu, qui ad Atignium iam coactus erat, atque ita proximæ utrinque fuere copiæ, ut quodam die certum iam prælium ſperaretur. At Cæſariani Gallos fruſtrati in tutiora ſe loca recepere: conſtructis tamen ponticulis aliquot, progreſſæ cohortes aliquot Gallicæ, turmas aliquot hoſtiles relatis ſpolijs diſsiparunt impetu tormentorum: ubi Aymericus Spurius uulneratus, poſt paucos dies deſideratus eſt. Carolo quoque Borbonio aduentante, Hiſdinum receptum eſt. Paulò antea ſuadebat Borbonius, dum hoſtis Valentiæ obequitans cum copiolis inermibus conſpectus eſſet, impetus in eum fieret, nec tamen auditus eſt: ipſo Cæſare poſtea profitente, magno ſe defunctum periculo. Sed & is indignabatur Alenconium, cui Margareta Valeſia Regis ſoror nupſerat, primæ aciei præpoſitum: ſibiq́ multi falſò perſuaſere illum ideò authorem fuiſſe, ne Cæſar opprimeretur, quaſi inſidias hoſtiles uereretur: fuiſſeq́ deinceps eius animum à Rege alieniorem. Belgicum hoc bellum, quoniam ab exteris parum fideliter perſtrictum eſt, danda eſt nobis opera, ut res à principio quemadmodum geſta eſt repetatur. Caſtra fecit Rex ad Tignium uicum: ibi præfuit Alenconius cum Caſtillono tribuno militari, adfuit & Franciſcus Borbonius ſani Paulini comes, cum ſex peditum millibus, quibus dæmonum nomen inditum: Carolo Borbonio imperârat Rex, ut ex Aquitania, Boijs & Narbonenſi prouincia contraheret peditum decem millia, quadringentos equites cataphractos, ducentos equites leuis armaturæ: Vindocinenſi uerò ſeptem peditum millia, ex ea parte Belgicæ Galliæ cui erat præfectus: expectabat & quatuordecim peditum millia ex Heluetijs. Hæc ubi parata ſunt cum prætoria cohorte, aulicaq́ue familia armata, pluribusq́ machinis eò contendit: conuocauit concilium in uico quo-

dam Rhemis proximo: ibi decretum primam aciem duceret Alenconius: uel quòd proximus eſſet regi affiniſq;, uel quòd principio exercitui præpoſitus eſſet: refragante ſanè Borbonio, qui ſuas eas eſſe partes contendebat. Hunc ut placaret Rex, poteſtatem ei dedit imperandi in media ipſa acie, cui cùm Borbonio ipſe preerat, ſuasq; partes imperandi à ſe abdicare ſeſe profeſſus eſt: extrema acies Vindocinenſi tributa: Rex longius progreſſus prædabundus, certiorque factus, Carolum Cæſarem ad Valentianum deſidere, paucis milliaribus à Scalda amne exercitũ collocat, Pontonibusq; præparatis tranſportari iubet partem copiarum, iamque hi pedites, qui Borbonio Paulino attributi erant, in citeriorem ripam peruenerant. Cæſar Valentiano relicto longius ſeceſſit. Henricus Nanſous relictus qui coërceret Francos, is ut impeditos Francos in ipſa nauigatione interciperet, conſtituerat prima aurora eò accurrere. Sed accidit ut Germani tardius progrederentur, eoque ipſo die nubecula obſcurior id impediret. Iam Gallicæ copiæ in citeriorem ripam peruenerant, unà cum rege qui in armis erat. Alenconius & Caſtillonus cum prima acie ad Valentianum pergebant. Tum uerò diſertè imperauit Borbonio Rex, quæ ad prælium pertinerent iuberet: is iubet Galeoto Ienolaco machinas admoueat, inſtetq; Valentiano. Interea ex his qui ad Valentianum contendebant, certior fit adeſſe hoſtem: eſſe huic ad uiginti peditum millia; equitum duo millia, machinas decem. Interea dum ſe expedit Borbonius, ad certamen adeſt Pomperanus, quem comiter ille excepit. Iamq; enſe manu elato, concitato equo adcurrit ad regem, his eum uerbis affatus enſe altius elato: Here, hic enſis geſtit hodie operam tibi nauare egregiam. Cui Rex elato quoque enſe: Et hic (ait) non deerit: adeſſe & nunciat hoſtes, lætaturumque hodie qui mox diſſipatos ſit uiſurus, neque enim impari cùm eſſet numero, uel leuem Francorum impetum uideri poſſe ſuſtinere: accerſitoque Pomperano: hic, ait, Here, ſentiens fortium opera tibi hodie opus eſſe, deeſſe noluit, ut uitã quam tibi debet, tibi patriæq; tribueret. Petit autem, egoq; pro eo, condones ea omnia quibus à te alienior factus eſt; placabilemq; ei te præbeas. Cui Rex, Ego uerò tibi hominem condono: Cæterùm quæ ad prælium pertinent iubeto. Iamq; prodiebantur copiæ Gallicæ, nebulaq; diſcuſſa haſtæ hoſtium apparuere: itaque plures excurſione tentabant hoſtes elicere ad bellum. Pedites hoſtium ſiniſtra progrediebantur, equites dexra. Machinæ à Ienolaco emiſſæ, iam perturbare incipiebant ordines. hoſtiles machinæ, utpote leuiores, parum nocebant. Mirabatur Borbonius, indignabaturq; primam aciem tardius progredi, neque ſe loco mouere. Itaq; ex ſuis delecta turma fortiſsimorum equitum, rectà in hoſtes contendit. Palicius quoq; iam hoſti inſtandum uociferabatur.

tur. At Borbonius è medio curſu, imperio regis ſæpe repetito reuocatus eſt. Aymericus Spurius Nanſoum admonet actum eſſe, niſi mox deliberantibus interea Gallis, nec ſe commouentibus, ſeſe proripiat. Interea alij hoſtes in primam aciem impetum facere: alij ut radios ſolis obuerſos uitarent, loco ſe mouere aiebant: donec lõgius progreſſo pedite ſecutus eſt cum equitibus Nanſous, Valentianumq́ ſeſe proripuit. Aymericus interea cæſus fortiter pugnans, cæſiq́ equites aliquot ex hoſtibus, qui tardius progreſſi fuerant. Quo loco Aymericus cæſus eſt, caſtra fixa ſunt, dieq́ ſequenti rumor diſsipatus eſt, quaſi ægrè Valentiani Nanſoum excepiſſent. parati, ſi Galli ſecuti fuiſſent, deditionem facere: eodemq́ terrore percullos Duacos & Attrebates. Inde Boucherium oppidum cœpit Borbonius oppugnare cum quadringentis cataphractis equitibus, decem peditum millibus. Ciues, miſſo prius Hectore Borbonio Lauediano, & Ioanne Eſcartio Lauaugiono, deditionem fecêre. Die ſacro cælitibus omnibus, paucis milliaribus ab Attrebatibus caſtra locauit, nec tamen obſidendi animo. Quarto poſtea die, ſoluto exercitus robore, parte copiarum Borbonio attributa, inſtante iam hyeme, miſſus ille ad Hiſdinum oppidum oppugnandum. Fixit caſtra ad pratum uicinum urbi: admotis machinis, cum inciperent murum deijcere, oppidani per colloquia deditionem offerebant. Sed accidit petulantia militum, ut minimè exaudirentur, admotisq́ ſcalis ui in oppidum perreptarunt. Borbonius celeriter alia porta effracta in urbem perueniens, hortatus fortiſsimum quemq́ è ſuis, coegit in templum pueros & mulieres, & oppidanorum partem: preconioq́ edixit, adiecta capitali pœna, ne quis ex ijs qui ad templum confugiſſent uiolaretur, neue incendio urbs fœdaretur: qua tamen in re uix ſeroq́ exauditus eſt. Seceſſerant ex hoſtibus pleriq́ in arcem Hiſdinenſem: cui & ille machinas admouet, pernoctans, quo prius loco, ob rumorem diſsipatum de Nanſoi aduentu, Galiotus nihilo ſecius uoluere machinas cœpit. Poſt deiectum murum, uxor Rutij quę in arcem ſeceſſerat, miſit colloquij cauſa, qui orarent, pauliſper machinarum impetus differretur: futurum ſequẽti die, rogatis pręfectorum ſententijs, ut conditiones æquas ferret. Qui miſſus eſt, faceſſere mox iuſſus eſt, iactante Borbonio, futurum ut per muri deiecti ruinas arcem ui perrumperet. Illa deinde fide accepta, miſit Sucreum media nocte ad Borbonium, qui à Lauedano perductus ad Borbonium, his legibus deditionem fecit, Vt Rutij uxor cum ſuis incolumis efferret ſupellectilem omnem: equites, arma & equos: pedites bacillo albo manu elato incolumes abirent. Miſsi prima aurora Ludouicus Telignius & Lauedanus cum alijs aliquot equitum, qui obſeruarent, ne quid illa damni pateretur. Hos mox ſecutus Borbonius, cum Paulino, Vindocinenſi,

nenſi, Chabaneo, Galioto, deambulans extra arcem, ueritus ne quid miles in comitatum muliebrem moliretur, eductis omnibus, ſummo ſilentio in arcem ille tandem uenit, conſtitutaꝙ illius cuſtodia paucos poſt dies ad regem peruenit. Videri poterant illata utrinque damna æqualia, niſi Cæſariani, Tornacenſes, quos alij Neruios uocant, uictos recepiſſent, cum ſera auxilia aut nulla ſuperueniſſent. Libet hoc loco ueniam deprecari, ſi diuerſorum annorum menſiumꝙ monumenta uaria confuderim. Nam quæ de Gallis poſtea Mediolano pulſis proditurus ſum, quædam circa ea tempora, quædam antea contigere. At nos Gallica ſuo loco, extera ſeparatim quoque maluimus reddere, ne uellicatim aut ſaltuatim ſcribendo, lectorum animos impediremus. Rex cum integris copijs Burgundionum agros latè populatus eſt: paſsim uillæ exuſtæ, corrupta ædificia, arbores exciſæ. Domus ipſa in quam rex diuerterat, ob hoſpitæ nobilis preces, quæ genibus eius aduoluta incendium deprecata fuerat, cuiꝙ parcendum rex iuſſerat, à pueris aulicis (ut ſunt ad omnem petulantiam educati) dum uix rex ocreatus equum admiſiſſet, incenſa eſt. Talibus incendijs initium hoſtes dederant. Fuerant enim Albentini ab ijs direpti, oppidum incenſum, contrucidati oppidani, omnia cæde, ſtrage, flamma permixta: inuſitato more ſæuitum in pueros ad cunas uagientes: ſacerdotes aliquot aras tenentes, pueri ijs miniſtrantes iugulati, cum pauci è latebris & cineribus oppidi, quaſi elati iam & uſtulati ſemineces inde ſeſe proripuiſſent. Burgundi & Germani enſe ſuccincti, & ignem gerentes, ut cuique expoſito loco occurrebant, quà ſacro, quà profano, ita bellum aggreſsi & exorſi: efferatiores inſolentioresꝙ facti hoſtes, ignauia ſtationis unius, quæ hoſti dedit manus ad Moſonum oppidum. Leo Pontifex qui ſpe pacis uana lactauerat regios legatos, bello etſi non indicto, tamen iam decreto hoſtis erat Gallo. Immutatus eſt is à Iulio cardinale Medice: qui, etſi multis acceptis & pecunijs & præfecturis eccleſiaſticis regi amiciſsimus eſſe debebat, Cæſari tamen totum ſe tradidit, accepta penſione annua decem millium nummûm aureorũ Hiſpanicorum, qui ducis nomine inſigniri ſolent: adiectumꝙ, uti Parma & Placentia ad Leonem redirent, augeretur penſio regni Neapolitani. Cæſar ſcripſit ueritum Leonem, ne uires Gallicæ augerentur, ſecum in fœdera ueniſſe: obtendebat Leo Pontifex præfecturarum eccleſiaſticarum prouentus, in Mediolanenſi ditione occupari à Gallis, irritis põtificijs codicillis, idꝙ Manaldi Tarbellorum pontificis improbi & ignari hominis temeritate: cuius conſilia, ut & Sanctoſtephani, Lautrecus pro oraculis ſectabatur. Hæc clàm: addebat etiam, multa Gallos arroganter præiudicare, reuocareque ad ſuum arbitrium, oppreſſa pontificia maieſtate & dignitate: palàm Italiæ libertatem perſonabat, concipie-

batꝙ

batq́; animo pulſis Gallis maiora, ne ab ipſo quidem Cæſare, aut Franciſco Sfortia, cuius iactitabat reſtitutionem, ſuccedentibus rebus temperaturus. Coniunctis uiribus Cæſaris, Pontificis, & Sfortiæ, bellum erat gerendum. Proſperum Columnam equitatui, peditatui Ferdinandum Daualum Piſcarianum præpoſuere: Federicum Gonzagam adiunxere pontificijs copijs, Hieronymo Adurnio interea nauticis copijs præpoſito. Paulò antea Lautrecus, qui Mediolano præerat, in Galliam redierat, relicto Thoma Fuxeo Leſcuno fratre prorege: Hic à Federico Gonzaga certior factus eſt, exules Mediolanenſes res nouas moliri. Gabriel Venetus, uir magni animi ſummaq́; prudentia, admonebat Leonem, bellica ea conſilia prima ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia eſſe: adeſſe Gallicos legatos: dum integra omnia eſſent, uerbis potius ſopirentur controuerſiæ, quàm Italiam, Galliam, Hiſpaniam ad funeſtum armaret bellum. Cogitaret potius de Turca labefactando: in quem niſi mucronem pontificium exacuiſſet, parum piè in reliquos uerti arma. Futurum id ei ſpectaculum iucundum, qui uideat unius corporis duas acies laniſta Pontifice dimicantes: eò ne recidiſſe tot annorum magnificas pollicitationes, quibus ſubigendi eſſent Turcæ, ut repentè ſignum belli ab ipſo Pontifice, in Chriſtianorum mutuam perniciem proponeretur? An non iure Galli dubitare poterunt, queriq́; non eſſe apud nos arcem religionis, non oraculum pacis, non Senatum illum pacificum, commendatæq́; & ſanguine diuino ſancitæ pacis authorem? At arcem diſcordiæ, faces bellorum, armamentarium commune, unde Reſpublica Chriſtiana conſilia bellica deprompſerit? Eniteretur potius ut cœtum piorum, quem uanis quibuſdam opinionum quaſi fluctibus iampridem agitatum, tuendum ſuſceperat, in tranquillitatis portum perduceret, non bellum indiceret ſanguinolentum. Et mouiſſet Leonem prudens hominis conſilium, ſed is Iulio Medice omnia adminiſtrante parum ſui iuris uidebatur. Leſcunus ueritus ne exules res nouas molirentur, abſente fratre Rhegium adijt. Prærat iuſſu Pontificis Rhegio Vidus Rangonius: cum eo Leſcunus expoſtulat de exulibus receptis præter fœdus. Dum tempus protrahitur diuerſis altercationibus, ab Alexandri Triuultij militibus, qui cum Leſcuno uenerant, impetus fieri cœptus in oppidanos: at hi leuibus aliquot machinis emiſsis Triuultianos compreſſere: ipſe Triuultius pila plumbea ictus, poſt aliquot dies occubuit. Leſcunus cum retineri poſſet à Rangonio, emiſſus eſt. Rumor interea percrebuit, Leſcunum captum, deletas turmas, quæ eum ſecutæ fuerant: resq́; parum abfuit à ſeditione, perterrito Senatu Mediolani, ni Leſcuni aduentus timorem omnem diſcuſiſſet. Eoq́; tempore Mediolani arx Iouis de cælo tacta eſt, non ſine ſtrage Gallorum. Manfredus Palauicius

raptim

raptim Germanorum copijs in gratiam Franciſci Sfortiæ eductis Como imminebat, ſperans ab ijs cum quibus prius conuenerat, orto tumultu, loco ſe potiturum. Como præerat Gratianus Garrus Aquitanus, quem licet ut nouum hominem multi prætereant, gentilitate tamen Grandimontanis coniungebatur. Is cum urbi proximum Palauicinum reſciſſet, atque de uia feſſos Germanos in locum uicinum conſediſſe, ut ex uiæ labore relaxarent animos, cum turmis aliquot Aquitanicis urbe tacitè egreſſus, in eos impetum facit, nactusquè imparatos, palantes facilè diſsipat. Palauicinus ut erat locorum peritus, per montes fuga elapſus, defunctum ſe tanto periculo exiſtimabat, ac iam cum Germanis qui ex fuga ſuperfuerant, agitabat de bello renouando. Garrus ſubductis rationibus, admonitus à peritis locorum, montis fauces eò celeriter actuarijs nauigiolis uectus occupat, eoq; contendit quò Palauicinum peruenire neceſſe erat. Celeritatem iuuit rei euentus, deprehenſum hominem unà cum Ioanne Stulto comprehendit: Germanis ad ſuos reditu permiſſo, reliqui maieſtatis damnati capite luère. Eius indicio decreta quæſtio in Chriſtophorum Palauicinum, cuius rei ille non ignarus ſuadentibus amicis, fugæ conſilium neglexit: & hunc aiunt in arce aduentantem Leſcunum ultrò excepiſſe, non ignarum quam ob cauſam adeſſet: ut Lucæ Ogo Scoto peditum ductori, qui eò nocte à Leſcuno præmiſſus fuerat, ignarusq; eſſet quam ob cauſam eò miſſus eſſet, dixerit, immeritò fidem ſuſpectam Gallis. Comprehenſus eſt & alter, qui ſanguine cohærebat Palauicinis: qui quotidie loricatus ſatellitioq; ſtipatus ad ſalutandum Leſcunum uentitabat: qui ubi ſenſit prætoriam adeſſe cohortem quæ inijceret manum, chlamyde abiecta, parum abfuit quin ſequentes fruſtraretur. Huic aiebant certum fuiſſe cum ſuis in Leſcunum impetum facere, eumquè occidere. Multæ quoque ad Pontificem profectæ legationes dicebantur à potentioribus, & Triuultijs ipſis, qui & ipſi ueniebant in ſuſpicionem, eſſe demorati Leſcunum ne longius in hoſtes uagaretur. Quam ſuſpicionem conſecutæ res aliquot auxerunt maximè, quòd ſe ueluti clientes aliorum tacitè profiteri uidebantur. Res erat in ea opinione, ut hoſtes domeſticis inſidijs Mediolano ſe potituros non deſperarent. Cribelli iam & Caymi copiolas in agro Mediolanenſi contra Regem collocârant: creſcebat in dies numerus: hos ne ſe commouere poſſent diu obſeruatos, multos & firmis præſidijs accerſitis, repentè idem Garrus oppreſsit. Authores tumultus fuga ſibi conſuluere: apparatus belli direptus & à Garro abductus eſt. Conflato iam bello Mediolanenſi, Lautrecus Mediolanum redierat. Non defuere qui Lautrecum & fratrem cogitaſſe dicerent, quo pacto Triuultiorum & Palauicinorum agros maximos & feraciſsimos, uillas, caſtra, oppidula in ſuos

quæſtus

quæſtus conuerterent. Et Mediolanenſes parum iam Gallis æquos fuiſſe, ob impetus aliquot direptionesq́ue nocturnas factas in domos ciuium aliquot opulentorum, partium inuidia, Menaldi Pontificis conſilio, à Leſcuno abſente fratre. Vnde in domum ſuam ingentem pecuniam auarus Pontifex auertit. Fama eſt Leonem decimum Palauicino affinem fuiſſe, certè pro eo interceſsiſſe eo animo, ut rem ſuam agi diceret: nec ceſſaſſe galerum purpureũ offerre Menaldo, quem gratia multum ualere ſciebat apud Lautrecum, modò ex reis eximeret Palauicinum. Fuiſſe Lautrecum, ut nemo naſcitur uitiorum expers, natura acerbiorem, & ægre à ſuſcepta ſententia qui diuelleretur. Itaq; ſpretis pontificijs promiſsis, in reum lege agi iuſsiſſe: unde in Gallos Pontifex inexpiabile odium conceperit. Quod ſi in Galliam reum miſiſſet, aut liberali cuſtodia habuiſſet, mitigari potuiſſe Pontificem, qui reo damnato, Gallis apertiſsimus fuit hoſtis. Atq; eo pacto culpam amiſsi Mediolani in Lautrecum conferunt: ignari prorſus & conſiliorum pontificiorum & Gallicorum: quippe aliquot antè menſibus quàm Palauicinus comprehenderetur, & fœdus inierat Pontifex cum Cæſare, clanculum tamen, & Pontificiæ Cæſarisq́ue copiæ iam agrum Mediolanenſem infeſtabant: nec de Palauicino ſumptum eſt ſupplicium donec eorum copiæ Mediolano proximæ eſſent: quod & die octauo poſt ſumptum de eo ſupplicium captum fuit. Iam Cæſaris Pontificisq; copiæ Parmam peruenerant. Ad eam tuendam prius Lautrecus miſerat Thomam Fuxeum, Leſcunum fratrem cum alijs aliquot Scotorum & Gallorum, peditéq; Aquitanico. Vaſta urbs maiore numero cum indigeret, accerſit ad ſe Leſcunus Federicum Gonzagam Boium, qui cum lecta Italicorum peditum manu aduolauit. Sed cùm plures ex ijs ad hoſtes tranſirent, conſilium uterque inijt de omnibus opprimendis. quod illi animaduertentes, repetito iureiurando Leſcuno, receperunt urbe ſe non exceſſuros. Atque eo tempore plus quàm trecētos, cùm nomina omnes edidiſſent, deſiderare ſe ex eo numero quem adduxerat, fatebatur Boius. Ferdinandus Daualus circa portam Placentinam admotis machinis ſternere mœnia Parmæ non deſinebat, ut iam aditus patefactus ad irruptionem uideretur. Itaq; hortante eodem Daualo, Cæſariani Pontificijq; in foſſas ſenſim progreſsi, tentabant per ſtratum murum irrumpere. Leſcunus temeritate eorum animaduerſa, emiſsis leuibus tormentis in foſſas rurſus omnes præcipitat. Ita multis cæſis, iniquo ſe loco tormenta admouiſſe deprehendebat Daualus. Proſperi Columnæ conſilio admouentur tormenta ad propugnaculum eruendum, quod erat circa inferiorem murum: ita factum ut intra octauum diem conuulſo propugnaculo, cùm tormentis præfecti aſsiduè globos æneos in id ſolerter immitterent, aditus ad irrumpen-

dum commodiore loco pateret. Erat id propugnaculum ſatis munitum, cæterùm diuerſis locis concauatum atq; apertum, ad bellica tormenta commodius emittenda: & liberatores hoſtium dum in ea loca aperta dirigunt tormenta, nec ſulphureo apparatu abundans Leſcunus incertis ictibus audet terrere hoſtes, factum eſt ut propugnaculi uis concideret. Fluuius ita mediam ciuitatem diuidit, ut undique muris ſeptus uoluatur: ita quando & uis hoſtium imminebat, & ægrè uaſta urbs omnino ob præſidij paucitatem retineri poterat, Leſcunus trans fluuium, ſubductis tormentis, cum ſuis ſeceſsit, ab ea interea parte quæ munitior erat uim facilius depulſurus: paſsimq; uniuerſa ripa collocatis militibus, alueum tuebatur, conciſis pontibus quibus eò perueniri poſſet, uallo, cratibus, dolijsq; undique ripæ adiectis. Hoſtes direpta uacua urbis parte ad reliquam uim parabant, machinisq; emiſsis fortiſsimum quenque è Gallis ſternebant, in quibus fuere & Carolus Montacutus Aquitanus Agennenſis, dum incautius murum ſubit, & Lucas Scotus, & Ludouicus Auerus Baionenſis: quorum morte Leſcunus perturbatus eſt, ut ei quidem tredecim diebus continuatis unà noctibus, circa ripam excubandum fuerit, fruſtra interea hoſtibus uim admouentibus, tametſi à latere uariè tormenta Daualus admoueret. Galli uigilijs confecti animos iam deſpondebant. Lautrecus ad fratrem miſſo Carbone Saiaſo homine impigro, per eum fratrem admonebat ut uirum ſe præſtaret, ne concideret animo, auxilia ulla ne expectaret, meminiſſet quem in locum progreſſus eſſet, idq; clam: palàm uerò admonebat epiſtola ſcripta, quam de tribunali militibus legi iubebat, ſeipſum mox cum lectiſsimis copijs adfuturum. Atque ut inijceret ſpem auxilij, hoſtesq; terreret, Cremonam peruenit, ſtipatus equitatu Gallico & Heluetijs peditibus: iamq; ad Sanctoſecundum oppidulum tranſierat, perſonantibus omnium uocibus quaſi ad Parmæ ſoluendam obſidionem: mittebat tamen Petrum Pictonicum Sanctoualetianum cum mille quingentis peditibus Gallicis è Narbonenſi prouincia, Delphinatiumque finibus. Quæ cauſa fuit ut Proſper & Daualus, ſoluta obſidione, raptiſsimè inde ſe proriperent, Leſcunusq; adeuntium trepidationem ſentiens, urbe erumpens, & plures oppreſſerit, & una machina ingenti, quæ ſegnius auehebatur potitus, in urbem redierit. Interea opera Matthæi Cardinalis Sedunenſis cohortes aliquot Heluetiorum ad pontificia caſtra peruenêre: hi cum in Gallos non eſſe ſibi bellandum dicerent, miſsi ſunt in Ferrarienſem, qui Mutinæ & Regiolepidi imminebat. Venit & in caſtra Iulius Medices unus è purpuratis pontificijs, qui poſtea Pontifex deſignatus Clemẽtis nomẽ tulit: qui quòd adoleſcens Rhodiorũ militiam ſecutus fuerat, rei militaris non imperitus habebatur:

frater

frater uerò patruelis Leonis cùm haberetur, arcanorumq; omnium moderator, magno plauſu exceptus eſt. Hunc plerique reptitium & temerè inſitum familiæ Mediceæ, quos eius uiri odium ceperat, affirmarunt: unoque ex Mediceis fratribus ſubmerſo, confictis quorundam teſtimonijs, ut ſubmerſus pro ſpurio pronunciaretur, operam dediſſe, ipſum ſeſe pro legitimo aſſeruiſſe: quæ ut uaniſsimè conficta plerique riſere, educati unà cum eo. Interea hoſtes ad Caſale maius ponte copias traijciunt: obſeruabatque Lautrecus eorum iter, traiecto Ollio & Abdua. Poſuere Columna & Daualus caſtra ad Robechum iuxta Ollij ripam, minus commodè. Id cum ſenſiſſet Lautrecus, re tantum cōmunicata cum Franciſco Maria, qui Venetis copijs præerat, & Antonio Columna, & Leſcuno fratre, ipſe in craſtinum diem prima uigilia admotis copijs, parte una hoſtes inuadere parabat: parte alia è pōteuico machinis emiſsis ita erat hoſtes impetiturus, ut ſine iactura ullius certam omnes ſibi ſponderent uictoriam: patebant enim hoſtes tormentis bellicis, atq; ita imperitè caſtra fixerant, deploratam ut oporteret eorum ſalutem. Fama eſt aut ab Vrbinate, aut Venetis, quos Vrbinas mouerat, hoſtes admonitos, repentè caſtra mouiſſe: nam & Veneti illis receperant nihil eo loco hoſtile uererentur, ac dum res acceleratur, machinis Gallicis non ſuis impeti hoſtes uolebant: Lautreco ea ſimulatione ita commoto, ut Veronam Brixiamqúe cùm illi adiunctis Gallicis copijs reciperent, ſe ipſo Gallicarum copiarum ductore nunquam latas à Gallis tales conditiones exprobraret. Hæc ſicut expoſui, ita geſta eſſe audiui, referentibus integræ opinionis nobiliſsimis equitibus, qui eo tempore ſub Lautreco meruerant. At exteri ſcriptores ita hac in re parum ſibi conſentiunt, ut contraria eorum ſcripta multum ab eis gratiæ patriæqúe datum oſtendant. Alij enim ita narrant: dum ad Robechum occurrentes hoſtes non detrectant certamen, Lautrecum ad conſilium de pugna retuliſſe: duces Gallicos & Franciſcum Mariam Heluetiosq; omnes pugnam decreuiſſe, paucos alios diſſenſiſſe: quid enim fruſtra belli aleam tentarent, cùm fuſis his copijs mox hoſtes ſint Mediolano potituri, qui facilè alia uia diſtineri poſsint: fieri poſſe ut interea dilabantur hoſtiles copiæ: ducendum bellum: ſua mox mole ruituros hoſtes. Atque huius ſententiæ authorem uolunt fuiſſe Petrum Nauarrum, cuius unius ſententiam Lautrecus peſsimo exemplo ſecutus ſit: narrantq; eum multorum ſententias exquirere ſolitum, quodqúe pluribus diſplicuiſſet, quaſi unus ipſe ſaperet, plerumq; ſecutum. Docent uerò morum magiſtri ex incontinentijs eam ſanabiliorem eſſe, qua atra bili impediti uti conſueuerunt, quàm eam quę eorum eſt qui conſultant, ſed poſtea tamen in ijs quę conſultarunt non perſiſtunt. Alij narrant admonitum ab Vrbina-

te & Columna Lautrecum, quàm incommodiſsimè ſita eſſent hoſtium caſtra: miſſum ab eo Cardonum ad loca intuenda, eoquè transferenda tormenta: illum moræ impatientem, qui conſilium tegere debuiſſet, leuius tormentum in caſtra hoſtium emiſiſſe: territos hoſtes & Venetorum pollicitationibus diffiſos, qui ſalua omnia recepiſſent, repentè caſtra mouiſſe. Vtcunque ſit, Lautrecus in fugientes hoſtes, alas aliquot equitum cum Leſcuno fratre, Ioanne Bonauallio, Ioanne Chabaneo, Palicio, cui Vandeneſij cognomen erat, propere emiſit: hi multis conciſis, cum fruſtra Daualus cohortes aliquot peditum circa foſſas & uirgulta in inſidijs collocaſſet, ſubmittente Lautreco Pontiremium & A. Columnam, cum recentibus equitibus ita hoſtes oppreſſere, parum ut abfuerit quin ipſum Proſperum temerè extra ordines inuectũ interciperent, ex Ioannis quoque Medicei ala uix uiginti illæſi redirent: quanquam non ignarus ſum qua fide hæc ab alijs relata ſint. Lautrecus deinde ad Bebriacum hoſtes ſecutus, caſtra poſuit: hic commodiore loco caſtra collocârant, eaq́ue uallo foſsisq́ue munierant integra nocte: ita Proſpero Columnæ munitiones urgente, primus ut foſsis æquandis operam daret ad excitanda aliorum ſtudia. Non eſt uiſa ratio Lautreco, cur periculoſo loco fruſtra prælium committeret: tãtum aliquot horis equeſtre prælium factum, æquoq́ue certamine diſceſſum eſt. Bernardus tamen Caunaus Aquitanus, familia nobili Caunea, haud longè à fano Seueri, & Montaldo, & quidam alij emiſsis machinis deſiderati ſunt. Lautrecus Pontiremium & Hugonem Pepulum miſerat, uti clauſtra Sebini amnis occupantes, tranſitu arcerent hoſtes aduenientes. Erãt hi Heluetij, qui neque hac neque illa parte parum fideles, uelut licitatione auctioneq́ue propoſita, ad hoſtes tranſierant. Proſper & Daualus cum integris copijs redeunt ad Ollium: Lautrecusq́ue miſſo Leſcuno ad Sebinum lacum, leuem hoſtium armaturam temerius uagantem oppreſſerat, eo loco cui Carauagio nomen eſt. Rurſus Lautrecus eis Abduam cum integris copijs redijt, traductisq́ue nauibus omnibus in ulteriorem ripam, uarijs munitionibus, diſpoſitisq́ue undique militibus & machinis iuxta ripam, Cæſarianos Pontificiosquè tranſitu arcebat. At illi Franciſci Moroni Mediolanenſis conſilio, cimbis aliquot piſcatorijs repertis in Brando fluuio, qui per Bergomatum campos fluens in Abduam ſe præcipitat, ad Vaprium traijciunt. Munierat Lautrecus uaria loca circa ripam, & ad Vaprium, Hugonem Pepulum cum ala Italica reliquerat, qui & tranſitu arceret hoſtes, & celeriter ſi res exigeret, admoneret Gallos tranſitus hoſtium. Hunc omnes fatentur ſerò uigilum incuria excitatum, ut iam occupata ripa domibusquè uicinis, cum illi magno numero traiecisſent, impar eſſet eis pellendis. Tardè excitatus Pepulus, tardius Lautre-

Lautrecum monuit quo ſtatu res eſſent. Mittit tamē cum delectis equitibus Leſcunum & Palicium iuniorem, unà cum machinis aliquot. Daualus cohortes aliquot ſubſidio ſuis tuendis & Rhetorum & Hiſpanorum ſubmittit, delecto impigro quoque eorum qui periti habebantur uoluendarum leuium machinarum. Concurrunt Galli hortante Leſcuno acerrimè: relictis equis peditum munia implent: multisqꝫ ex ijs qui traiecerant cæſis, Vaprij eos area excludunt: igne iniecto in domum, in quam Hiſpani ſeſe receperant, multos ſeſe præcipitare cogunt. Et prorſus eo die conciſæ eſſent hę copiæ, ni Ioannes Medices, qui cum recentibus traiecerat, iam Hiſpanos, Italos, Rhetosqꝫ terga uertentes ad prælium accendiſſet. Venère & Leſcuno ſubſidio cohortes aliquot Aquitanicæ: ſed Medicei & Hiſpani globis æneis fortiſsimum quemque ſternebant: & Leſcunus dum in celeritate omnia ſita putat, machinis relictis prælium accelerarat: quę ſi adfuiſſent, hauddubiè afflictas deploratasque res hoſtium oportebat. Leſcunus à Theceno Rheto haſta impetitus, parum abfuit quin abduceretur, ſuorum tamen uirtute ſublatus eſt. Palicio iuniori equus ſuffoſſus eſt à Mediceo equite. Gratianus Luſſus ſpurius è Luſſorum, qui & Luxi uocātur, familia, & Cardonus uicinus Belnenſibus Aurelijs cæſi ſunt. Benedictus Dorſius Belnenſis ingenti romphæa, quam ambabus manibus undique uibrabat in perniciem hoſtium, Caponio & Serralio Hetruſcis, & Martingo Nouarienſi obtruncatis, multis quoque uulneratis, à Sconcino Aretino & ipſe necatus eſt. Leſcunus ubi aduerſa omnia uidet, receptui canit, ad fratrem ſe recipit, nemine ex hoſtibus ſequente. Lautrecus mutato conſilio Mediolanum redijt, urbe hoſtes prohibiturus. Heluetij quotidie dilabebantur, confluebant ad hoſtes, in dies ſingulos copiæ eius minuebantur: & pręter peditum Delphinatium & Aquitanicorum paruum numerum, equitesqꝫ Gallicos, qui multis menſibus nulla acceperant ſtipendia, pauci exteri ſub eo merebant: exceptis Venetis, quibus partem Mediolani coactus eſt committere. Hoſtibus uerò Matthęus Sedunēſis Cardinalis recentes Heluetiorum plures cohortes adduxerat: ipſeqꝫ cum Iulio Medice Cardinale in perniciem Gallorum uariè eos acuebat, ſanctius uterque operas ſuas daturi ſacris ſuis, nec eas, ni mens uana occæcaſſet animos, eò collaturi. Lautrecus, ne Mediolani ſuburbia hoſtibus prædæ præſidioqꝫ eſſent, uſus Andreæ Griti Veneti conſilio, incendit. Iam Cæſariani Pontificijqꝫ Mediolano proximi erant: dubitantibusque quo ſtatu res eſſent Gallicæ, fama eſt ab obuio ruſtico, quaſi deploratas res Gallicas aſſereret, accenſos maturaſſe iter. Periculoſum illis uidebatur, ſpatium confirmandi ſeſe Lautreco dari. Præmiſſus eſt Daualus cum leui armatura & cohortibus aliquot Hiſpanicis, uenitqꝫ ad

locum quem Vigentinum uocant: huic loco Venetos præſidio reliquerat Lautrecus, cum Grito & Theodoro Triuultio. Veneti mox irruentibus Hiſpanis, uelut panico terrore perculſi, undique armis abiectis munitiones deſeruere. Triuultius uilloſa domeſtica q; ueſte amictus, mulæque inſidens capitur. Gritus cum integra ala equitum fuga ſibi conſuluit, priuſquam ad iactum teli ue niſſet. Lautrecus diris deuouens Triuultij Gritique & ſocordiam & dubiam toto hoc bello fidem, ad arcem cum equitatu reliquiſque copijs peruenit: ac conſtitutis rebus arcium Comum traijcit copias, relicto eo loco cum præſidio Palicio, Vandeneſio, & Bonauallio, inde Leucum peruenit. Triuultius cum liberaſſet ſe, ut aiebant, ingenti pecunia, deinceps eius opera minimè uſus eſt. Hoſtes potiti ſunt Mediolano rapinis omnia fœdantes: opera quoque Marij Montani Papienſis Pontificis, Papia mox ab eis recepta. Lautrecus Leſcunum fratrem mittit ad Cremonenſes in officio continendos: hi paucitatem Gallorum irridentes, urbe Gallos excludebant: accerſierant enim Nicolaum Verolum cum quatuor exulum millibus, foſsisq; ille præaltis & aggeribus urbem munierat. Venit Leſcunus in uicum non longè à Cremona, cui Poſſayo nomen, ibi equos ſarcinasq; relicto Aquitanico prӕſidio collocat: contendit deinde in arcem Cremonenſem, cui præerat Bunonus, Gallicus eques. Eſt medius locus inter arcem & urbem, hunc hoſtes palis, aggeribus, dolijs uinarijs undique ſepſerant. Gallici Aquitanicíq; equites nihil aggeres ueriti, quidam in Cremonenſes proruperant: plures remiſsis equis, peditum munere functi ſunt. Ita diſiectis aggeribus, Cremonenſes & exules coguntur in aliam urbis partem: è tectis tamen picem, lapides, Græcumque ignem iaculantes, Leſcuni impetum morabantur. Erat ille æquiſsimus Cremonenſibus: nam rebus florentibus eum obſeruārant, in eius clientelam recepti fuerant, multis indictionibus liberati. Itaque ſe in arcem recipit, caduceatorem mittit, qui eos admoneret, uiderent quò progrederentur: recreati illi Leſcuni aduentu ad deliberandum conſilium petunt in ſequentem diem. Leſcunus unius demum horæ ad deliberandū dat ſpatium, uim poſthac denunciat. Latæ ſunt ab eis hæ conditiones, Fraudi ne cui eſſet Cæſarianos ſecuto: Verolus cum ſuis incolumis urbe abiret: Galli reciperentur. receptis conditionibus additum, aleretur Regius exercitus. Ita recepta Cremona. Sed accidit perincommodè ut Federicus Bozulus, quem cum præſidio Parmæ reliquerat Lautrecus, Parma excederet, commiſſa urbis cuſtodia Roberto Sanſeuerino nepoti. Is gratiam initurus apud Leonem affinem, mox Alexandrum Vitellium & Hieronymum Columnam è Placentia euocatos, in urbem recepit. Huius ignauiam quò pleriq; tegant, referūt duos equites loris equos trahentes, prætextu in officinam eos fer-

rariam

rariam abducendi, portæ irrepſiſſe, cuſtodes necaſſe: reliquos qui proximi erant, mox adcurriſſe, urbeque potitos. Federicum à Lautreco è Parma euocatum, dum putat Lautrecus maioribus copijs opus eſſe ad Cremonenſes in officio continendos, urbe exceſsiſſe. Mox alijs ſcriptis literis eidem imperatum, urbe ne moueret: ſi mouiſſet, eò rediret: uix Bozulum urbe fuiſſe egreſſum cùm hoſtes urbem occuparint. Plane Lautrecum conſtat acriter in Bozulum inuectum, qui adoleſcenti urbem commiſiſſet, nec à ſe euocatus ueniſſet: interea urbem Sanſeuerino reliquiſſet, cui nupſiſſet Leonis Pontificis ex ſorore neptis. At ille ita ſibi Deos propicios obteſtabatur, itaque obtingere ab his quæ exoptabat ſibi, ut nunquam ſciens commeruiſſet, merito ut ſuo Lautrecus ei ſuccenſeret: firmaſſeque ſibi Sanſeuerinum fidem, ſalua omnia Gallis futura. Hæc flagitia facturum eum atque admiſſurum indigna genere ſuo, nunquam eum niſi expertus eſſet crediturum. Interea Daualus pergit ad Comum Gallis extorquendum. Como præerat Palicius Vandeneſius. Hoſtes admotis machinis bellicis ad turrim ad Septentriones ſpectantem, eam ita quatiebant, ut iam irruptio in urbẽ parata uideretur. Enimuero imminebat foſſa eo loco aquis referta, & è propugnaculo uicino emiſſæ machinę in dextrum latus, Nicolaum Valentinum, Alphonſum Peraltam, Carolum Errium Hiſpanos conciderant, dum audacius qua parte irruptio tentanda ſit, excutiunt. Palicius quoque crates, palos, dolia, circa ruptos muros diſpoſuerat: infrà quoque munitionibus confectis, quibus illæſi eſſent ab hoſtium pilis æneis, inſtar grandinis undique ex hoſte prodeuntibus, qui præſidio relicti erant. Eas munitiones cùm uariè immiſsis tormentis Daualus concidiſſet, emiſsis tamen ex urbe machinis uim admouere dubitauit: Gallici enim equites ultro peditum munere fungentes, magno animo locum tuebantur, alijs dolijs rurſus oppoſitis. Sed ſulphureum omnem apparatum iam Palicius conſumpſerat. Itaque per Petrum Foreſium admonet Lautrecum, ni ſulphureo apparatu iuuetur, loco hoſtes potituros. Mittebat abunde neceſſaria omnia è Leuco Lautrecus per Larium lacum. At Daualus delecto fortiſsimo quoque, Ludouico Guſmano miſſo, eum omnem apparatum intercepit, ipſo tamen Guſmano, dum incautius in nauiculam Gallicam inuehitur, necato. Hoc incommodo accepto, nulla iam Vandeneſio conſultatio reliqua, quàm de urbe æquis conditionibus dedenda. Has cupidiſsimè accepit Daualus, conceptis uerbis, ritu maximo adhibito, palàm iurauit Comenſibus ſalua omnia futura: Gallos cùm armis impedimentiſque omnibus palàm uexillis elatis incolumes abituros. Iam Comenſes in uerba Cæſaris iurarant: Galli inſtructis copijs urbe maiore ex parte ceſſerant: ipſe Vãdeneſius humaniſsimè cum Daualo colloquebatur, cùm repẽte Hiſpa-

tè Hiſpanus miles, & Gallorum et Comenſium impetu facto fortunas miſerè diripit. Vandeneſius purganti ſe Daualo, Hęc ne (ait) fides? Nec plura locutus, ad Lautrecum, diripiente urbem Hiſpano, peruenit, prouocans mox ad ſingulare certamen Daualum, qui fœdere uiolato, & Gallorum & Commenſium res diripiendas Hiſpano militi dediſſet. At ille culpam in milites transferens, iuriſperitorum uſus conſilio, & uerboſa ſimulatione prudentiæ, quaſi ille ex iure manum conſereret, ac non potius perfidiam ferro expiaturus eſſet: perfecto demum bello duellum ſe ſubiturum reſpondit. Proſper Columna aut in milites animaduertendum tanto ſcelere patrato, aut duelli leges accipiendas ſuadebat. alioqui futurum ut ea animi labes, nec diuturnitate uaneſceret, nec manibus ullis leguleiorumúe cauillis, aut formulis & actionibus exceptionibuſque elui poſſet, ut nec translatione criminis. Sed neutrum à Daualo impetrari potuit, ſibi non conſcio, quem paſsim & exteri & Gallici ſcriptores culpa liberare uidentur. Interea defuncto Leone decimo Pontifice, uel ueneno uel pituita, deſignatus eſt in gratiam Cæſaris, cuius tum uenti ualde ſecundi erant, Adrianus Sextus. Lautrecus conſternatis morte Pontificis Cæſarianis, Bonouallium cum Federico Bozulo & Antonio Columna mittit ad Parmam tentandam. Hanc iam Pontificij ualidis præſidijs munierant: itaque cum aduectæ non eſſent machinæ uanus fuit conatus, nuntiato præſertim Proſperi aduentu, qui ſe iam accingebat ad urbem tuendam, ut uano rumore diſsipatum erat. Iam Lautreco in mentem nihil uenire poterat nō modo quid ſperaret, ſed quid optaret. Nam Heluetiorum opera ægrè toto eo bello utebatur, quippe qui nec Parmam nec Cremonam adire uoluerint: ſolicitatiq; à Pontificijs, quaſi ſub hac exceptione euocati eſſent pro Rege ſe militaturos, non tamen in Pontificem palàm iactitarent. Eòdem accedebat, quòd exploratorum aut nulla aut minus fideli opera utebatur prudentia Proſperi Columnæ. Nanque is cunctator inſigni ſilentio conſilia ſua tegebat: ſeque cùm moturum minime quis putaret, repentè paratus uiſebatur. Idem Lautreco pugnæ copiam faciente ita aciem inſtruebat, ut inuitus ad prælium, niſi ſuperiore eſſet conditione, cogi non poſſet. Niſi quid à prætereunte uiatore exceptum eſſet, aut perfido transfuga, ſcire nihil poterat. Dolebatque Lautrecus omnibus ſe uentis inuidiæ in aula regia circunflari: inculcatumque fuiſſe Regi Palauicinum damnatum non ritè, moréque maiorum decreta quæſtione: non hoſpitij ius atque nomen à cupiditate Leſcunum ad partem humanitatis reuocare potuiſſe, quin eius arces exhauriret & exinaniret refertas rebus omnibus. Ad ea purganda mittit in Galliam Leſcunum fratrem, ſimul ad noua auxilia paranda. Parte alia Cæſariani & Sfortiani Alexandriam & Nouariam expulſis

& Nouariam expulſis Gallis receperūt. Rex Renatum Sabaudianum præfectum prætorio unà cum Palicio iuniore ad parandas copias ad Heluetios miſit: hoſtiumquè copiæ prius aduenientibus ſeptem Germanorum millibus auctæ ſunt: his Georgius Franiſperus præpoſitus eſt, homo eius gentis imprimis nobilis. Et quaſi omnia Gallis infeſta eſſent, niuibus quæ in montium cacumina itineraquè inſederant multis menſibus, etſi magnis ſumptibus itinera refecta eſſent, Heluetij ne ad Lautrecum peruenirent impediti ſunt. Erant hi conſcripti à Sabaudiano ad ſexdecim millia: hi tandem Cremonam peruenerunt: exieratquè iam annus ab initio belli ſecundus. Sed fuit quoddam belli ueluti iuſtitium. Accidit id militum amore in Lautrecum: quippe rumor percrebuerat abrogato ei imperio, decretum omne belli imperium Sabaudiano, quod iniquo animo miles ferebat: et Sabaudianus ea fuit modeſtia, ut præſente Lautreco nihil ipſe iuberet, abſente uidebat dilapſuras copias. At accingente ſe ad iter Leſcuno, certiores facti milites, nihil mutatum, Mediolanum omnes profecti ſunt. Videbat Proſper Lautrecum ad arcem uenturum, eàque parte facilè Mediolano potiturum: itaque eo diſcludendos Gallos putabat, munitioneſquè nouas inſtituendas. Vercellenſi itinere ad Comenſis portæ ſuburbia, duas munitiones perfecit, ſinuato quaſi in orbem ambitu: has duplici foſſa concluſit: ſpatium uiginti paſſuum inter utranque munitionem comprehendit: ad faſtigia munitionum, loricam pinnaſquè adiecit inſtar propugnaculorum. Plutei obtegebant interuallum quod erat inter pinnas: pinnæ interſtructæ erant inter pluteos. Cerui ingentes collocati inter pinnas aggeris: hi ſuſpenſi plutei, quibus tecti Hiſpani, Itali, & Germani aſcenſum Gallorum & Heluetiorum depellerent. Lautrecus ſæpe cupas ſeuo piceque completas & ardentes, ad incendendas hoſtium munitiones immitti iubebat: cumquè hi operi acrius inſtarent, collocatis loco apto machinis maioribus, pinnas propugnaculaquè deijcit. Conſtat uno die pluſquam ducentos impetu machinarum eliſos. Vilis ea iactura Proſpero uiſa, cum maior pars conſtaret ex foſſoribus ruſticanis hominibus: nec deſinebat uilia eorum capita periculo exponere. Sed parum abfuit quin Alphonſus Daualus elideretur. Petrus Nauarrus intentus deijciendis munitionibus, ita cuniculos agebat, ut in media hoſtium opera penetraret: ſed hoſtes emiſsis tormentis bellicis Nauarri conſilia perturbabant. Itaq; parte alia Lautrecus urbem oppugnare inſtituit, territus maximè morte Marci Antonij Columnæ & Camilli Triuultij, qui emiſſa è munitionibus hoſtilibus machina necati ſunt: cùm & Mandoſus Aquitanus magni nominis crure eliſo abijſſet, ſuadente tamen Palicio & Sabaudiano, diſtulit oppugnationem, dum hi annonæ inopia aut ſtipendij dilatione

tione non deſperant urbe potiri. Interea Franciſcus Sfortia ſex ſecum ducens Germanorum millia & trecentos equites pontificios unà cum Federico Gonzaga Ticinum peruenit. Lautrecus ad Caſſinum motis caſtris, ea ratione, ut Sfortiam copiaſque eius excluderet ab ope ferenda Mediolanenſibus, caſtra munijt. Iam Leſcunus Genuam peruenerat, collectóque peditatu fratrem admonebat, Nouariam ſi ſibi obuiam copias mittat, recipi poſſe: mittit ille Annam Mommorantium & Federicum Bozulum cum peditum ſeptem millibus & equitibus quadringentis. Mommorantius mox Vigleuenum cæſis pulſisque Cæſarianis recepit. Narrant poſtea arcem receptam à Leſcuno: uituperantque Hiſpanos in eius arcis deditione, quòd cùm Italis commilitonibus ſuis non minus ac ſibi conſulere potuiſſent, irati Galli arbitrio concidendos eos dederint: eius rei author Chriſtophorus Longolius. Inde iunxit copias Leſcuno. Antonius Leua & Federicus Gonzaga, ſummo ſilentio eductis raptim è Ticino quatuor Germanorum millibus & trecentis equitibus, ad Ganbelotum uicum obuiam fit Mommorantio. Apud eum ubi parata uident omnia ad certamen, in urbem rediere: ille ad Leſcunum contendit. Philippus Torniellus cum peditum duobus millibus ducentiſque equitibus Nouariæ præſidio relictus erat. Signum dat Leſcunus ad inuadendam Nouariam. Torniellus ſuis excitatis celeriter arma cepit, Galloſque repulit: & quibuſdã interfectis nihil minus quàm deditione cogitabat, miſſo Carolo Salominio ad Sfortiam, auxilium expectans. Leſcunus et Mommorantius cùm machinis admotis ſtrauiſſent mœnia, fit impetus ab Aquitano Heluetioque pedite, iam propoſita urbis direptione. Illi primùm acerrimè obſiſtere: mox ubi redintegratis uiribus acrius oppugnantur, undique circunuenti deſperata ſalute, ſe per munitiones deijcere, & fuga ſalutem quærere cœperunt. Nouaria direpta eſt: multi cæſi: Torniellus, Ruſca, & plerique alij capti. Cæſus eſt tamen Renatus Bouchagius unus è Gallicis proceribus ſpectatæ uirtutis. Interea Sfortiam clàm nocte flexuoſis itineribus Mediolanum perueniſſe reſcijt Lautrecus: itaque ad Papiam oppupnandam traducit copias, celeriterquè admotis tormentis ſternere incipit mœnia, ea parte, qua uergunt à porta Noua ad caſtrum. Præerat Papiæ Federicus Gonzaga, & ſemel atque iterum ſubmotis Gallis, Sfortiam & Daualum admonebat, ni mox adſint auxilia, urbe ſe Lautreco ceſſurum. Galli ut mutui auxilij ſpem Cæſarianis adimerent, & caſtra diffuderant ingenti latitudine, & ſua & Venetorum itinera obſidebant. Miſsi tamen ſunt à Daualo mille ducenti pedites, partim ex Corſica, partim ex Hiſpania, qui media nocte hoc aſtu fefellere uigiles, dum obambulantes per Veneta caſtra Aquitanicè loquuntur, pro Aquitanis à Venetis habiti ſunt: Gallicos

cos autem uigiles Italica lingua decepere pro Venetis habiti. Verum in cautiores uigiles incidentes, teſſeræque nomine ignorato detecti, dum ad arma undique conclamatum eſſet, pluſquam quadringenti cæſi ſunt: reliqui fugati aut capti, exceptis paucis qui Papiam peruenere. Hos inſecutus eſt Petrus Riberacus Daydius Aquitanus, conſanguinitate Lautreco proximus, alæque eius ſignifer, qui Ticino tranſmiſſo in hoſtes ferebatur tanto impetu, ut intra portam quæ Ticino fluuio iungitur, militare uexillum intulerit, capique potuerit urbs ſi cæteri eodem impetu ſecuti eſſent. Sed tardius accurrentibus & Riberacus cecidit, & Ioannes Landa Bernolius, unus è Medulorum nobilitate, pila plumbea percuſſus circa gulam. Rupipoſeus quoque uulneratus eſt. Lautreco ita montem Riberaci egreferente, ut incolumes hoſtes, ſaluo eo, cupere ſe diceret Papiam perueniſſe. Eo acerbius quatere cœpit mœnia: iamque ſtrârat triginta murorum cubita, cum ſubito Sanſius Caſtalius cum centum equitibus & ducentis peditibus uiſus eſt, parans ſibi aditum inuitis Gallis in urbem. in hunc Renatus Sabaudianus, & Palicius, & Galeatius Sanſeuerinus inuecti, multis cæſis in fugam hominem uerterunt. Tum uero mox adfuit Daualus cum flore equitatus omnis hoſtilis & peditatus: eius aduentu commotus Lautrecus, acie inſtructa in eum graditur, ueritus quoque ne unà Proſper adeſſet. In hac trepidatione Caſtalius Gallis ereptus, fuga ſibi deuijs captatis itineribus conſuluit. Daualus ſenſim ſe ad ſuos recipiens, Gallos fruſtratus eſt. Apparebat Lautrecum potiturum Ticino: itaque eductis omnibus copijs, Proſper & Daualus pergunt ad ſoluendam obſidionem: occupatoque ſodalium Cartuſianorum fano, indeque Veneto præſidio pulſo, caſtra munierunt. Ita Lautrecus ſoluit obſidionem, cùm & illud intelligeret, Corſicos & Hiſpanos pedites prius inuitis Gallis cum ferro ſibi iter aperuiſſent, Ticinum ingreſſos: & cùm propter aſſiduos imbres minus annona in caſtra inferri poſſet, conſumptaque eſſet omnis pecunia in ſtipendium militum à Sabaudiano allata, ſoluiſſe Lautrecum obſidionem uerisimile eſt, Heluetio quoque milite iam miſſionem ſeditioſe flagitante. Circa ea tempora archipiratæ aliquot Hiſpani, deligentes ſibi inſulas aliquot haud longè à mari Santonico, quas habebant adiutrices ſcelerum, furtorum receptrices, flagitiorum ſocias, mare Santonicum oramque Medulorum circa fanum Virginis Solacææ uariè uaſtabant, in Blauiam ipſam & Burdigalæ uicina loca inuecti. Quidam cum myoparonibus deprehenſi, alijs ad malum, alijs ad cornua antennarum gula fracta pœnas dederant. Strabo urbis Santonum Mediolani meminit ad Oceanum uergentis maxima ex parte arenoſæ, & agro tenui ex milio alimoniam captantis; quam ait reliquis

fructibus

fructibus ſterilem, quæ ſatis oſtendunt, ad eorum urbem, quos ho
die Santones nominamus, uix referri poſſe. In Medulorum fini-
bus uiſuntur ruinæ urbis cuiuſdam, ut & apud Santones, loco are
noſo, haud longè ab Arueto. hæc Oceani impetu an corruerit in-
certum. Vnus quoque Gallicus pirata, cùm ad Barcelonem uſque
temere prouectus eſſet, circunuentus, ſupplicio à Cæſarianis affe-
ctus eſt: hunc Ioannem Fleurium uocabant. Normanus is erat,
rei nauticæ peritiſsimus: ſed uicos permultos hoſtium, alios mi-
ſerè funditus euerterat, alios non ſolùm bonis exhauſerat, ſed nefa
rias etiam libidinum cõtumelias, turpitudinesq́ue ſubire coegerat.
Lautrecus ad Landrianum è Ticino mouens, celeriter contende-
bat, aut Mediolano ſe potiturum Proſpero Daualoque abſenti-
bus, aut nacturum in itinere iuſtæ pugnæ copiam crediderat: utra
que ſpe deiectus eſt, cùm deuijs itineribus nocte Daualus re-
greſſus eſſet Mediolanum. Itaque Moguntiam exercitum tradu-
xit, & ueritus Heluetiorum ſeditionem, & Veneti ne dilaberen-
tur metuens, nanque hi commeatibus eum ſuis uti uolebant: at-
que hos quidem dum abundè toto bello & Cæſarianis & Gallis
ſuppeditant, in lucro id deputantes, bellum trahi è re eſſe ſua puta
bant. Heluetij, & ſi ſtipendijs ſolutis nihil queri poſſent, uel de-
ſiderio repetendæ patriæ, uel quòd à paucis Cæſaris pecunia
corruptis admonebantur, ni reditum feſtinarent, futurum ut de-
creto gentis pro proſcriptis haberentur, aut ultro pugnam depo-
ſcebant, aut diſceſſuros ſeſe palàm iactitabant. erat utrunque ſanè
quàm durum Lautreco atque acerbum. Nam & ad Picocam (alij
Bicocam uocant) munito loco cõſediſſe hoſtes uidebat, nec inde,
niſi magno accepto incommodo, erui poſſe: & Heluetiorum di-
ſceſſu debilitatas regias copias uidebat. Itaque palàm ſubmittens
nobiliſsimos homines, & Heluetijs uirtutis nomine notiſsimos
(in quibus fuere Renatus Sabaudianus, Palicius, I. Medices, Ga-
leatius, Sanſeuerinus, Leſcunus frater, Mõmorantius, Terralius,
Baiardus, Ioannes Bonoualius, Pontiremius) multis precibus cõ-
tendebat ab Heluetijs & Alberto Petra, qui eos maximimè aut ad
diſceſſum aut pugnã ſolicitabat, ut abeundi pugnandiq́ue conſi-
lium remitterent, donec hoſtes fatigatos commeatus inopia aut ui
tormentorum bellicorum è locis munitis eduxiſſent. At hi uni-
co uerbo præcidentes, aut pugnandum aut abeundum clamita-
bant. Re ad concilium à Lautreco relata, Palicius dimittendos po
tius Heluetios cenſebat: Renatus Sabaudianus & cæteri omnes, "
excepto Petro Nauarro, ſatius eſſe aiebant tentare euentum bel- "
li, quàm inermes copias dilabentibus Heluetijs hoſtibus obijce- "
re, mox eis prædæ futuras. Nauarrus Lautrecum, Leſcunum, "
Palicium, totq́ue nobiles imperatores Gallicos ſingulos regno "
digniſsimos, multis caſibus didiciſſe quando pugnandum, quan "
do ab-

quando abſtinendum ſit pugna. Intolerandum eſſe, ſi Peralta & Heluetij docere uelint tot bellis aſſuetos, quieſcendum an pugnandum ſit. Rationes alijs in rebus à fœderatis fortè in tempore repoſci poſſe: nunc, niſi authoritate tot procerum contenti ſint, pro perduellibus habendos. Eſſe Gallis uictoriam exploratam, ſi intra paucos dies conſumpta annona, munimentis, agmine effuſo hoſtes abeuntes, patentibus in campis adoriantur. Nunc ſi caſtra eorum præalta fonticulis undique munita, uallo inſuper ſepta, inuadantur, quis non uideat inde Gallos maxima clade accepta redituros? Itaque niſi qui ſtipendia Gallica iam conſumpſerint, Gallico imperatori pugnæ couſilium differenti pareant, concidendos eſſe aut potius domum remittendos aiebat. Videbatur hæc ſententia durior alieno tempore, cùm Gallicæ res auxilijs Heluetiorum ſtarent: cum rurſus & Palicius & Leſcunus & Sabaudianus fruſtra adniſi eſſent, ut Heluetios à pugna deterrerent, ſatius uiſum eſt pugnæ copiam fieri. Lautrecus accitos ad ſe Albertum Peraltam & Arnoldum Vnderaldum Heluetiorum duces, Hoccine rogauit humanum eſſet factum aut incœptum? hoccine officium fœderatorum diſſentientibus omnibus ſucclamare, præliumq; poſcere, aut diſceſſum minari? Obijcere hoſtilibus munitionibus exercitum fortiſsimum, maxima auxilia, proceres Gallicos, prouinciam Mediolanenſem cunctam, ſummæ dementiæ & temeritatis eſſe: ſibique, ſi ita oppreſſus eſſet, remque Mediolanenſem perdidiſſet, mortuo non modo honorem, ſed miſericordiam quoque defuturam. Cùm ſpes huc meas omnes collocârim, quid iam habiturus ſum reliquum, ſi hæc mihi atque Regi expectatio in uobis poſita decoxerit? Per ſacra omnia obteſtatus eſt, cuncta ut integra intra aliquot dies ſeruarent: daturum ſe operam quoad copias alias Rex ſubmiſerit, ſalua ut eis omnia ſint. Illi adhæc, Suſtinere ſe non poſſe Heluetios: niſi in craſtinum diem pugnam decretam audiant, omnes dilapſuros. Ita Lautrecus Gallicique alij proceres, illuſi tum Heluetiorum delitijs, tum Altoſaxi, Peraltæ, Vnderaldi, Polamyri, qui multum apud eos poterant, inſolentia, copias prope in aſpectum hoſtium adduxerunt, Heluetijs ſummo impetu in hoſtem ruituris: à quibus nec impetrari potuit, ut nocte prius tentarent educere ex ea munitione hoſtes, pollicente Lautreco futurum, ut pluribus locis circunductis machinis, hoſtes loco depelleret, debellandoſque daret. Præmiſsi ſunt Petrus Terralius, Baiardus & Petrus Nauarrus, qui munitiones hoſtium à qua parte commodius inuadi poſſent, renuntiarent. Aciem ita diſtribuit Lautrecus, ut Leſcuno partem equitatus cum Pontiremio, Hugone Pepulo, Mommorantio attribueret: alteram ſibi ipſe ſumeret cum Federico Bozulo, Galeatio, Sanſeuerino Sabaudiano, Bonauallio. Theodorum Triuultium & Venetorum equitatum

quitatum iubet Heluetiorum terga claudere. Ioanni Medici (is poſt Leonis Pontificis mortem, quod Vidonem Rangonium à Florentino populo, in copiarum imperio ferre non poſſet ſibi prælatum; Gallicas partes ſequebatur) cum expeditis equitibus imperat mox in hoſtes præcurrat. Proſper tuto loco ad Bicocam caſtra fixerat. Ad dextram foſſa uia militari muniebantur: læua & à tergo, duobus fonticulis claudebantur: in fronte uia admodum erat caua, & implicita. Itaque eo loco machinas & pedites poſuerat cum Daualo & Georgio Franiſpergo: Hiſpano Italoque pedite ſuccincto, pilis plumbeis in fronte collocato, ipſe à tergo cum equitibus conſtitutus erat: conſtituto quoque Franciſco Sfortia militari uia, qui eo è Mediolano, excito fortiſsimo quoque, peruenerat. Aliquantulum Medicei equites cum Petro Caſtalio, qui ad exploranda Gallica arma præcurrerat, dimicant. Multi utrinque deſiderati: ſed Medice, ut habebat expeditiſſimos equites, uariè hoſtes ludificante, proripuit ſeſe Caſtalius. Heluetij, uix dato ſpatio ad diſplodendas maiores machinas, temere, quanquam acerrimè, in frontem aduerſus Daualum & Germanos proruunt: ſed ab Hiſpano Italoque pedite emiſsis pilis æneis ita proſtrati ſunt, ut & alij impliciti foſſarum altitudine, alij pilis conciſi ſint. Plerique per cadauera cæſorum, difficultatem locorum tranſgreſsi, in hoſtes proruperunt. In qua rerum uarietate à Peralta Franiſpergus uulneratus: reliqui diu cum locorum anguſtijs conflictati, Germanis & Hiſpanis irruentibus, & inſtar turbinis pilas uoluentibus, pulſi loco ceſſerunt. Veneti quoque equites dum Heluetios terga uertere uident, cum Theodoro Triultio mox ſeſe proripuere. Iuſſerat Daualus, aſſuefeceratque pedites, ut cùm ex priore ordine pilas æneas uoluiſſent, in genua proclinati, ſecundis uoluendi locum aperirent: idem alijs ordinibus imperarat, ita ut ſequentes cùm uoluiſſent, primi conſurgentes, qui interea impleuerant fiſtulas ferreas, rurſus nouas ipſi pilas uoluerent. At ſiniſtra parte Leſcunus, cùm ſtrenuè tranſilijſſet duplicem foſſam, captis cæſisque multis Sfortianis, tentorio quoque Leuæ & Caſtalij direpto, properabat ad pontem occupandum. Atrox tenuit certamen utroſque. Sed tamen cùm Sfortiani minores machinas diuina quaſi uirgula loco opportuno tranſtuliſſent, eaſque in tranſuerſos Gallicos emiſiſſent, & eſſent loca munita foſsis, & funibus & cippis ita coniunctis inter ſe atque implicatis, ut qui intrarent, ſeipſos acutiſsimis uallis induerent: irrita erat Gallicorum equitum uirtus, cùm pedites maxima acclamatione uocati nuſquam adeſſent, equoque ſuffoſſo, quem eo die Leſcuno Lautrecus dederat: cum is ex uulnere debilitatus nuſquam ſe loco moueret, quantumuis calcaribus agitatus, in periculum ille ueniſſet, niſi ab Oſſuno primùm, mox à Lupeo auxilium latum fuiſſet. Lu-

ſet. Lupeo qui ſignifer erat Lautreci ſignum elapſum. Id dum Ianotus Monferratus adoleſcens, quem et Portenſem uocabant, magna ex parte ſuſtuliſſet, uoluentibus hoſtibus undique pilas, hoſti ceſsit. Canaplio, qui Pōdormij ſignum efferebat, equus ſuffoſſus. Salutianus cum Leſcuno intrepidè periculo ſe offerebat: Mommorantianus pilis undique emiſsis, eodem fuit in periculo. Adfuere & eo prælio alæ illę equitum, quæ attributæ erant Ludouico Arſio & Aubignio. Heluetij ea fuere contumacia, ut neque quà parte Baiardus præſcribebat, impetum cum eo fecerint, neque fracti, cum integræ eſſent plures cohortes, obijcere ſe hoſti uoluerint. Lautrecus nihil territus Heluetiorum ſtrage, Venetorumque fuga, à dextra ſumpta rubra cruce hoſtili inſigni, mutataq; alba, & Hieronymi Adurnij & Coliſſani equites fugârat, & unà cum Cæſarianis parum abfuit quin caſtra hoſtium penetraret. Proſper dolo intellecto, herbæ uirentis faciſculos, quibus locus ille abundabat, mox ſuos omnes colligere iuſsit, ut ab hoſtibus diſcerni poſsent. Cum undique aggeres, foſſæ palis perforatis, interiectis longurijs impedirent equitatum, pedites hoſtium pilis emiſsis in latus obuerſi multos conciderent, Leſcuno fratre ad ſe redeunte, iam ſuadentibus omnibus fruſtra uim admoueri, receptui canit. Diſceſſum Gallorum nihil ſimile fugæ habuiſſe fatentur Galeatius Capella, Barlandus, exterique omnes ſcriptores: non militem ullum, non equitem, non quicquam impedimentorum, non machinam ullam bellicam, dum ſe recipiunt Galli interceptam. Daualus cum ſaucium Guineam cum duabus cohortibus in diſcedentes emiſiſſet, effecit, ut unà cum Guinea à Baiardo Medice & Heluetijs, qui machinas reducebant, concideretur. Emiſsi mox hoſtium equites à Pontiremio. Mommorantio, Leſcuno, unà cum Medice redeunte in caſtra compulſi ſunt. Eo prælio necatus Roquelaureus, unus ex Albienſi nobilitate, ſignifer Philippi Chabotij Brionij alæ, & Petrus Lurus Longanus è Petrocoriorum Longana illuſtri familia: Leſcuno equus ſuffoſſus eſt, idem alio equo admiſſo enſe in os impacto uulneratus eſt. Ex Heluetijs Peralta & Vnderaldus, & Altoſaxus cæſi: ex quibus etiam duo millia cæſa aiunt. Deſiderati quoque Miolantius, & uicinus Sabaudianis Guycheus, quem Laguichen uocant, inſigni genere è Burgundia, & Monfortius è Lauallorum Britannorum familia, & Turnonius. Ex hoſtibus quoque Petrus Coliſanus Cardonia familia natus, quem alij Ioannem Cardonenſem uocant, Guinea & Paulus Vagius cæſi: uulnerati Alphonſus Vaſtius, Georgius, Franiſpergus, Hieronymus Adurnius, Ambroſius Landrianus, Caſtalius, & pluſquam trecenti alij. Ita fractis Gallis, cæſis Heluetijs, nullo ex hoſtibus iam ſequente, copiæ inde eductæ ſunt, Vandeneſio, qui paruulo equo uehebatur, tardius

ſequente, atque hęc identidem Heluetijs ſuggerente, Siccine uenimus? Proſper deinde Laudem Pompeiam profectus, fruſtra Carolo Caſterao Aquitano adnitente, ipſoque Bonauallio ſegnius urbem tuente ac ſtertente, Italoque pedite dilabente, eam recepit, diripiendamque militi dedit. Lautrecus, cùm Heluetij ne ſalute quidem Gallis reddita dilapſi eſſent, ueriti ne minus ſtipendia à Lautreco repræſentarentur, equiti quoque plurium menſium ſtipendium deberetur, Tritium peruenit: cumq; deeſſet pecunia, fidemque omnem ſuam conſumpſiſſet, ipſe fratre Cremonæ relicto, comitante uno tantùm atque altero ſeruulo, per Heluetiorum fines in Galliam reditum parabat. Veritus uerò inſidias hoſtiles & Heluetios aliquot, in quos pugnæ ardore temerè flagrantes inuectus fuerat, ipſe uidulo ſarcinulas compoſitas equo uehens iter faciebat, uno è miniſtris pro hero ſe gerente, atque ita in Galliam rediit. Nactus eſt autem Regem grauiſsimè Mediolani amiſsi iacturam ferentem, præcipitatumq; eius inde diſceſſum carpentem. Is Lautrecum, etſi ſatis hilari uultu excepiſſet, ueluti re male geſta, haud eodem quo prius loco numeroque habere uidebatur. Nam multi è caſtris redeuntes in eum Regem incenderant, Palauicini bona direpta iactitantes: & moleſtè conſtabat ferre Regem quòd eo tempore Mediolano exceſsiſſet, quo nondum illius recipiendi abiecta omnis ſpes uideri poterat. Quodam die Lautrecus ad Regem admiſſus, Carolo Borbonio impetrante ut audiretur, atque ut nullis ſimulationum inuolucris, militaris potius quàm eloquentiæ aulicæ homo iram tegere poterat, ſic Regem affatus eſt: Audita tibi eſſe arbitror, here, quæ Mediolani, quæ Papiæ, quæ nuper ad Picocam acta ſint: quæ fuerit cuiuſque ſententia de bello, munitionibuſque hoſtium eo tempore minimè inuadendis. Magnum in Gallia Tranſalpina bellum, magnæ Cæſaris copiæ, mihi perdifficilis ratio adminiſtrandi præſidij, nobis parum ſumptus annuus uix numeratus. Neque ego ſuperiora repetam, ſed extremo bello ſi ab Heluetijs impetrari potuiſſet, ut pugnandi ardorem in menſem unicum differrent, aut oppreſſum iam eſſet bellum, aut Cæſariani in aduerſiſsima illis loca cum detrimento eorum maximo extruſi. Fuit aliquis fatalis caſus quem tulimus, quoquo modo tamen ferendus fuit. Ego quidem reliquique Gallici proceres, conſilio quantum potuimus, labore plus penè quam potuimus excubauimus, ſalua ut eſſent omnia. Cum hęc ita ſint, grauiter fero alios uetera accerſere de Palauicini cæde, qui decreta quæſtione è peritis iuris legumq; ciuilium, damnatus ſit: alios præcipitatum meum inde diſceſſum apud te obliquè carpere. Equidem facere non poſſum, here, quin grauiter feram, aditum patere ad aureis tuas uanis hiſce ſermonibus puſillorum hominum, & ipſa maleuolentia ieiunorum atque inanium; nec ani-

mi tui

mi tui magnitudo, nec acerrimum iudicium multis magniſque rebus perſpectiſsimum id poſtulat. Didiciſſe enim uideor à maioribus, quò grauius ſit crimen id quod oſtenditur eſſe falſum, hoc maiorem ab eo fieri iniuriam qui confingat. Paratus eſt enim grauitate criminis ita occupare animos eius qui audijt, ut difficilis aditus defenſioni relinquatur: in ijs explorandis maiores partes eſſe prudentiam eius ad quem ita res deferuntur. Profectò ſi me uirum fidelem meminiſſent, me quoque ex natura ſua fingerent. Atqui ſic habeto, te tot tuis in me præclariſsimis beneficijs non modò id aſſecutum, perpetuò ut animam hanc pro te expoſitam uelim (quod quidem ipſum cùm tua parum referat, mea certe plurimùm intereſt, ut ingrati animi tot cumulatus honoribus notam fugiam) uerùm me etiam ubi uoles, daturum operam, uti ne tot in me profuſorum honorum unquam pœniteat: ut uoles uel utare uel non utare opera mea, æquo animo laturus ſum. Si quid aliud te offendit, tuum eſt admonere. Ego quidem innocentia una tectus, prudentiaque tua fretus, mihi perſuadeo graues maleuolorum ſuſpiciones diſcuſſas fuiſſe: iamque ſentio cauſæ noſtræ ueritatem, & ſi uanis rumoribus diu afflictam, tua humanitate æquitateque erigi atque recreari: maiora à te ornamenta conſecutus ſum, quàm ſperare unquam debueram. Id eò ſanè pertinet, ut intelligas, quàm mihi maieſtas tua & fuerit & eſſe debuerit curæ: ſi modo is ego ſum, ut planè ſum, qui officium meum, memoremque erga tot tua merita animum præſtiterim. Illud tamen admonebo: Si equiti Gallico plurium menſium ſtipendia non defuiſſent, me Laude aut Cremona non moturum. Cremonæ tamen præfeci fratrem. Cùm pleriſque in rebus gerendis tarditas & procraſtinatio nocere ſolet, tum hoc bellum indiget celeritatis. Succurrendum eſt Leſcuno, & Genuenſibus horam ſi eximis ullam in eis ſubmittendis auxilijs, nihil eſt quod amplius ſolicitus ſis de Mediolano retinendo, hoſti omnia patebunt. Hæc admoneo, qui ut non omnis peritiſsimus ſim belli, cum Cæſarianis quidem manum conſerere bonis maliſque meis didici. Ad ea Franciſcus Rex, ut erat humaniſsimus & ſuauiſsimus: Ea orationis tuæ pars Lautrece, qua mea in te beneficia enumeras, minimè neceſſaria fuit. Ea ſi ideo enumeraſti ut uel te non ingratum oſtenderes, uel meum in te amorem excitares, neutrorum eorum adducere te debuit in eam commemorationem. Neque enim tu ingratus eſſe potes, qui re non uerbis induſtriam tuam mihi tot bellis perſpectam probâris; omneſque uel cogitationes meas officijs tuis uiceris. Neque ego is ſum qui à te amando reuocare tam facilè animum poſsim, niſi tu is eſſe deſinas qui es, animique magnitudinem fidemque dediſcas. Itaque ſi me amas, ne tu poſthac ad me quidem quicquam eiuſmodi. Te uerò ſcire uelim (quod ſubuereri

uideris, gratiam noſtram, & quam de ſpectata tua fide ſemper habui opinionem, nullius unquam ſermonibus labefactatam. Aperté quidem uel odiſſe magis eſt ingenij mei, quàm fronte occultare odium: neque facilè criminibus credidi oblatis, neque unquam in exulcerato animo fictum crimen inſidere ſum paſſus. Tibi quidem certè nullo loco deero: idque etiam ſi mihi tecum nihil unquam fuiſſet, facerem propter ſingularem illam animi tui magnitudinem. Grauiter uerò tuli præcipitatum tuum è Cremona diſceſſum, cùm neque Gallicus equitatus, neque firma Venetorum auxilia deeſſent, ipſe peditem conſcribendum nouum mihi proponerem, quem tibi mox ſubmitterem. Itaq; egi tecum paulò quidem aſperius quàm tu putâras & expectâras, ſed & iracundia Mediolani amiſsi permotus, aut ne me tam remiſſum putares, ſi in eo uultus ſeueritate non te admonerem, in quo te omnes culpa minimè eximebant. Nam equitum ſtipendia hactenus à me tibi curata ſunt, aut ſumma perfidia à quæſtoribus interuerſa. Me quidem in poſterum tuæ dignitatis non modò fautorem, ſed amplificatorem cognoſces. Ad ea Lautrecus, quinque ſe menſium ſtipendia corraſiſſe oſtendit, ſe aluiſſe milites eo tempore, fidem iam ſuam omnem conſumptam, non potuiſſe uicem ſe fiſci præſtare, amicos omnes ſeque ipſum ære alieno obſtrictum. Cùm nulla ſpes nummi affulſiſſet, dimiſſos Heluetios, qui nec triplici ſtipendio retineri potuiſſent: ignoſcendum Gallicis equitibus multis, ſi domum redijſſent, tanto tempore dilato ſtipendio: reliquos munitis locis præſidio relictos. Tum Rex, qui pecunias putabat ad eum miſſas, Iacobum Belnenſem Samblancianum quæſtorem uocari iubet: uenientem rogat num pecuniam præteritorum menſium ad bellum Lautreco curaſſet. Ille cum primò impudenter reſpondiſſet, ad extremum debilitatus atque abiectus, ſe numeraſſe quibuſdam faſſus eſt: hique introducti cum faterentur, culpam tamen deprecarentur, quaſi putaſſent, ea non miſſa, ſalua omnia Regi futura. Tum Rex: Enimuero, ait, abiecta eſt ſpes Mediolani recipiendi, idque noſtro merito: non ſi ipſa uictoria uelit, ipſi uincere poſthac Cæſarianos, Mediolanoque pellere poſsimus. Nec plura locutus, bono animo omnes eſſe iuſsit, ut erat officioſiſsimus & humanitate omnes omniũ gentium & proceres & reges uincens, cum Lautrecoque rediit in gratiam. Hæc excepta à Iacobo Minutio præſide Tholoſano, qui Lautreco fuit familiariſsimus, narrare libuit, fidei periculum in me minimè recepturus, quando in gratiam Lautreci ab eius familiaribus conficta argueret quis poſſet. Accidit ut quodam die Rohanus Spurius Diœcetes Rhotomagenſis, qui oſtio liminis regij præpoſitus erat, homo aſper & ferox, uel ea re initurus gratiam apud aulicos, uel ſuapte aſperitate & petulantia, cum egrederetur è cubiculo regio Lautrecus,

cus, talos ei uix dum egreſſo conculcaret ianua celeriter impacta. Non tulit ille ferociam aulici mancipij, foribusq; mox apertis multis increpitum uerbis, pugno in os ferociter impacto, cecidit: quod altius in animum Regis deſcendiſſe multi putabant, expectantes ut eo nomine decerneretur quæſtio. Sed is contumeliæ impacientem Lautrecum cum ſciret, aut diſsimulauit, aut ignorauit, ut alij uolunt. Nam Lautreco quindecim poſtea dies Lutetiæ obambulante, nihil auditum eſt in eum ſeuerius: quin & in aulam reuerſus, cùm Ludouica regia mater de ea iniuria expoſtularet, cauſam ei ſuam probauit: & Gulielmo Gounfierio ſubijciente, ſe libenter Regem placaturum, ſibi uerò non opus interceſſore reſpondit. In Aquitaniam deinde redijt, cuius rector erat, ad res partim quarum ſuprà meminimus, componendas: contractis etiam ad Tartaſiam Aquitaniæ urbem copijs, quibus hoſtium incurſiones reprimeret. Vbi Petrus Pontius, cui Fuxeo cognomen, peditibus præfuit & Ioannes Monferratus. Hoſtes quidem triplici parato exercitu effuſi ſunt in Aquitaniam: neque redeundi conſilium cepiſſent, niſi Lautrecus, corruptis ipſe prius & direptis frugibus, inutile eis ſolum & ſterile uacuúmque reliquiſſet. Ita factum, ut cum illi multa facere uiderentur egregiè, uerterint ad extremum omnia, fruſtrataq; eſt ita Cæſarem Aquitaniæ ſpes.

QVINTI LIBRI FINIS.

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Quintus.

DVM ita Galli & Cæſariani de Mediolano certant, Solymanus Rhodum terrà mariq́ue oppugnabat. Repetam uerò & ueterem aliam Rhodi oppugnationem nihil ab hiſtoria Gallica alienã: cùm utranque Gallicis ducibus, ære, milite, magna ex parte confectam omnes ſatis intelligant. Annus agebatur Milleſimus quadringenteſimus octuageſimus, quo tempore Romanis ſacris Sixtus quartus Pontifex, Romano imperio Federicus tertius, Gallis Ludouicus undecimus, Rhodijs Petrus Dambuſsius Gallus Aruernùs præerat, cùm Mahometes Turcarum tyrannus, qui unus potentia & opibus haud inferior omnium aliorum uiribus erat, conſilium inijt de Rhodo oppugnanda. Eius oppugnandæ habebat has cauſas: Quòd graues uicini incubarent uiribus eius, facilè, ſi quæ eum fortuna feriat, labantes res eius impulſuri: quòd multis myoparonibus mare infeſtiſsimũ Turcis redderent: quòd ab eorum ſacris abhorrerent: quòd uni omnium neque imperata facerent, neque leuiſsimi tributi impoſitione honorariáue ulla alia profeſsione, Turcarũ imperium agnoſcere eſſent parati. Ad hæc, ea is erat animi elatione & magnitudine, quibus nimia dominandi cupiditas innaſcitur, ut & incredibili arderet cupiditate nominis illuſtrandi, & æquum cenſeret neminem imperium eius detrectare. Augebatur ea cupiditas perpetuò curſu proſperarum rerum. Erat Antonius Meligalus Rhodius, familia non ignobili, uario homo ingenio. Is cum delectaretur magnificis apparatibus, uitæq́ue cultu cum elegantia & copia, patrimonium paucis annis deuorauit. Redactum ſe ad penuriam uidens, homo omnium nequiſsimus, nihil humile agitabat, is cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore nec in audacia. Meditabatur uerò ut prius patrimonij, ita patriæ ruinam: neque ita ſe parauit, ut ſpes nulla reliqua in ſe ipſo ſibi eſſet, & conſilium cum re amiſiſſe diceretur: quibus perpeti & patrare, quàm ſqualidus Rhodi, cùm bona abligurijſſet, maluit. Is cum indignus eſſet Rhodo, fallax & leuis, & ad aſſentationem eruditus, in regiam Mahometis Conſtantinopolim peruenit: ac licet antea ignotus, ſuis tamen artibus id aſſecutus eſt, breui ut Machometis familiaritatem penitus intraret, cum eum acueret ad Rhodum debellandam. Attulerat is ſecum Rhodiæ urbis deſcriptionem, portis, propugnaculis, munitionibus, arcibus, portubus, uicinis locis ita aptè deſcriptis, repræſentare ut urbis faciem facilè uideretur. Idem quà mari peruadendum, quò exponendæ copiæ, qua parte

parte propugnacula mœniaqúe ſternenda eſſent, ita acutè diſſerebat, oblatus ut diuina uirgula ad antea meditatam oppugnationem uideretur. Pellexerat is in eandem patriæ perniciem unum, cui uana ſpe animos inflârat, quaſi orto familia Palæologorum, & Eubonicum Demetrium, & Sophonium, qui quaſi magorum uanitati deditus, malè paſsim audiebat. Expectabat uerò Antonius, Rhodo uicta, urbis præfecturam. Is uerò prætexebat cupiditati ſuæ Græciæ libertatem, quæ & innumeris portorijs & uectigalibus, & acerba ſeruitute opprimeretur à Latinis: ſe uerò eam iactitabat prouinciam ſuſcepiſſe, ut mederetur incommodis Rhodiorum, prouideret ſaluti, quaſi patriæ amator & dici & haberi uellet: quaſi uerò fidelior hic eſſet patriæ, qua CHRISTO OPTIMO MAXIMO, cuius ſacra homo impius uictus Mahometis auro, intra paucos annos paſsim repudiauit. Erat Petrus Dambuſsius (quem alij Damboſsianum, alij Ambuſſonum, alij Maubuſſonum uocant) ortus parentibus nobiliſsimis, qui & re & æſtimatione magna apud Gallos fuere. Puer ſub Sigiſmundo Cæſare uixit, manſuetiorum Muſarum amantiſsimo: ita factum quaſi tinctus literis, ut multa quæ antiquæ hiſtoriæ cognitionem pertinebant, meminiſſet. Contigit huic forma decora, ingenium acre, conciliandæ eorum cum quibus uerſaretur amicitiæ ac promerendi paſsim amoris ſingulare ſtudium. Adhibitus à Carolo ſeptimo Gallorum Rege arduis negocijs, diligentiæ laudem à principe prudentiſsimo eam tulit, ut & amorem eius in ſuſcipiendis mandatis, & fidem in conficiendis ac renunciandis perſpicere ſe fateretur. Adſcriptus inter Rhodiæ militiæ proceres, optima & fide & fama ſemper apud eos fuit: ut Rhodiæ militiæ imperatores, qui ſeſe magiſtros appellari uoluere, & abſtinentem & moderatum & à cupiditate omni remotiſsimum, præterea magni laboris, ſummæqúe induſtriæ, & digniſsimum ſummo Rhodiorum imperio iudicârint. Ita res Rhodiorum adminiſtrabat, ut publicas res ſic procuraret ut ſuas: ita uerò manus abſtineret ab ijs, ut alienis. Idem plenus officij, grauis, præter Gallicum morem, & liberaliſsimus: ſic prorſus & Græcis & Italis placebat, illius ut ordinis obſeruarent neminem diligentius. Catus adeò & ſagaciſsimus in odorandis Turcarum Mahometisq́ꝫ conſilijs erat, ut octauo quoque die per exploratores, quos magna ui auri ſubornabat, conſilia eius notiſsima haberet: rurſus idem uafer adeò ingenio in iudicandis his quæ ab exploratoribus & transfugis nunciarentur, raró ut bis ab eodem deceptus ſit. Somni cum eſſet breuiſsimi, & nocte & die ſemper ad depellendos aut intercipiendos Turcas paratiſsimus erat. Rhodi mœnia qua parte infirma erant, ſedulò inſtaurabat. Molas quoquo manuales

& pu-

& publicè & priuatim curârat: ſolitus idem in ocio de negocijs cogitare, & in ſolitudine ſe ita agitare, ut neque ceſſaret unquam, & magnum quid tacens etiam & ambulans meditari uideretur. Vbi circa mœnia Rhodi obambularet, & circa uicina loca (obambulabat uerò frequenter) quos acres & induſtrios ex ſuo ordine nouerat, rogabat ecquid hac parte ſatis munita propugnacula uiderentur: Quid ſi illa parte hoſtis occurrat, qua ei anteuortendum: quid ſi multitudo hoſtium ſuperueniat, in eos qui urbe temerè eruperint, quà receptui canendum, quo loco claſsis hoſtium commodiſsimè poſsit incendi: quæ ad incendendam antea paranda, quæ diuerticula, quæ flexiones implicatis quærendæ. Ex quo intelligebant omnes Dambuſsium mentis agitatione, inueſtigationeq; earum rerum, quæ ſibi neceſſariæ uidebantur ad Rhodi conſeruationem, neque ocioſum eſſe, neque ubi in præſens certamen ueniendum eſſet, imparatum futurum. Non latuere Dambuſsium, quid Meligalus & Demetrius molirentur apud Mahometem. Curauit igitur magnam uim frumenti & tritici ex uicinis locis: ſulphurei uerò pulueris tantam copiam repoſitam habuit, ut hæc una illius cautio maximi momenti ad uictoriam fuerit. Arma, tela, gladios, clypeos proceriores ad mœnibus arcendum hoſtem recōdidit: per Antonium Dambuſsium fratrem oppigneratis etiam annuis uectigalibus, pecuniam accepit: à Ludouico quoque undecimo Gallorum rege, qui Bello Burgundico implicatus, diſtrahi ſuas nollet copias, dono accepit ſexto antè obſidionem menſe, ſexaginta nummûm aureorum millia: à Ferdinando Neapolis rege quatuor millia, & commeatum in multos menſes: à Sixto Romano Pontifice permiſſum, ut è ſacris uicinis decumam ſacerdotiorum multorum auferret; & uectigalia quædam quæ ambigui iuris inter Pontificem & Ferdinaudum fuerant. Paucis quoque ante obſidionem menſibus Rhodum uenit Antonius Dambuſsius frater, ſtipatus nobiliſsimorum equitum comitatu, qui maximè ex Aruernis erant. Venerat & cum eo Ludouicus è Craonum nobiliſsima Galliæ familia, ſed ſpurius, Gulelmus Gomardus Xantonenſis, Claudius Columbus Burdigalenſis, Carolus Regius Diuionenſis, Ludouicus Sanguinus Pariſienſis; Matthæus Brangelerius Petrocorienſis, & alij plures è Gallia, inſignes omnes & bellicis rebus à pueritia aſſueti. Venerat & paulò antea Benedictus Scaliger, ortus nobiliſsima Scaligerorum familia; cuius olim maiores Verona Italiæque parte nobiliſsima potiti fuerant. Vtebatur autem ad omnia Dambuſsius Carolo Montelono Heduenſi, quo neque prudentior quiſquam, nec fide maiore eſſe ferebatur, neq; amantior illius. Concoquebat toto triennio eam expeditionem Mahometes, incertus adhuc fluctuánsque an ſuſcipiendam ſibi proponeret. Tandem rem ad con-

ad conſilium, uocatis intimis quibuſque, qui conſilijs bellicis adhiberi ſolent, refert. Erant Machometi trium generum conſultores, militares homines & ueterani, conſilijs militaribus: ciuilibus negocijs urbani, ſacris rebus ſacrificuli adhibebantur. Ipſe ſæpiſſimè præerat conſilijs, ita tamen ut audiret ſigillatim ſententias omnium, nihil eo loco decerneret: ſed ut negocij grauitas exigebat, interdum ampliabat totam rem, interdum poſt aliquot horas aut dies clanculum ijs qui ſummæ rei præerant, ſignificabat quæ magis ſibi probaretur ſententia. Eam ubi ſemel indicaſſet, mox illi mandata curabant. Deliberatio omnis hæc fuit, eſſet ne Rhodus oppugnanda. Cùm iniurię Rhodiorum erga Turcas plurimę, tum contumeliæ illatæ recentes, adducebant multos ut oppugnandam dicerent. Accedebat illud, uicinam inſulam & Latinorum auxilijs tum nudatam, non difficilè eſſe intercipere: quæ multis rebus uſui eſſe poſsit ad ſubigendas reliquas Europæ partes. Neque uerò periculum eſſe, ne inde cùm aliquo fortè dedecore abeundum ſit, cùm multò plures machinæ ad eius expugnationem afferri poſsint, quàm Rhodo urbi ſint lapides, quibus ambiantur mœnia. Qui uicina cætera in continenti litora poſsidebat, cur Rhodo abſtineat? cum & ueteres Rhodum Aſiæ addiderint, quę Cariæ obijcitur: Aſiam qui ſubegerit, æquum ne eſſe Rhodios uana libertatis nomina, exterorumque Deorum cultus iactitantes, colentesque intueatur? In hac parte hæc erant quæ Turcas acuebant ad eius obſidionem urbis: in altera quæ deterrerent hæc: Diuerſam cauſam Rhodi oppugnandæ quæ olim fuerit, aut Conſtantinopolis, aut Trapezuntij imperij. Ibi pro imperio certatum, hic pro inſula quæ uix emergat. Cur tot corpora in certam perniciem trahenda? Non idem futurum bellum quale nuper ad Chalcidem aut Scodram: deligi inſulam omnium bellicoſiſsimam ad pręlium ubi ſedes Latinorum equitum fortiſsimorum, multæ uires, multi qui concurrant, multi qui defenſam uelint: etiam ſi nemo auxilium ferat longius bellum futurum. Si reliqui Chriſtiani proceres ſuccurrant, relinqui ad poſterum bellum implacabile: eam oppugnationem cum Machometi, tum Turcarum omni imperio inutilem & periculoſam eſſe. Priorem ſententiam probauit Machometes. Decimo quinto poſtea die Dambuſsius per exploratores admonitus eſt, quaſi non dubium bellum haberet: adfuturos mox Turcas Miſacho Palęologo duce (hunc & uocant Meſithum Baſſam, omnes quidem ortum Palæologorum genere fatentur) cum maximis copijs: & euocatorum firmam manum, & fœderatorum populorum, regumque & ſociorum tanta auxilia adfutura, ut octoginta hominum millia expleant. Ipſe exercitu luſtrato, Rhodijsque ciuibus & exteris, Iudæis quoque & ſeruis qui ad arma non inutiles erant, ſexdecim hominum millia habebat:

habebat: ſegetesq́ꝫ, etſi immaturæ eſſent, colligi, & in urbem inuehi, curauit, ne eſſent prædæ hoſti. Iam per flexum litoris Lycij uſa claſsis Turcica felicitate nauigandi, cùm Auſter leniſsimus flaſſet, Rhodum contendebat. Rhodi ſitus à ueteribus plurimis copioſiſsimè deſcriptus eſt: uerùm haud prorſus eodem loco nunc uiſitur. Quà portus Septentrioni oppoſitus eſt, mari alluitur: quæ pars occidentem intuetur, hanc excipit planicies lapidoſa, maiore longitudine quàm latitudine. Proximè uiſuntur colles aprici ciuitati imminentes: uillis uicinis lautè ædificatis, & fontibus undiq́ꝫ ſcaturientibus, hortis, oleaſtris, uitibus, ceraſis, malis punicis, citrijs inſignes. Ignari ueteris hiſtoriæ, qui Coloſſum illum celeberrimum hodie deſcribunt, cùm Eraclij aut Conſtantij Cæſaris tempore, eius qui ſectam defendit Monothelitarum, Saraceni ab Alexandria ſoluentes, capta Rhodo Coloſſum illum memorabilem demoliti ſint, ex cuius ære nongentos camelos onerauère. Quà exitus patet in montem Phileremum, Dambuſsius propugnaculum munitiſsimum paucis antè menſibus erexerat. Vnde factum ut porta uicina Damboſio qui ei ſucceſsit, † exornatam. Fanum Stephani (ubi mons huic diuo ſacer ab eodem nomen accepit) uix uno miliario ab urbe abeſt. Habebat pluribus uicinis locis diſpertitos induſtrios homines Dambuſsius, qui in ſpeculis erant: qui excubabant eo monte, primi aduentum Turcicæ claſsis tumultuoſè nunciarunt. Diſsipatum interea eſt conſultò ab hoſtibus, ut imperatum ab exercitu facilius Dambuſsium opprimerent, Mahometem occubuiſſe. Hic rumor cùm raucus eſſet factus, & per alios quorſum emanaſſet ille nouiſſet, nihil remiſit de priſtina cautione. Miſachus Palæologus in claſſem profectus, uocari ad ſe iubet Antonium Meligalum. Is paucos ante dies ſcaturientibus undique uermibus, tetroq́ꝫ odore commotis omnibus, deûm hominumque fidem implorans, quos ea perfidia implacabiles habebat nequicquam, quiritans in mare à nautis præcipitatus fuerat. Mortuum demerſum paſsim alijs renunciatum eſt. Vocari deinde iubet Palæologus Demetrium, eoq́ꝫ ueluti interprete, & itinerũ duce poſtea uſus eſt. X Calendas Quintiles equitatus Turcarum in monte Stephani expoſitus eſt. Ibi machinas eneas, teſtudines, apparatumq́ꝫ alium oppugnandæ urbis, ima montis parte collocarunt: ita aptè, ut ob montis cacumen rupesq́ꝫ, è Rhodo conſpici non poſſent. Deinde aliæ copiæ ſuperuenère. Dambuſsius, & ſi antea delata quoque urbis præfectura, Antonio fratri uariè ſingulos hortatus fuerat, hac tamen oratione uocatos rurſus omnes ſimul ad ferenda obſidionis incommoda hortatus eſt: Tandem aliquando, ſodales chariſsimi, quod & literis multorum & ſermone omnium perferebatur, uidemus anhelantes Turcas perniciem noſtram; delubra, aras, ſacroſanctaq́ꝫ ſacra no-

» cra noſtra uiolare paratos: uaſtitatem urbi huic nobiliſsimæ, per-
» niciem ſingulis nobis moliri: fortunas omnium, uitam, ſpes, o-
» pesq́ omnes tot annis parta decora inuadere. Atq́ ego quidē ut
» omnem belli Martem communem, & ſemper incertos eſſe prælio-
» rum exitus non diffiteor, animi tamen ueſtri magnitudine in
» ſpem certiſsimam uictoriæ uocor. Suſceptum ab eis bellum nul-
» lum nullo noſtro merito: cauſa belli nulla alia quàm libido immē-
» ſa propagandi imperij, opprimendiq́ nominis Latini, & excin-
» dendæ ſacroſanctæ Chriſtianæ perſuaſionis. Nobis machinæ, ar-
» ma, tela, commeatus in multos annos: nobis auxilia è Gallia Ita-
» liaq́ firmiſsima: nobis denique dux & author CHRISTVS
» OPTIMVS MAXIMVS, quo freti, uim ab hoſte ſcelerato
» & impio facilè depellemus. Nobis nominis CHRISTIANI
» tuendi cura exuſcitat animos, & maiores ad uim depellendam fa-
» cit: illi pro impijs ſacris propagandis laborant. Nobis Galli, I-
» tali, Germani ad bella nati: illis Ægyptij, Syri, Aſiatici militant ad
» delitias educati. Neq́ ego ullum uelim ſcientem in paratam per-
» niciem incurrere, neque uana ſpe lactare animos: id tamen ſpon-
» deo recipioq́, ſi longius bellum ducetur, & Gallica, & Italica, &
» Germanica, & Hiſpanica auxilia ea adfutura, non dicam quæ
» obſidionem ſoluant, ſed quibus freti ultrò & Conſtantinopoli-
» tanum illis Trapezuntiumque imperium eripere poſsimus. Vi-
» debunt illi neque ſui ſe conſilij ullum exitum reperturos, & totam
» eorum rem ita uacillare & claudicare, ut præcipitem hinc profe-
» ctionem inutilem ſibi ſentiant. Quòd ſi quid acerbius etiam im-
» penderet, conſcientiam rectæ uoluntatis, & uitam profuſam tu-
» endorum ſacrorū noſtrorum gratia, ecquis non fœliciſsimam lau-
» datiſsimamq́ diceret? Me quidem ipſum ætas & acta iam uita, cū
» ſuo curſu confecto ex animi ſententia in propagationem Chriſtia
» ni nominis, tum certiſsimum quæ maneant à patre illo cæleſti, &
» diuino præmia eò uocant, ut uim etiam futuroſque caſus parum
» timeam: qui tamen ne nos opprimant quoad eius fieri potuit, da-
» ta egregiè à nobis eſt opera. Vos fortem facite animum habeatis
» & magnum, quod eſt in unis uobis ſitum: reliqua temporibus re-
» gentur, conſilijsq́ noſtris prouidebuntur. Accidit ut die qui ſa-
cer eſt D. Ioanni, antelucano tempore, Demetrius transfuga, cu-
ius ſuprà meminimus, cum turmis aliquot equitum & peditum
iuſſu Palæologi, quaſi qui in rem præſentem ueniſſet, circa muros
obequitaret, locáque apta ad oppugnationem deſignaret. Non
tulit Antonius Dambuſsius contumeliam transfugæ (hunc An-
tonium, alij Montelium à ditione more Gallico uocant.) Is igi
tur circa recentem Turcarum aduentum, ad exiſtimationē nomi-
nis Latini pertinere arbitratus comprimere eorū inſolentiam, ac-
ceptis à fratre turmis aliquot equitū, quę maximè ex Aruernorum

r nobili-

nobilitate erant, eò contendit. Turcæ, hortante Demetrio, intenti, infenſiq; eos excipiunt: committitur prælium. Antonius adeſſe, inſtare, multisq; locis ſtipatus equitibus lectiſsimis, in eos inuehi. Contrà ea Demetrius cum Turcis obſiſtere: ubi quenque periculum ceperat, ibi reſiſtere: pedites equitibus permiſti, uim propulſare: denique quando numero uincebant (neque enim plures emiſsi fuerant quàm centum) à tergo Gallos inuadere. Antonius conuerſo equo id intuitus, eo impetu in hoſtes inuectus eſt, ut iam illi implicati & diſsipati cedere cogerentur: magna pars aut uulnerati, aut cæſi ſunt. Ipſe Demetrius, ſuffoſſis illijs equi, procidens obtritus eſt equitum incurſu. Muratius eques Gallicus, dum cæſi ſpolia incautius legit, unà quoque necatus eſt, Turcis etiam caput eius palàm conto geſtantibus, eiq; mira diritate inſultantibus. Hoſtes qui ex prima eruptione Latinorum robur fugati cognouerant, Georgio Frapamo authore (hunc alij Germanum, alij Pannonium, Danum alij fuiſſe contendunt, quiſquis is fuit, machinarum admouendarum egregius fuit artifex, eoq; nomine acceptiſsimus Mahometi.) decreuere non aperta oppugnatione neq; acie, ſed alio more Rhodum oppugnandam. Occupato igitur horto Antoniano, excisis arboribus, tres inuſitatæ magnitudinis machinas erexere, quibus Nicoleum propugnaculum portamq; ſubuerterent. Aduerſus eos conatus Dambuſsius antea eò traductis ingentibus duabus machinis, quibus Baſilici nomen inditum erat, ita aptè eas hoſtilibus opponi curârat, fruſtra ut inceptum eorum fuerit. Erat hortus quem equitum Aruernorum hortum paſsim uocabant, quaſi is eſſet Aruernis equitibus attributus: & quia ad ſubditas eruptiones aptus locus uidebatur, attributis cuſtodibus ſeptus fuerat uallo & foſſa, additis quoq; machinis. Palæologus loco animaduerſo hunc ſtatuit oppugnare, ratus id quod res poſtulabat, aut Dambuſsium laborantibus ſuis auxilia ſubmiſſurum, & urgente ſuorum multitudine intercepturum ſe eos: aut ſi auxilia non ueniant, loco ſe potiturum. Diffidere quoq; cœperat loco Dambuſsius: itaque antequam luceſceret, diſtributis cohortibus & auxilijs, machinas inde abducere parabat. Hoſtes inſtare, urgere. Latini ubi innumerum hoſtium uident, ueriti ne quid grauius accideret, relictis machinis hoſti, in urbem ſe proripuere. Id eorum conſilium, etſi metu fortè compulſi ceſſerant, laudauit Dambuſsius, non ignarus, ſi hoſti occurriſſent cohortes, id futurum, ut occidione occiſi omnes, nullo poſtea uſui in tanta militum penuria ſibi Rhodijsq; eſſent. Rhodi ſitus diſtat à turri Nicolea trecentos ferè paſſus: uergit ea in mare miro artificio, apta ad myoparones bellicos excipiēdos, ad aphracta quà patet in occaſum. Eius exitus paulò eſt anguſtior imminente ingenti cōcauitate: uerſus Septentrionem ea mo-

les ſita

les ſita eſt, eiq; impoſita turris prodigioſo opere, circundata undique rupibus marinis. Viſitur adhuc hodie moles dextro cornu ante portum in mare proiecta: huic impoſitum ferunt Solis nobilem illum Coloſſum, de quo Græci multa, ueteresque omnes paſsim, ut rei captum humani ingenij prætergreſſæ, meminere. Munitam ferunt turrim pecunia collata à Philippo Burgundionum Duce, Caroli quinti Gallorum regis fratre. Perſuaſerat ſibi Palæologus hac occupata, proſpere ſucceſſura omnia. Itaq; rurſus circa hortos Antonianos, & multo plures machinas diſpoſuit, & erexit ingentis molis turres ligneas, Georgio eodem authore: eo conſilio, ut & munitiones, quibus ſeptus eſt portus, conuelleret, & ne naues aliæ auxilium ferrent, facilius impediret. Ex his turribus ſaxa ingentia uoluebantur, ſed irrito conatu: in quo Georgius Palæologi ſpem fefellit. Ac cum ſe illi ſuſpectum uideret, uel dolo malo, quaſi exploraturus Rhodiorum conſilia, antequã luceſceret uiſus eſt circa portas urbis, obuium quenque rogitans, perduceretur ad Dambuſsium. Hunc plerique uelut certiſsimum exploratorem necandum mox cenſebant: alij, cùm ſuſpectum ſe Palæologo uideret, ſponte & ſincera fide tranſijſſe; aculeo etiam diuina ope homini, qui olim ſacra Chriſtiana coluerat, expiandæ ueteris perfidiæ iniecto. Vicit ea ſententia, ut attributis ei ſex cuſtodibus diligentiſsimè obſeruaretur. Ipſe interea rogatus de apparatu, copijs, conſilio hoſtium, grauiter prudenterque diſſerebat. Prægrauant tamen dicta factaq; eius multa, ut quaſi explorator miſſus fuerit: repetitoq; exemplo Tarquinij Iunioris & Zopiri, Rhodum ſeſe proditurum Mahometi ſpoponderit: ita oſtendit ſe infœlicem, cui Chriſtianæ perſuaſionis ueritas poſterior ambitione & opibus fuit. Quatiebat interea fruſtra admotis machinis mœnia hoſtis: pilæ tamen ſæpiſsimè præteruolantes, priuatos infeſtabant. Itaque Palæologus retulit animum ad uetus conſilium, & ſpem Nicoleæ turris occupandæ. Ex his ligneis turribus, quarum ſuprà meminimus, ingentia ſaxa eaq; rotunda, in eam uoluebantur. Quin & nuper cùm trecentas machinas minores admouiſſet, quæ pars in occaſum uergit, ita quaſſata eſt, ut ingentia ea ſaxa quę extra turrim collocata erant, aptiſsimè ad uim depellendam corruerent, quorum ruina ingens exauditus eſt fragor: Signinum tamen aliaq; ædificij opera integra manebant, mortario necdum excuſſo. Commoti ſunt grauiter Rhodij ea ruina. Sed Dambuſsius per induſtrios homines hortabatur, moderatè eum caſum ferrent: ipſi ſe interea contra fortunam cautius pararent & armarent: curaturum ſe, ne turri etiam quæ tanta ruina proſtrata ſit, potiatur hoſtis. Eademque paſsim concionantem audire Rhodij libenter Antonium Fradinum ſodalem Franciſcanum, doctum hominem & ſtudijs optimis deditum: cuius

oratione cùm eſſent moniti ne ita caderent animis; quaſi aliquid eueniſſet, quod fieri poſſe nunquã putaſſent: eſſent uerò ea mente, quàm ratio & perſuaſio Chriſtiana præſcribit, placatè ut ſi quid etiam impendeat ferant, acrius ille ad uim depellendam accenſi ſunt. Vtebatur ille oratione & celeri & concitata, & uerbis efferueſcentibus, quibus id aſſecutus erat, ut unus aptiſsimus eſſet, & ad populum languentem incitandum, & ad effrænatum moderandum & placandum. Interea cùm ſe potituros turri putarent hoſtes, Dambuſsius equites Rhodios delegit, qui locum tuerentur: Fabritio Carreto imperauit, foſſas, propugnacula, nouáſque munitiones intus excitet, quibus uis hoſtium arceatur: huncꝗ cum reliquis præſidio reliquit. Ipſe nauicula uectus, locum ipſum luſtrauit, & quæ muniendo eo neceſſaria erant, ut accelerarentur, continuatis noctu diuꝗ operibus curauit. Ibi uerò cubicula quibus Rhodij equites inſederant, ita oppleta ſaxis arenaꝗ uiſa ſunt, uix ut recipiendis illis uacuus inueniretur locus. Excitata eſt alia munitio circa propugnaculum (quod & uocant antemurale) & turrim quæ à diuo Petro nomen retinet. Ex eo loco uſque ad molem, quæ protrahitur uerſus turrim Nicoleam, quando mare ibi parum profundum, & interdum uado inuento permeabile erat, in ualle & foſsis equites Gallici & Hiſpanici notiſsimæ uirtutis, Craono & Scaligero ducibus collocati ſunt, qui facilè reliquis auxilio eſſent. Sed & machinas bellicas plures circa mœnia auehi iuſsit, quibus naues faſelóſque Turcarum, qui ſeſe accingebant ad turrim occupandam, deprimeret. Nocte ingenti ululatu quid pararent oſtendebant. Prima luce tympanis omnes excitati, ingens undique ſtrepitus. Turcæ noſtros inuadunt: mahinarum fragor ad cœlum ferri. Qui turrim defenſabant, contrà acerrimè niti: neque ullus quàm in dextra ſpem habere: ſagittæ utrinque uolare. Intenti illi noſtros loco pellere: noſtri fortiter uim arcere. Illi rurſus plurimis locis loca ſemiruta oppugnare: noſtri ſaxa uoluere, quibus multos in mare præcipitabant: maius illis ſtudium Turcas ſauciendi, quàm ſemet tegendi. At dum feſsis & ſaucijs recentes undique Alexius Tarſius (nam is eo die Palæologo ægroto Turcis præerat) ſummittit: ſcalis Turcæ propè ſumma occupârant. Concurrunt Latini: lapides, tela, ollas præterea pice ſulphureꝗ igneo plenas ingerunt. Addunt alij funibus & reſtibus quæ ad inſtar ſcalarum aptè compactæ fuerant, hamis & harpagonibus ferreis, quas edocti erant mira arte in turrim ſummo impetu uibrare Turcæ, fatigatos Latinos. Turcæ principio reſiſtere: deinde ubi omnes ſcalæ hamæque comminutæ ſunt, contraxere uela. Multi afflicti: multi præcipitati in undas, pauci integri: magna pars poſt horam diei tertiam uulneribus confecti, Alexio iubente inde ſe ſubducunt.

cunt. Eo prælio Antonius ipſe Dambuſsij frater, unà cum ipſo Dambuſsio interfuit. Octingenti Turcæ necati ſunt, uulnerati mille: præter eos qui in undas excuſsi iacuere, quorum maior numerus, certò tamen iniri non potuit. Ipſe Dambuſsius, excuſſa lapide caſside, territis alijs, pileo ſumpto, nihil remiſit de priſtina diligentia, quin ſuis ſemper præſtò adeſſet. Sagittam quoque in femur impactam, clypeo diuertit: & Fabritio Carreto oranti ſubduceret ſe periculo, cum illi proximus Benedictus Aguius à manu ſeruus cecidiſſet, Tibi (inquit) tuiꝗ ſimilibus labores hi mei ſudant, præſagiens & uaticinans Carreto ſummam Rhodij imperij poteſtatem, qua & poſtea potitus eſt. Ipſe quoque Antonius Dambuſsius prægrauante Turcarum multitudine, ingenti arca è ſatis longinquo loco humeris uecta, ingenti ſtrage proiecta ea multos eliſit & oppreſsit. Sequenti die ad claſsicum paludatus Dambuſsius, & comitatus equitibus ornatiſsimis, qui phaleras equorum, & arma auro & argento polierant, Rhodum redijt. Vbi ei concurſus priuatorum Rhodiorumꝗ omnium, mirabilem in modum incredibili multitudine præſtò fuit. Nihil exoptatius aduentu illius, nihil charius. Plebs Dambuſsium ad cœlum tollere, reſque illius geſtas ſummorum imperatorum uictorijs anteponere. Fortunam eius qua paulò duriore conflictari uideatur, fortunæ quà reliqui reges florentiſsima utebantur, præferre: ſupplicationes ob res proſperè geſtas decretæ. Antonius Fradinus ſacro die concionatus, populum edocuit, uni CHRISTO OPTIMO MAXIMO tantæ uictoriæ fructum acceptum ferendum. Votiꝗ reus Dambuſsius in ſacratum fanum diuæ Virgini profectus eſt: quo damnatus ſpectante omni populo, & Deum & ſacram Virginem obteſtatus eſt, auerterent iram à Rhodijs, & in uiliſsima Turcarum capita transfunderent. Palæologus ea ſpe excidens, admotis rurſus machinis quatiebat mœnia, parans aditum quà ſui irrumperent. Sed & acriter Turcæ urbem oppugnabant, erectis propugnaculis è regione montis qui uergit ad Septentrionem, eo loco quo ſupplicium de ſontibus ſumi ſolet. Loco excelſo machinas admouent, quibus & mœnia & domos Rhodiorum concutiebant. Nec id fefellit Dambuſsium: itaque Iudæorum hortos, domóſque ibi adiunctas ipſe diruendas curauit. Ibi foſſa & uallo locum ambientes, erecto etiam muro ſecundum foſſam, ne eò peruaderet hoſtis effectum eſt. Nemo ab eo immunis opere fuit, uel omnibus paſsim ad tam utile opus operam ſanè quàm lubenter deferentibus, uel motis ipſius Dābuſsij labore, qui lapides, terram, calcem, arenam ſuis ipſe humeris auehebat. Huius exemplo & exteri negotiatores, & Iudæi ipſi, cum Gallicos equites tam cupidos uiderent loci muniendi, operas quoꝗ ſuas in id opus contulere. Franciſcani quoꝗ quidam

è Gallica unà cum Fradino, qui Gallia exulabat, quòd liberius aulica uitia Oliuerio Dano præſente accuſaſſet, ipſi quoque plauſtris ſubuectabant ſabulum: totámq; ea oppugnatione armati negocia attributa ſtrenuè curabant, ut eo maximè motus Dambuſſius uictor, cœnobium diuo Franciſco ędificandum magnis ſumptibus curarit. Horum commotæ exemplo mulieres ipſæ Rhodiæ, & quæ Deo addictæ erant, dum alij incumbunt operibus, cibos occupatis præparant. Ipſæ quoq;, ſi quæ uirili corpore apparuere, cætratæ armatæq; uiſæ in tranſuectione publica, quò hoſti è monte ſpectanti maior numerus uideatur tuentium urbem. Sed tamen hoſtis machinarum aſsiduo impetu ita profecit, ut ſterneret partem muri: nocte quoque ſaxa uoluentes multos è Rhodijs opprimebant. Ita Dambuſsius collapſa celeriter reficere, intus nouas foſſas erigere, has leuiter arena ligno ſuperiniecto tegere, proximè picatum, apparatum ſulphureumq; admouere, ut ſi eà hoſtis irrumperet, facilè opprimeretur: quod Palæologus per exploratores intelligens, irrumpendi conſilium diſtulit. Georgius transfuga futura ea prædixerat Rhodijs, uel uerè ita ſentiens, uel aucupaturus eo nomine apud eos fidei opinionem. Cum autem eorum ſaxorum impetu, quæ ingentia in oppidanos uoluebantur uariè omnes afficerentur, pueros & mulieres quæ bello inutiles erant, in hortum concluſit Dambuſsius, annona affatim illata: eum tabulato ita contexit, illæſi omnes ut fuerint. Noctu plerique in cellis uinarijs, antris & ſpeluncul is, concauisq; locis & tectis firmo opere deſidebant, facilius diu uitantes ſaxa: multi quoque in ædes ſacras ſe abdebant. Ita cum omnes latibulum & perfugium noctu quærerent, nihil hoſtis ea oppugnatione profecit. Neq; tamen Palæologi animus minuebatur: at quotidie plura agitare, machinas rurſus opportunis locis admouere. Vbi multa agitanti nihil procedit, per transfugas aliquot, qui nondum indicto bello ſubdolè Rhodum ſpeculati Dambuſſij conſilia ierant, parat ueneno Dambuſsium tollere. Rumor interea diſsipatus eſt, auctus Calibaſſæ iunioris uanis impoſturis, qui à Mahomete in caſtra miſſus fuerat, adfuturum mox Mahometem ipſum cum centum hominum millibus, & machinis mille quingentis inſignibus. Eo rumore ita Itali aliquot, Hiſpani quoque & Nauarri conſternati ſunt, ut conuenticulis actis quærerent, ſaluum ne eſſet Rhodium imperium. Ipſe Dambuſsius non minuendo neque negando rem, at prætereà augendo addendoq; confirmabat: uocatis ijs qui ſeditioſè iam miſsionem flagitabant, aphractis ſe quas in terras uellent auehendos curaturum ait, lubenterq; ſe eos ex manipulis expuncturum, modò deſinant quærere quantę eſſent hoſtiũ copię. At ſi odioſi eſſe pergant, inferias ſe Murato daturũ, iugulatis omnibus: Rhodumq; Gallis ſolis inuãtib. &

Rhodijs,

Rhodijs, cum Veronenſium cohortibus, quas lectiſsimas Benedictus Scaliger adduxerat, defenſurum ſe edixit. At hi ad frugem redeuntes pœnam ultro in ſe depopoſcerunt, ut obliterata ſeditionis infamia, cùm tumultuoſiſsimè adeſſe hoſtes dicerentur, proriperent ſe, nec redirent, niſi multis capitibus conto elatis. Sequentibus quoque oppugnationibus maximo uſui fuerunt, perforatis aliquot hoſtium tormentis, repentina eruptione. Nec tamen erumpere eos ſinebat Dambuſsius, niſi attributis Aruernis equitibus, ut Palæologus rem eſſe ſibi dixerit cum bellicoſo Cantabro, Quiriniquè & Magni Caroli uetere progenie, & Hiſpano indomito: nouerat enim per transfugas à quibus ea eruptio fuiſſet tentata. Interea Ianus Dalmata transfuga in urbe diſquirebat, quo pacto ueneno Dambuſsium aggrederetur. Denique omnia tentando ſocium ſibi adiungit Pythium Epirotam: erat is Mario Philelpho familiariſsimus, qui erat Dambuſsio à ſecretis. Eum uerò & patris Franciſci nomine, cuius nomen celebre erat; & quòd eius opera crebrò uteretur in præſcribendis epiſtolis & Græcis et Latinis; & quòd humanitate eius in conſuetudine quotidiana magnopere delectabatur, liberaliſsimè fouerat Dambuſsius: recenti tamen ſeditione cui is hæſerat, excidiſſe uidebatur amicitia: ut tamen remiſsione uſus leuata & diſſuta magis quàm extincta uideretur amicitia. Hunc Pythius anxium aggreditur, hortaturquè pœnas petat uiolatæ amicitiæ, Id adeò maturè poſſe euenire, ſi ueneno parent Dambuſsium tollere: eſſe id ei facillimum cui cùm cocis, pincerniſquè Dambuſsianis familiaritas ſit. Sed ille cùm ſimulaſſet ſeſe ea curaturũ, quæ maneant præmia exquirit. Ille Palæologi literas oſtendit, quibus rem acceleret monebatur, quamcunque participibus facinoris fidẽ dediſſet, ſe præſtaturum, nec tamen (ne res deprehenderetur) ſubſcriptæ erant: tantum prima litterarum nomina latius à tergo ſcripta uiſebantur. Marius uti & ingenio: & optimis ſtudijs; quibus erat deditus, æquum fuerat, cùm recepiſſet ſe curaturum quæ in rem uidebantur, cognitis inſidijs ad Dambuſsium pergit: & rem omnem uti acta erat, enarrat. Deprehendi mox ille iubet & Ianum, & Pythium. Pythius interrogatus de inſidijs, quid egiſſet cum Mario, quid paraſſet, principio negare, deinde diſsimulare: poſt ubi tormenta admoueri uidet, omnia uti parata erant aperit: docetquè magnis ſe præmijs ſolicitatum, ut Dambuſsium ueneno tolleret. Igitur Pythio gula laqueo fracta eſt, Iano caput truncatum. Conſcij duo tanti facinoris nominati, cognito indicio mox urbe profugerant. Marium deinceps atdentius complexus eſt Dambuſsius, à quo nulla ſimulatione antea ſe cultum aut obſeruatum, cauſa temporis, ſed ueriſsimo mutuoquè amore intelligebat: præſertim qui in eo lumen inſigne probitatis, & fidei indicio hoc delato perſpexiſſet.

ſpexiſſet. Palæologus diu in incerto habuit, quidnam conſilij caperet, detectis domeſticis inſidijs. Redijt autem rurſus ad Nicoleam turrim: prius tamē parat comminuere eas munitiones quas Rhodij circa littus maris erexerant. Antonius Dambuſsij frater animaduerſo eorum conſilio, quinquaginta ex Italica ſtatione delectis, exitu clanculum ſubtus terram parato, ſummo eos ſilentio emiſit, circa locum quo incipiebant hoſtes ea moliri: ſublatiſque repente ſcalis, telis, gladijs, lapidibus, in fugam Turcas uertere, diſsipato eorum apparatu: decem ex his necatis, quorum capita haſtis uictores extulere. Eos palam laudatos, multis præmijs Dambuſsius donauit: ac tanti eis honores habiti, ut in honoribus decernendis quaſi nimius & prodigus reprehenderetur. Iam Turcæ machinationes ſuas ſumma induſtria turri admouent, ſperantes ſeſe munitiones Latinorum fracturos: ſed quæ hi diruebant, mox multitudine operum & militum reficiebantur. Ineunt autem nouam de integro rationem, ut ponte conſtrato ex tranſuerſo, prodirent ex fano Antoniano uſque ad turrim. Pons ex uarijs lignis conſtratus eſt, cui inerant aditus deſuper, ingentes porrò claui ſuffixi: ita latus, ut exciperet ſex homines armatos prodeuntes. Hunc per mare funibus oblongis & grauius obſtrictum transferre parabant. Geruaſius Rogerius è Britannia minore, rei nauticæ peritiſsimus, noctu indicans ſuis magnum neſcio quid ſe moliri, in mare inſilijt: ſummaque celeritate uſus funes quibus pons illigatus erat incīdit: deinde ordine rem uti erat geſta, in urbem rediens enarrat Dambuſsio. Huic ille ſummos honores habuit, donauitque ducentis nummis aureis, pro concione etiam publicè laudatum. Hæc ubi fruſtra fuere, parant hoſtes pontem ſubductis pluribus nauiculis, in turrim educere: ſimul etiam faſelos alios & pontones miræ magnitudinis, quibus abundabant, ſubducunt, onerantque eos tormentis bellicis: ut & uno eodemq; tempore alij Latinos, qui præſidio turri relicti erant, infeſtarent, alij aſcenſum pararent, alij machinis eos terrerent. Dambuſsio cùm eſſet nunciatum faſelos hoſtium circunduci, eoſque claſſem inſtructam & paratam in aqua habere, nouo præſidio mille delectis equitibus locum auxerat, intuſque omnibus paſsim intentus nouas munitiones pararat. Repente nocte ſigno dato Latini inuaduntur, ſed ſagittis globiſque æneis pelluntur hoſtes. Magna rerum hominumque ſtrages, nocturno fragore ululatuque circunſonante, cymbis tranſuehitur pons: ſed machinas aliquot bellicas Dambuſsius ita aptè direxerat, ut hæ & pontem & reliquum apparatum comminuerint: & quatuor myoparones & pontones aliquot onuſtos bellicis tormentis perfoſſos diſsiparint: ubi multi quoque ex hoſtibus ſubmerſi ſunt. Nec tamen remittebant hi aliquid de priſtina oppugnatione: Nanque multitudine tor-

mentorum

mentorum bellicorum abundantes, uariè Rhodios infeſtabant, qui & ipſi alijs tormentis tormenta hoſtilia ſubuertebant. Protracta ea oppugnatio ex hora noctis tertia, uſque ad horam diei ſequentis decimam. Palæologus ubi uidet ſuorum minui numerũ, receptui canit, & ardens ira in caſtra redijt. Fluitantia hoſtium corpora diebus ſequentibus ripæ appulſa ſunt, & ſpolia à Rhodijs lecta. Duo hominum millia & quingenti deſiderati. Eadem nocte duo è Creta ſtipendiarij, qui tranſitum ad hoſtes parabant, intercepti ceruice luerunt. Circa eam muri partem ubi Iudæi & Itali excubabant, rurſus incumbunt hoſtes: ac die quidem non deſinunt mœnia obruere, nocte uerò actis cuniculis, muro quàm maximè inſtant: foſſas quoque perfodiunt, eaſquè ne uideantur, obtegunt arboribus. Munitiones nouas erigunt, eaſquè uiburnis tegunt, ut inde commodius machinas æneas admoueant. Erat ingens uel foſſa uel hiatus haud longè à muro, quem illi multa arena multiſq; ſaxis illatis per æquare inſtituebant, ut inde ueluti dorſo parato, commodius in murum ſcandere eis liceat. Conſulit Dambuſsius quid agendum, quò pacto diſturbandæ hoſtiles munitiones. Placuit Liguris equitis Caroli (quem quidam aiunt è familia Arruenſium Sixtiquè Pontificis fuiſſe) conſilium, qui machinam ligneam die quidem ſtruendam, nocte uerò altius promouendam docuit, quà ingentia ſaxa in hoſtilia opera laceranda emitterentur. Nec ſpem Dambuſsij ille fefellit: ita ingentia ſaxa nocte emittebantur altius promota machina, ut munitiones eorum comminuerentur. Placuerat eodem authore, ut uacuaretur foſſa ea quam exæquarant hoſtes. Ita nocte cuniculis actis eò multi concurrere, ut magna parte hiatum uti antea uacuum reddiderint. Palæologus tot ſe repente circunuallatum anguſtijs fatebatur, unde nunquam emergeret: Calibaſſæ tamen conſilio non deſinit quatere mœnia. Dambuſsius cum fratre ſanctioreque conſilio ex Aruernis equitibus & Liguribus, & Veronenſibus diſquirit, quo pacto ſe hac expediat turba tanta, iam ruentibus muris qua Iudæi & Itali excubias agebant. Decretum eſt iuxta hortum uicinum extruendam alterum murum, denſatum latitudine geminarum palmarum commodum eſſe: mox figere ima terra paxillos è ligno tenacisſimo: diffundi deinde diſpergiquè uiſci copiam, diu multumque commixtam aqua & irrigatam, intra arborum ramos, quæ mox comprimatur, ut conſtitutum erat, mox opus procedebat: nec id Calibaſſem latuit, Dat igitur operam, ut impediat opus Latinorum, adhibito plurimo igne artificioſè admoto: hic magna induſtria inferebatur doliolis plenis pice & ſulphure, aptisſimus incendio mouendo Accedebant loculi, & ſacculi oppleti alij lana & canabi ferro intermixto, alij ramento, ſcoria & ferri excremento, quibus

ille exiſtimabat ſe munitiones deleturum. Sed accidit ut auſtro re
flante, uel quod uerius eſt, imperitia eius qui machinis ijs erat præ
poſitus, uanus is eſſet conatus, multoſque ex hoſtibus abſumeret.
Ipſe quoque Dambuſsius, quid hoſtes machinarentur per trans-
fugas intelligens, breuibus illatis machinis multos proſternebat:
unde Rhodijs Latinisque aucti animi. Georgius transfuga prius
in eum locum perductus fuerat, uti conſuleret, qua arte eludendi
eſſent hoſtes. Isque cum perfunctoriè agere uideretur, ad extre-
mum conſuluit, ut noua, eaque altiuſcula, erigeretur machina,
unde impeterentur Turcæ. Hæc dum pararentur, machinis hoſti-
libus uexati ſunt Latini acerrimè: ita diffidere omnes illius conſi-
lio, ut transfugam fallaciſsimum ad ſupplicium raperent. Sunt
qui inuito Dambuſsio diſcerptum à furibunda plebe ſcribant.
Sunt qui acerrimis hominibus datum ad quæſtionem, ordine re-
texuiſſe narrent, quo dolo in urbem tranſierit, quibus artibus
Rhodum Mahometi daturum ſe pollicitus eſſet: quibus ſimula-
tionibus alias quoque urbes, aut pellexerit ad deditionem, aut in-
uitas diripiendas, eluſis ciuibus, ei tradiderit: ita laqueo illi gulam
publicè fractam. Eius ſupplicio acciſas ſpes aiunt Palæologi, qui
etſi omnibus modis inſidias parabat Dambuſsio, intelligebat ta-
men neque illi ad cauendum prudentiam aut aſtutias deeſſe. Poſt-
quam uidet uim fruſtra eſſe, neque inſidias quas Dambuſsio facie
bat proſperè cedere, quando quæ ui tentârat, aſpera fœdaque acci
derant: conſtituit alijs aſtutijs Latinos opprimere. Scribuntur lite
ræ à Palæologo Græcis & Rhodijs, quibus narrat bellum hoc à
Mahomete ſuſceptum, ut eos æquitate & fide tueretur, oppreſſos
iam Latinorum ſeruitute. Principio eos uirtutis, continentiæ, be-
neuolentiæ, libertatiſque Rhodiorum propagandæ uiſos ſtudio-
ſos: ſenſim hanc conſuetudinem & diſciplinam amiſſam: deſitum
in eos reliquaque Græciæ lumina uideri quicquam iniquum, ut
iam commoti eorum contumelijs multi patria fortuniſque carere
maluerint: id eſſe clariſsimum & Antonij Meligali, & plurium a-
liorum exemplo. Tandem aliquando miſeræ patriæ conſulant: li-
bertatis legumque præſidium, quod improbitas Latinorum eri-
puit, reſtituant: ne eos patiantur licentia rapinarum quaſi rabie,
ad ſingulos integroſque procedere. Dambuſsium ne audiant,
qui angatur ac laceretur animi cupidine, & noxarum metu in-
quies, abutaturque eorum facilitate: ſibijpſis conſilium ſalutare
capiant, antequam copijs rurſus admotis ferro atque flamma
Rhodum ſubuertant. His literis publicè lectis, Rhodij Dam-
buſsio reſpondere: Pollicitationibus pleniſsimis inſidiarum ſe
nihil moueri: à Græcis uero, ſibi, Latinoque omni nomini paratiſ-
ſima eſſe omnia conſideret. Iuberet demum quæ ad Rhodum
tuendam pertinere arbitraretur, omnia ſe diligenter ſtudioſeque
curaturos,

curaturos, profuſo etiam ſane quàm libenter ſuo, liberorum, uxo-
rumque ſanguine: quæ cùm facerent, amorem erga ſe Dambuſsij
Latinorumque imitaturos, merita non aſſecuturos. Rurſus è Græ
cis transfugis mittuntur legati ad Dambuſsium, qui intromiſsi ua
riè eum ad deditionem Mahometis, etiam oſtentatis præmijs, ac-
cendebāt. Monuerūt, etiā uideret etiā atq; quò progrederetur pro
clinata iam re: non eandem illi ſemper occaſionem in conditioni-
bus æquis ferendis & impetrandis futuram: cogitaret, ne ſe Lati
nosque omnes funditus euerteret: nec ſe prudens, ſciensque eò
demitteret, unde exitum uideret nullum eſſe. His reſpondet Dam
buſsius, conſilijs ſe hoſtium libenter minimè uti integris rebus: af-
flictis uerò conſtanter ſe uitam quam DEO OPTIMO
MAXIMO debeat redditurum: idq; potius quàm ad ullas
deditionis etiam honoratiſsimæ & utiliſsimæ leges ueniat. Cum
legati præſtito aliquo obſequio Mahometi non ad deditionem,
ſed ad ſocietatem ſe eum hortari dicerent, tum Antonius Dambuſ
ſij frater, Tu quidem, ait, frater uerbo ad ſocietatem, re quidem cer
tè ad prædam certam peteris. Ita uitatis inſidijs legati digrediun-
tur. At Palæologus ubi nullis conditionibus bellum componi
poſſe uidet, noua rurſus conſilia capeſsit. Parari itaque iubet om-
nia tormenta, & trigeſimo die poſt uanam oppugnationem Ni-
coleæ turris, & die & nocte ita pergit ſternere mœnia, leuioraq;
alia tormenta in urbem altius emittere, ut quatuor diebus integris
atratum cœlum, & fulgura emittentem condenſatum aerem ſtri-
dore, & fumo ſulphureo omnes dicerent: & erant aliquot turres
altiſsimæ, iamque parte una muri ita proſtrati, ut ad irruptio
nem hoſti locus datus uideretur. Quinto calend. Auguſt. inua-
dunt urbem, multitudineq; prægrauante, muro potiuntur: ibi fi-
gunt uexilla. Idem faciunt circa turrim Italicam: ſed à læua & ſini-
ſtra accurrentibus Italis & Cantabris, quibus & ſubſidio ue-
nit Antonius Dambuſsius cum nobilitate Aruernorum, pellun-
tur hoſtes: & mutilatis corporibus, alij cadunt, alij præcipitantur
Qua in re Caroli Montlij Aruerni equitis nobilitata eſt uirtus.
Erant quatuor ſcalæ quibus aſcenſus & deſcenſus patebat in ui-
cum Iudæorum, quo loco fuit ea irruptio. At cùm animaduer-
tiſſet Dambuſsius unà Turcas in urbem deſcendere, comminutâ
ea, qui temere irruperant diſcerpti ſunt. Altera ſcala cum iam inſtā
rent hoſtes; ipſe Dambuſsius conſcendens impetu facto ſæpe
hoſtem ferire, ſtrenui militis & acris officia exequi, temere in-
uectos diſturbare: alios quoque equites Rhodioſque inducit,
qui hoſtes perturbatos loco depellunt. Multi cum cecidiſ-
ſent, rediere tandem hoſtes in caſtra. Eo prælio plagas acce-
pit Dambuſsius quinque: harum unam circa mamillam dex-
tram, letalem medici dicebant: Dei tamen ope merſit ille ex incom
moda

moda ualetudine. Cæſa Turcarum tria millia: addunt alij quingentos & trecentos, qui conciſi ſunt in uico Iudæorum: addunt & perterritos hoſtes & deſtitiſſe oppugnatione, inſpecta in aere cruce inſigni, & uirgine fulgente, quæ manu ſcutum & haſtam geſtabat: aſtitiſſe huic ſynthesi hominem indutum, ſtipatum inſigni nobilium comitatu, quaſi pararet obſeſsis ferre opem: Iacobus Sadoletus ſcribit fulgore inſolito cælitus ad confirmandos noſtros apparente, pleroſque Turcarum in acie ſine uulnere, ſine ſanguine, ſine ulla aperta ui cecidiſſe. At Palæologus cum ſuorum numerum imminutum uideret (cæſorum enim numerum ad octo millia, ſauciorum ad quindecim millia multi protrahunt) anxius trahere cum animo ſuo, omitteret'ne Rhodi oppugnationem, quæ fruſtra hactenus fuiſſet, an fortunam opperiretur, qua ſæpe proſperè uſum ſe meminerat. Hæc cum plures dies nocteſque æſtuans agitaſſet, deſperans uictoriam, tandem deliberat ſuos inde educere. Accelerauit conſilium profectionis fama, quæ ante paucos dies percrebruerat Latinorum auxilia è Gallia, Neapoli, & Roma aduentare. Ferdinandus Neapolis Rex, ſubſidio Rhodijs mittebat naues duas duce Ioanne Poo, refertas militibus, commeatu, machinis. Hæ portum, inſpectantibus Turcis, ingreſſæ ſunt: emiſere tamen hi in eas machinas bellicas, quarum impetu malus unius diruptus eſt. Harum una cum deerraſſet paululum, Palæologus, miſsis uiginti myoparonibus, eam inuadit. Effuſi erant omnes in hoc ſpectaculum. Tribus horis integris pugna protracta eſt, dum hoſtes circunuenire nauim parant: ſed ea talibus erat machinis munita, ut reſpirandi hoſti nullus locus daretur, tametſi agitatione maris parum abfuit, ne obrueretur. At ſedatis iam fluctibus, & tempeſtate commutata, elapſa tandem, tribus depreſsis myoparonibus, ad Rhodios ſe recepit. Erat in naui ea Neapolitana Franciſcus Auerſanus à Sixto pontifice literas afferens, ante decimum quintum diem, niſi interea ſolutam obſidionem Dambuſsius nunciet, ſe ingentem nauium, faſelorum, hominumque multitudinem miſſurum: liberterque omne ærarium pontificium in tam ſanctam expeditionem exhauſturum. Hæ literæ publicè cum eſſent recitatæ, recreati ſunt omnium animi, gratiaque habita Pontifici. At Turcæ ſuccisis prius arboribus et uineis, abactoque pecore quantum licuit, inde ſeſe proripuere. Poſteriore ea oppugnatione ſunt qui ita Turcas ſibi certam urbis direptionem adfuturam crediderint, ut octo millia palorum adduxerint, quibus publicè denunciârint, ſe palis podici impactis fixuros totidem Latini nominis: repertique ſunt circa zonas cæſorum funes, quos in Latinos, ut non dubio euentu, portauerant. Tribus integris menſibus obſidionem tulere Latini, magna animi conſtantia: aut ut alij malunt, octo-

ginta

ginta diebus. Christophorus Richerius cœptam obſidionem ad undecimum Calend. Iul. ſolutam, ad ſextum decimum Calend. Septemb. ait. Hæc habui quæ de Rhodij priore oppugnatione ſcriberem, ut obliteratam penè Dambuſsij memoriam ab obliuione hominum, atque à ſilentio uindicarem: qui cùm bello aſperrimo premeretur, armis, machinis, militibus multis ſpoliatus, occupata etiam murorum parte, nunquam defeſſus ſit, uel uitæ iactura de ſacroſanctæ noſtræ perſuaſionis honore, Rhodique ſalute pugnare. Non doli, non inſidiæ, non multitudo Turcarum, non aduerſa aſperaque res ingentem eius animum ſubegit, quin quem uirtute adeptus erat principatum, ſimul cum anima retineret. Quę multis bellis militans uiderat, quæque ab adoleſcentia à prudentiſsimis uiris tradita, memoria & ſcientia comprehenderat, his aduerſis rebus uſus eſt, atque ita ſemper inſtructus fuit, non modo tranquilliora ut læte ferret, ſed omnia turbidiſsima etiam ſi eſſent, tamen ex conſcientia & factorum & conſiliorum probatiſsimorum, quæcunque acciderent, fortiſsimo & maximo animo ferre paratiſsimus eſſet. Atque his quidem magis prudentibus conſilijs, ut qui ſeſe antea aduerſus tantam potentiam munierat, & ſincero cultu diuini numinis, quàm magnitudine uirium ferociſsimos hoſtes depulit. Cuius utinam exemplo Pontifices maximos, Cæſares, Reges, Regulos, liberos populos ea cupido exerceat, ut quàm primum labantem rempublicam Chriſtianam fulciant: labefactatoque Turcarum imperio decora Chriſtiani nominis priuatis commodis potiora habeant: neque ſacroſanctum CHRISTI nomen apud Afros, Aegyptios, Iudæos, Aſianos, Græcos, Macedonas, Illyrios, Theſſalos, Hongaros tabeſcere uetuſtate, ac per ſummam ſocordiam dilabi patiantur. Eniterentur porrò & contenderent, ut longi temporis uſuram, qua caruit Chriſtiana reſpublica intermiſſo officiorum debito, & induſtria, & fortibus conſilijs, & magnitudine copiarum ſarcirent; tantumque ſtudij, operæ, laboris, pecuniæ, ad conficiendum bellum conferrent, quantum maiores ſuos, quorum pietate aucta habent quanta quanta ſunt aut imperia, aut regna, contuliſſe exploratum eſt. Ac niſi ſui ipſi moroſi æſtimatores, fructus quos uetus inertia deſidiaque Chriſto ſubtraxit, omnes à ſeipſis exigiſſent, hac amplitudine imperij, hac maieſtate regnorum, hoc ſplendore dignitatis, non ſe ſatis dignos iudicarent. At enim quouſque tandem illi deſinent in mutua corruere uulnera? quouſque deſinent multipliciter animos curis atque uigilijs fatigare, uicinos ut propinquos, affines, fœderatos reges regnis ſpolient? quem ad finem ſeſe efferet præceps hæc & inquies ambitio. Quid expectant niſi ut Græcorum & Aegyptiorum exemplo, antè opprimantur quàm anhelãtem Chriſtianorum omnium perniciem Tur-

cam, debacchantem inaudita crudelitate, ſitientem Chriſtiani cruoris, depellere poſsint? An non, obſecro, intuentur quid Trapezuntijs Byzantijſque, quid Mycenis, Andronopoli, Spartæ, Mothoni tam immani ſeruitute oppreſsis acciderit? En uidemus lugere Græciam, Macedoniam plangere, eiulare Cyclades, Cariam dolere, Phrygiam ingemiſcere, Dalmatiam queri, Theſſaliam mœrere, triſtari Bœotiam: ſuperata ſeptem oſtia Nili, Alexandriam omnemque Aegyptum domitam, occupatam nuper maiorem Vngariæ partem: fugiſſe Arabes, Hieroſolymam iugum ferre coactam, formidare Caras, metuere Perſas, expaueſcere Aſſyriam: & interim ſemper putamus nos ab iſto periculo uacuos futuros? Vſque eò ſumus eneruati, ut ruinam proximam longè & malimus ſpectare & otio tabeſcere, quàm in uenientem procellam diuertendam incumbere? Profectò niſi tandem nobis conſulimus, qui hactenus tantos terrores iecerit atque denunciarit, malum dabit Chriſtiano nomini. Eruptura ſunt peſſima conſilia in capita magnatum, neque ſinent ætatem noſtram quantumcunque diuturnis laboribus deuexam, ad otium domeſticarum curarum ſpectare. Si decoris cauſa bella ſuſcipimus, quæ cauſa belli præclarior? Si opes quærimus, omni tot regum gaza, tot Cæſarum, quæ fuit maxima potiuntur Barbari. Hic pecunia, diuitiæ, fructus congeſta ſpolia multorum annorum. Expergiſcantur itaque tandem Reges, Pontifices, Cæſares. Si ſtant, ingrediantur: ſi ingreſsi ſint, currant: ſi currere cœperint, aduolent, ut flagitioſam, impiam, ſacrilegam Turcarum uim Chriſtianæ exiſtimationi petulantius illudentem oppugnent, lacerent, contundant, deleant. Excutiant ſe ipſos aliquando, magnitudinem animi excitent, ad pulcherrimum opus contento curſu nitantur. Impertiantur Chriſtianum nomen hoc beneficio, ut tot gentes laboribus eorum conſeruatæ, libertatem & ſalutem gloriæ fortitudinique eorum acceptam referant. Sed reprimam iam me, nec inſequar hæc longius. Quæ quoniam in hunc locum ſemel incidiſſem, admonendos eos putaui, ne per uniuerſum orbem terrarum, uaſtitatem, bella, cædes Chriſtianorum, oppreſſorum indigna ſeruitute gemitus paſsim exaudirentur. Cæterùm CHRISTVM OPTIMVM MAXIMVM precor, ut quocunque modo agent, ea eis res, reique publicæ Chriſtianæ proſperè ueniat. Ac de priore quidem Rhodi oppugnatione hæc dicta ſint. Reliquum eſt ad poſteriorem expugnationem ueniamus, in qua conſultò breuiores erimus, cùm & extent Gallicè ſcripti commentarij eius hiſtoriæ locupletiſsimi à F. Macedonio, Gallo eodem equiteque Rhodio, qui huic bello interfuit: & Latini multi, ita tamen ſcripti, ut alij ab alijs multis locis diſſentiant, qui & in linguam

guam Italicam uerſi ſunt. At hoc non ſcriptorum eſſe uitium arguere debemus: quippe eodem loco dum diuerſis locis urbs oppugnatur, omnes non poſſunt intereſſe: quos cõſecuti multi ſunt, in eodem hiſtoriæ genere uerſati. Cum Fabritius Carretanus Rhodiorum imperator è uita emigraſſet, comitijs habitis de nouo imperatore deligendo, accidit ut Philippus Villarius Liladamus Gallus, & Thomas Docrans Britannus æquales calculos ferrent, nulla habita ratione Antonij Moralij Luſitani, cuius præpropéram prenſationem omnes repudiarunt. Vbi æqualia ſunt ſuffragia, uetere Rhodiorum more, eſt in poteſtate primi maximique equitis, qui ad ea comitia delectus ſit, renunciare utrum malit. Is igitur Philippum Liladamum cum renunciaſſet, è Gallia ille ſalutato prius Franciſco rege uocatus tandem Rhodum peruenit. Ex eo tempore Moralius, qui nullum calculum tuliſſet, mirandum in modum fuit abalienato animo, non à Villario ſolùm, ſed à Rhodiorum omnium libertate. Eo odio percitum atque actum precipitem, non dubitaſſe multi ſcribunt, & in ſe & in Rhodios peſsimè conſulere: & nouandis rebus ſtudentem communicaſſe clanculum cum Solymano, quibus artibus Rhodo potiretur. Et iam diſsipatis rumoribus, cum parare diceretur claſſem, arma, milites, Solymanus ad Rhodum oppugnandam, mittit Villarius Ioannem Lupum Aruernum circa uicinum mare, ad exploranda hoſtium conſilia. Atque his faſelo ſuo, comitatus aliquot aphractis, intercepta naui Turcarum, eam Rhodum perduxit. ex captiuis notiſsima fuere Rhodijs hoſtium conſilia. Diſpari euentu Alphonſus Trotus & Iacobus Xaicus alter à piratis, alter fide ab hoſtibus data, dum in colloquium uenit, intercepti & abducti ſunt ad Solymanum: qui cùm Xaicum uerborum contumelijs infeſto ore laceraſſet, tormentis queſtionem habuit de conſilijs & apparatu Rhodiorum: ac tum fuit immemor humanitatis, quam interdum oſtentare ſolet, ut ſuam inſatiabilem crudelitatem in hominem fide publica abductum exercuerit. Menetonus eques Gallicus uitatis inſidijs, ſubduxit ſe huic procellæ. Annona deinde & molis ligneis, reliquoque apparatu ad obſidionem tolerandam neceſſario, purgatis etiam ſordibus urbis & murorum: propugnaculiſque luſtratis & inſtauratis, ubi opus eſſet, munijt Rhodum Villarius: uocatoſque Rhodios equites acriter accendit, ad obſidionis incommoda toleranda: eademque eiſdem & Rhodijs alio tempore, cùm appropinquare Turcarum aduentus putaretur, per Leonardum Baleſtrinum Genuenſem pontificem Latinorum apud eos, & Rhodijs per Clementem epiſcopum Græcorum proponi iuſsit. Baleſtrinus ex ſodali Franciſcano ad pontificatum peruenerat: cuius toto hoc bello, & beneuolentiam erga ſe, & fidem expertus eſt Villarius. Clemens

ea erat opinionis ſanctitate & probitate, ut uetere Græcia digniſsimus paſsim haberetur. Miſit interea ad Carolum Cæſarem Villarius, ad Franciſcum Galliarum regem, ad Henricum Britanniæ, Rhodios aliquot equites, cùm fruſtra auxilium ab Adriano pontifice & Leone expectaſſet: qui eos hortarentur ſuam quoque rem agi, auxilium Rhodijs ferrent aduerſus eos hoſtes, quibus tandem obuiam niſi uentum ſit, annorum aliquot proceſſu in eorum fines irrupturi ſint: eoſquè aut poſteros eorum, fœdum in modum habituri, & in graue & gloriæ & ſalutis amittendæ adducturi diſcrimen. Suſciperent uero communem religionis cauſam, maiorumquè ueſtigijs conſectandi, hæreditatem eorum non minus laudis, quàm regnorum cernerent. Ita ſibi perſuaderent inſitas inimicitias huic eſſe genti cum Latino nomine, ut oppreſſum uelit: ac tum demum tale quid quod operæpretium ſit, feciſſe ſibi uideatur, ſi obterere & contundere Latina decora poſsit, ac nobis negotium faceſsitum intelligat. Sed hęc occupatis eis diſtractisq; Belgico Italicoq; bello, fruſtra fuere.

Incidit poſterior hæc oppugnatio Rhodi in annum M.D.XXIII. VI.Cal.Iul. certior factus eſt Villarius, qui paulò antea, ne prædæ eſſent hoſti, hortos, uicinaſquè regiones imminentes uaſtauerat, adeſſe Turcarum naues cum Mahomete Carra. Cœpit claſsis periculoſo aditu ſub Rhodiorum conſpectum ferri, ſed machinis à Rhodijs emiſsis mox inde abacta eſt, ſeceſsitq; in Boium promontorium, quod alij Parobolinum uocant. Sed cùm rurſus machinis emiſsis uariè illi uexarentur, in terram paulò pòſt ſubducti ſunt. Hieronymus Bartolutius Florentinus communicato cum nauticæ rei peritiſsimis aliquot conſilio, hanc inibat rationē incendendarum nauium hoſtilium, ut myoparonibus lectiſsimis & leuiſsimis, quaſi eliceret hoſtes ad pugnam, his occurreret, miraquè arte factitium ignem qui uaſculis concludebatur, nauibus hoſtium aliquot locis inferret. Sed cùm magni ſumptus fieri deberent in eam & res periculi plena uideretur, repudiatum eſt id conſilium. Interea copiæ in inſulam perueniunt: explorantquè qua parte commodius urbs oppugnari poſsit. Placuit occupare eum collem, qui fano ædificato ſacer erat Coſmæ & Damiano, ſpectans in Britannicam ſtationem. Tricoplerus cum delecta Britannorum multitudine eam tuebatur. Moſtaphes cœpit eum locum adhibitis emiſsiſque machinis uariè quatere, Pyrrus Apocletus Italicam ſtationem ſimul terrere cœpit. At cùm loci depreſsione fruſtra hic eſſet labor, cœpere, aggere proiecto, foſsis loca aliquot urbis circundare: nanque Turcæ calonum multitudine abundabant, ut eis ad ea opera tum perficienda I. Fontanus quinquaginta hominum millia, alij ſexaginta adfuiſſe prodiderint: exciſaſquè ab his rupes duriſsimi ſilicis, & campos

pos montibus aggere æquatos, & complanata foſſuris montium iuga. Conſtabant hi maximé ex Aſapis. eſt id apud Turcas genus militum, quos Turcicæ urbes mittunt, exhibito in ſingulos menſes trium nummûm aureorum ſtipendio, quos Solymanus aut remigum loco, aut operarum interdum habet. Achimetus interea ſtationem Hiſpanicam, & Caſsius Antoniam portam uicinaqúe loca uariè tormentis emiſsis quatiebant. At Villarius in eos qui opera hoſtium accelerabant, cuniculiſqúe agendis intenti erant, ſuos erumpere iterum atque iterum ex urbe iuſsit: ſimul aptiſsimè monet ubi elicuerint hoſtes, recipiant ſe: nam machinis ſe ingẽtem ſtragem facturum: Erumpunt Rhodij equites, proſternunt innumeram calonum multitudinem. Moſtaphes id intuitus, ſuos properè caſtris educit: illi infeſti adeſſe, inſtare. Hos ludificati Rhodij, nunc leuitate equorum impetum eorum declinabant, nunc quaſi conſerendi manum cupidi, urgere. Poſtremò quaſi cedentes citato curſu, uarijs locis diſperſi, ad ſuos ſe recipiunt: cum interea in Turcas proximos emiſſa tormenta infinitam eorum multitudinem proſtrarunt. Id Moſtaphes & Achimetus intuiti, pluteos quibus contegerentur qui operi inſtabant, erexere. Pyrrus machinas opponi etiam iuſsit quæ mox in erumpentes emitterentur: noctuq; opera promoueri iubebat, die facilè innumera multitudine Turcarum opera tuente, Interea Baſilius, quem alij Rhodium, alij Cretenſem fuiſſe aiunt, ſimulato mercatoris officio, dum cibos uicino littori quaſi uenales oſtentat, interceptos aliquot Turcas faſelo impoſitos Rhodum perduxit. Qui cum principio rogati de conſilijs hoſtium uarias nectere uiderentur captiones, tandem metu tormentorum omnia ordine enarrant, ut illi Solymani aduentum expectent, interea parum in officio miles contineatur: eius aduentu futurum, ut ſtrato muro peruadere in urbem illi modis omnibus enitantur. Quo die illi adfuturum Solymanum prædixerant, qui fuit V I. Calend. Septemb. eo is adfuit: aduentumqúe eius Rhodij perſpexere, emiſſo ingenti undique machinarum fragore, & cum eó uenientibus quindecim bellatorum millibus. Is ubi aduenit, ut ſe acrem & ſeuerum imperatorem oſtenderet, multos, quos Pyrrus ut ſeditioſos criminabatur, cum ignominia dimiſit: in exercitu recenſendo multorum increpita inertia, acerbior uiſus eſt. Turris Phari faſtigia, eó aduenienté, cum ut è præalta explorarentur à Rhodijs multa, diruere hoſtes. Admotis itaque machinis rurſus uexare urbem conſtituit. Proijciebantur & magno conatu globi ſaxei, quibus parum abfuit quin ipſe Villarius opprimeretur. Immiſsi quoque ſunt paſsim cupro contecti, inſtar pilarum paſtilli bituminati, refertiſsimi pice & ſulphure. Rurſus eiuſdem apparatus alij globuli contecti intortis reſtibus, quibus ferrei aculei hærebant:

qui tetrum in modum odoriferi, cùm eſſent acuminati, ubi hære- bant, uariè, quos impetebant, lacerabant. Sed maiorem in modum obſeſsi fatigabantur, & terrebantur aſsidua conquaſſatione tormentorum ingentium. Horum duodecim Baſilicos, quindecim Salamandras, tredecim, quorum magnitudo alios ſuperabat, Crocodilos uocabant illi, prædam aduectam direpta Aegypto: quorum perpetuo impetu factum, ita ut comminuerentur mœnia, duriorem ut conditionem impendêre ſibi Rhodij iam uererentur. Turcæ ut tormenta ſua ſarta tecta ſeruarent à Rhodiorum impetu, hanc ineunt rationem, ut aſſeres contignatione proxima coniunctos ſupponerent, hiqúe medio loco introrſum ab axibus ſuſtentarentur, prominentioriqúe loco reſtibus ad machinarum extrema diducto, in altitudinem ingentem rem euexere, ut tormentorum os apertum uideretur inde inducto ad foramen igne mœnia quatiebant. Diu cùm laboraſſent Latini in diſturbandis his operibus, tandem rem illi ad exitum perduxere, non ſuppetente noſtris apparatu puluer is. Itaque in hunc celeriter conficiendum ſuos ipſe equos maiores & delectos ex ſua cohorte fideliſsimos quoſque Villarius præpoſuit, in quibus fuere Belgæ aliquot. Solymanus interea increpita eorum ſegnitia, qui uanè tandiu tempus tererent, nouo conſilio ad turrim Nicoleam occupandam incubuit. Sepſerat eam Villarius præſidio delecto ex Gallicis equitibus & Cantabris fortiſsimo, quibus præfecerat Guydum Raguſum Gallum. Admotis tormentis cùm ſperarent hoſtes ſe loco potituros, rurſus proiectis ex ea alijs tormentis Raguſus ita Turcas infeſtabat, ut tormentarios eorum plures, & tormenta ipſa laceraret. Ita factum ut omiſſa diurna oppugnatione, nocte tormenta rurſus illi promouerent, nihilominus nocturna quàm diurna oppugnatione promouentes. Namque Raguſus qua parte nocte ueriſimile erat emiſſuros hoſtes tormenta, ita ſua quoque collocata diſplodebat, ut iurarent hoſtes patefacta ei prius omnia conſilia. Suffodiendis itaque rurſus cuniculis Pyrrus incubuit circa Rhodum; Villariuſque his auertendis, ut utrinque multi deſiderati ſint. Britannicum tamen propugnaculum magna ex parte ab hoſtibus proſtratum eſt, Britannis multis oppreſsis. Et iam ea parte tumultuoſè nunciatum eſt Villario inſtare hoſtem, & muro potiri, cùm ille cum cohorte prætoria adcurrens, multis necatis loco deturbat. At Moſtaphes ſuos reuocans, & feſsis recentes ſubmittens, prælium acrius renouabat. Rhodij, Galli, Hiſpani equites pilis plumbeis emiſsis, ſimul aduectis breuiuſculis tormentis, ita lacerabant hoſtes, ut nihil niſi de fuga conſulerent. Fracti itaque & debilitati pedem referunt: ac multis cæſis ex Hiſpanis & Gal-

licis

licis Britannicisq́ equitibus, quorum, ut & Italorum quorundam, animi magnitudinem eo congreſſu omnes extollunt, qui huius temporis res geſtas conſcripſere: ex Turcis mille cæſos, alij duo millia addunt, alij mille quingentos. illud quoque prodidere, ex Britannica ſtatione machina emiſſa necatum tormentorum magiſtrum, qui ob ſingularem induſtriam charus erat Solymano: & ex Gallis XX deſideratos, ex Hiſpanis XVII, ex Italis XIII aiunt, prorſus oſtentantes magna ſe incuria ſcripſiſſe hiſtoriam, cum oppugnationi interfuerint, ac nomina ſiletio obruerint fortiſsimorum uirorum, & immortalitate ſcriptorum digniſsimorum. Recenſent tamen inter cæſos Philippum Lommelinum Genuenſem, Petrum Melam Senenſem, & Michaelem Dargelinuntium inter ſaucios & Baptiſtam Romanũ, & Franciſcum Telum Luſitanum, & Henricum Manſelleum: quin & Gallicus ſcriptor quatuor addit ſauciatas Rhodias mulieres, quæ uaſcula picenapice, ſulphure & igne immittentes, uirilibus ipſæ officijs in patria tuenda utebantur. Omnes conſentiunt, dum ignis in cuniculos ab hoſtibus immittitur, intremuiſſe urbem eo pacto, ut ruinam omnes uererentur. Addunt & ea ſtrage mœnia ita procidiſſe, facilis ut eſſet hoſti irruptio, ſed anxios metu ui tunc abſtinuiſſe. Ita acriter irrupiſſe eos, ut aliquot uexilla fixerint in faſtigijs propugnaculorum & murorum: & per ruinas aditum ſibi facilè eſſent paraturi, niſi erectis à Villario prius munitionibus ex aſſeribus & trabibus, ab ipſis Rhodijs loco deiecti eſſent: & ex noſtris tantùm tredecim deſideratos uolunt. Quinto die poſt id prælium rurſus Moſtaphis hortationibus, inuadendum id ſibi Britannicum propugnaculum Solymanus credidit: & iam penetrârant per loca prius diruta Turcæ, Britannosq́ loco depulerant. At Villarius cum equitibus lectiſsimis occurrens, rurſus excitat Latinos. Inſtauratur prælium quantum unquam antea: iam qui potiebantur propugnaculo, præcipitati temeritatis pœnas luebant. Pyrrus & Moſtaphes compeſcunt fugam ſuorum: ita rurſus redintegratur oppugnatio, quæ eò durior erat, quòd globis æneis, & telis longè emiſsis Latini ſauciabantur. Sed cùm ſuis laborantibus Aruernos equites plures ſubmiſiſſet Villarius, tùm uerè fuga facta, receptui quoque Moſtaphe canente ob cædes purpuratorum aliquot, qui apud Solymanum gratia atque authoritate ualebant. Hos alij fuiſſe aiunt ex eo ordine, qui apud Turcas honoratiſsimus eſt, quem alij Spacum Oglanum, alij Spahiglanum uocant: qui eo loco quem Turcæ uocant Clauſuram, liberaliter inſtituti, ſerijs honorificisque negocijs præficiuntur, quibusq́ & mulieres educatæ apud eandem Clauſuram, & ſorores & filiæ nubere ſolent ipſius tyranni. Fatentur omnes incredibilem ea pugna fuiſſe animi magnitudinem Emerici Ruiauli Ar-

uerni, qui propè amiſſum uexillum Rhodiæ, militiæ multis cæſis hoſti feroci extorſerit. Pyrrus non ſuccedente hac parte, ui propugnaculum Italicum ſummo impetu; paucis poſtea diebus adoritur, admotis tormentis quibuſque eximijs: eodemq; impetu ſtationem Narbonenſem ſuffoſsis cuniculis inuadit Caſsius. At Gabriel Chierus Narbonenſis contrà actis cuniculis, compreſſit eius conatus, ut & Gregorius Morgutus Pyrri. Emericus Amboſius ſummus olim Rhodiæ milititiæ princeps, ingentem aggerem ſtruendum curârat, proximum Italico propugnaculo. Pyrrus cùm eum lócum altero die cum Syro milite inuaſiſſet, necatis qui cuſtodiæ præpoſiti erant, loco iam potiebatur. Vndique ſtrepitus quaſi capta urbe, Rhodij ciues permixti equitibus, & multi è Franciſcanorum ſodalitio, & Æthiopes ſerui aduolantes pellunt Turcas. Pyrrus Turcas integros ſaucijs ſubmittens, rurſus aggere potiebatur. Noſtri rurſus inſtare lapidibus ferreiſq; ſudibus, & haſtis & uerubus impellere Turcas. Tardatus eſt hoſtium impetus induſtria Fernandi Gentilis, qui ex uicino propugnaculo in latus irrumpentium multis emiſsis machinis, & conglobatos diſsipabat, & diſperſos alijs facilius detrudendos proponebat. Clamor permiſtus hortatione, acclamatione, fremitu, gemitu cæſorum ad cœlum ferebatur. Pyrrus, ubi conſilia ſua ſecus procedere, neque quod intenderat effici poſſe uidet, anxius immitteretne ſuos, rurſus deliberat. Sed cum tribus integris horis pugnatum eſſet, & nunciata cæde purpurati alterius, indignatus Solymanus, ſuos reuocaret, iubet: paruit ille, ſuóſque in caſtra reduxit, trahens ſauciorum ingentem multitudinem. Moſtaphes, qui apud Solymanum ſe uileſcere ſentiebat, ob fruſtrà iam bis Anglicam ſtationem tentatam, rurſus eò contendit, altera quoque parte Achimeto Hiſpanicam impetente. Moſtaphes ſuos hortando ad uirtutem arrigere prorſus intentus, ſummo impetu fertur in Latinos: illi hoſtem infeſtum uidentes, ac recordati omnia ſua decora in extremo ſita eſſe, mœnibus hoſtem prohibent, eóq; acrius inſtant ac fundunt. Cum labare Britanni dicerentur prægrauante Turcarum multitudine, eò Villarius mittit Ioannem Bouchum Britannum, cum delecta Italorum Cretenſiumq; ala: qui ſuperuenientes detruſerunt animoſè hoſtes. Multi fortiter pugnantes è Britannis deſiderati, quos rurſus huius hiſtoriæ ſcriptores ſilentio obruêre, excepto Ioanne Buocho. Preianus Aquitanus eo die cùm aliorum fortitudinem uiciſſet, ſeipſum uicit, ne circa gulam quidem plaga accepta impeditus, quò minus pleroſque ex hoſtibus inſtar pecorum mactaret: fuit & toto eo prælio eius induſtria apud Villarium Rhodióſque celebris. Maiori impetu Hiſpanos fatigabat Achimetus, ut iam in faſtigia muri uexilla Turcarum fi-

rum fixa eſſent. Sed Hiſpani equites tanta ui occurrebant, ut niſi saucij magna ex parte omnes paululum remiſiſſent de priore impetu, ſoli facilè innumeros hoſtes fugaſſent. Saucijs Villarius mox adfuit cum Aruerno equite & Germano: quo factum eſt, ut qui loco iam potiri ſe exiſtimabant, magna clade depulſi, ſenſim ſe ad ſuos reciperent. Crediderat Achimetus initiò ſe loco hac arte potiturum, cùm prius ſubter effoſſos cuniculos igne immiſſo ingentem mœnium partem fregiſſet, puluere ingenti ſimul Latinis obiecto, & ipſe quidem quæ parauerat induſtriè executus eſt. Sed cùm per alios ſubter cuniculos Latini impetum in hoſtes feciſſent, admotiſq; aliquot machinis nihil tale metuentes oppreſsiſſent, ualdè debilitati ſunt: qua in re Chriſtophori Vualderici Germani uirtus non immeritò celebratur, qui memor generis et Germanici decoris, in confertiſsimos hoſtes incurrens, duobus eorum uexillis potitus eſt. Nec tamen Achimetus abſiſtebat oppugnatione, ſed maximo clamore, infeſtis ſignis, rurſus recentes ſubmittit: hi uerò miſerè atterebantur & lacerabantur emiſsis machinis ex propugnaculo uicino à Ioãne Maupaſo læuo latere: & rurſus alijs emiſsis dextro latere à Franciſco Gienraucio: alijs quoque emiſsis ex tectis domuum proximarum, quas ſolerter ubi inſtare uidet periculum, eò aduexerat Gabriel Martiningus Brixienſis. Itaque cùm uim fruſtra parari uideret, è proximo loco Achimetus ita ſuos reuocat, ut tamen non deſineret ſtrata iam mœnia undique tormentis quatere: & quidem plus eo pacto Rhodo nocuit, quàm ſi ui aperta, ut cœperat, irrupiſſet. Villarius tamen, diruta, quoad eius fieri poterat, inſtaurabat. Sed ea multitudine machinarum hoſtes abundabant, ut iam, in quartum menſem protracta obſidione, omnia Latinis aſperiora: Turcis, in quorum exercitu adfuiſſe conſtat plusquam centum hominum millia, proſperiora uiderentur. At Caierbeius in eam muri partem inuectus eſt, quæ ab Aruernis equitibus defendebatur. His Raymundus Rogerius, quem Gallum, aut Rhodi patre Gallo ortum ſcribunt, præerat. Falſi ſunt tamen Turcæ qui ſperabant artificio cuniculi lapſurum murum, & qui incautius eò properârunt, necati ſunt. At Caierbeius modò huc, modò illuc cum globo Turcarum adcurrere, pro fatigatis ualidos ſufficere: neq; uerò Aruerni, neque Turcæ pedem referre, pugnare utrique ſumma ui: undique bellantium clamor, occumbentium planctus exaudiri, primis confoſsis per eorum ſtrata cadauera reliqui congredi: & iam qui ſcalis mœnia conſcenderant, deiecti ſunt. At Caierbeio urgente, uociferante iterum irrumpere, iterũ aditum ad mœnia conari, iterũ Aruernos in extremã belli aleam deducere. Tandẽ Aruernorũ uirtute Turcæ fatigati potius quàm uicti, à mœnium oppugnatione abſtinuere. Caierbeius ſubducta ratione ignis, tanto

impetu

impetu in cuniculum immiſsi, fragoreq́ emiſſo, etſi apertè uis non appareret, intus tamen uitium accepiſſe murum, non temerè coniectura augurabatur. Ita factum, ut eius conſilio, magno tormentorum numero murum integra nocte diéque ſequenti quatiendum illi ſibi deſumpſerint. Id cum eſſet factum impigrè (abundabat enim Solymanus omni apparatu, artificumq́ induſtria, haud temerè à ſcopo pilæ aberrabant) murus ſtratus eſt: neque uerò tam facilè erat Villario excitare nouas introrſum munitiones, quàm hoſti & ueteres diruere, & nouas impedire. Ea oppugnatione maximum laudis cumulum tulere, Rogerius is cuius ſuprà meminimus, & Fornouius Aruernus. Caierbeius paucis antè diebus lectiſsima ſecum ducens Solymano auxilia equitum & peditũ ex Alexandria uenerat: ut & Pharates ex Anatolia, multa & ipſe ducens peditum millia. Solymanus Moſtaphis conſilio, quando abundabat multis hominum millibus, pluribus locis ſimul Rhodios oppugnare ſtatuit. Decem hominum millia deliguntur ad propugnaculum murumq́ Britannicum, decem millia ad Hiſpanicum, decem millia ad Italicum, decem millia ad Narbonenſem, decem millia ad Aruernorum: his multi alij qui fatigatorum uicem ſuppleant, uelut optiones deliguntur. Turcæ inuehuntur, acriter multis locis in murum: occurrunt & Rhodij animoſè: eóque loco unus ex ijs deſideratus eſt, qui Ianizarijs præerat, magna apud ſuos fortitudinis opinione. Vndique diuerſis locis pellebantur hoſtes, & Gallis, & Hiſpanis, & Britannis, & Italis ſuo fungentibus munere, Rhodijsque mulieribus & ſodalibus Frãciſcanis picatos igneóſque orbes in Turcas uoluentibus. Villarius cum cohorte prætoria prius Italicam ſtationem, quæ opprimebatur hoſtium multitudine liberauit; mox ad Britannicum propugnaculum, cùm iam uexilla hoſtilia apparerent, occurrit; ſed cum uix dimidia cohorte: reliquam partem Antonius Monterollus Gallus, eius iuſſu hortabatur, ad ſubeunda ſtrenuè pericula. Paululum reſederant impetus Turcarum adueniente Villario: nam his ſtipatus fortiſsimorum equitum ueteranorumq́ robore, quàcunque incedebat, hoſtes deturbabat, cùm repentè exclamant alij Hiſpanicam munitionem ab hoſte iam occupatam. Itaq́ ex ſuis acrem hominem Emericum Gombautum relinquens, adcurrit cum robore ſuæ cohortis. Ex Turcis aliquot qui machinarum uitabant impetum, turpi deſidia circa molem lapidum deiectorum hæſerant. Turcæ interea parte alia immiſsis machinis, uariè Hiſpanos fatigabant dextro latere, ubi quò ſuis opem ferrent, & fatigatis ſuccederent fortiſsimi quiq́ ex Hiſpanis occurrebant, nullo iam ipſum propugnaculum oppugnante. Tandẽ hi quos ſcripſimus deſidia circa ſaxa hæſiſſe, cum ſtrepitum nullum audirẽt, rati id quod erat, locum

propu-

propugnatore uacuum, uerſuri deſidiam in robur & fraudem, cliuo reptantes deſerto loco potiti ſunt cæſis paucis quibuſdam à tergo, uexillisq́ deiectis. Reliqui hæc intuentes, in cœlum horum robur tollentes, increpita ſua ignauia, incitato media foſſa curſu, ſuis ſe parabant adiungere. In hac tanta rerum perturbatione occurrit Villarius, ac primùm iubet tormenta aptè emitti, ne ſimul hoſtes coniungantur: & ſimul ui murus conſcendatur, & deturbentur hoſtes imperat. Et machinæ quidem ne illi iungerentur effecere, multis cæſis: qui autem iam propugnaculum conſcenderant, ſaxa uoluentes aſcenſum impediebant. Interea tamen unus ex his qui Vlufagis præerat (eſt id apud Turcas equitum honoratiſsimorum nomen) cum duodecim alijs ſtrenuis, in mœnia Hiſpanorum conſcendit. At Villarius & ipſe cum ſuis iam propugnaculo Turcas deturbârat, & miſſo Burdigalenſi Ioanne Maquenao, uno ex ſuis induſtrio homine, ad Guydum Raguſum, qui turri Nicoleæ præerat, iubet retentis ſolum qui paucarum horarum hoſtilem impetum ſuſtinere poſsit, reliquos omnes ad ſe emittat. Paruit ille: moxq́ cum Alioro Hiſpano equite lectiſsima auxilia aduentare uiſa ſunt, quibus & Latinis Rhodijsq́ animi aucti, & Turcis fracti ſunt. Et iam parte, alia Menotius Gallus, & Hugo Caponus Hiſpanus, cum Cretenſium cohortibus aliquot, per portam erumpentes multos ex hoſtibus trucidarunt, celeriterq́ ad ſuos ſe receperunt. Interea hoſtes qui ſe nihil ui proficere uiderent, iuſſu Solymani in caſtra rediere, multis cæſis, ac tantis quidem, ut eorum numerum alij ad uiginti millia protrahant, alij ad decem. Commendant omnes hoc prælio Villarij ipſius militarem gloriam, & Georgij Faucelli Lugdunenſis, & Tori Hiſpani, & Ioannis Antonij Franciſcani. At nobis omnes quidem certè, qui tanto impetu potentiſsimo hoſti obſtiterint, laude digniſsimi uidentur. Multi tamen ex Gallis & Hiſpanis, & Italis deſiderati ſunt: quorum nomina qui ſe ſcribit ſilere, quaſi id eſſet hiſtoria indignum, parum uidetur ueterum ſcriptorum diligentiam hac in re æmulatus. Solymanus ita exarſit huius oppugnationis fruſtra tentatæ cauſa, parum ut abfuerit quin Moſtaphem, quem architectum uocabat totius huius belli, ſupplicio palàm afficeret: & uix animaduerſionem & ſupplicium, quo in eum erat uſurus, Pyrro intercedente remitteret & condonaret. Interea Solymanus in cacumine Phileremi montis arcem ædificari iuſsit, mole inſigni: & iam aſpera hyeme multos abſumente, reficiebat ſuos. Accidit dum hyeme prædura minus timetur hoſtium impetus, ut promurum qui Aruerno muro proximus eſt, Achimetus occuparet: & qui occuparant tandiu ſe, obſiſtentibus quantumlibet Latinis, loco continuerunt, donec auxilia maiora adeſſent, quæ eò adcurrerũt per pluteos antea paratos: ſimul etiam

ingeſta

ingeſta humus altiſsimè, uſum machinarum ijs qui propugnaculo Aruerno præerant, adimebat. Latebant & Turcæ alij intra aggeres, qui & ipſis ſuis tormentis, ne Latini è muro Turcas tormentis arcerent, curabant: ex eo loco Achimetus ima murorum dolabris uectibusq́ ferreis euerſurum ſe, aut perforaturum credebat, ſed Preianus uariè eos opprimebat. Aſaporum ingens multitudo huic operi incumbebat: horum ſalutem Solymanus multis expeditionibus, hacq́ Rhodia, eo loco habuit, ut excauandis implendisq́ foſsis eos præficeret, easq́ interdum eorum corporibus impleret, quò commodius aditum Ianizaris ad loca expugnanda pararet. Hi igitur, urgente Achimeto, concauata propè fundamenta mœnia ingentibus ſtipitibus ſepiebant: deinde impactis malleis igneq́ diruebant. Apparebat uano eos labore operam conſumere: ineunt itaque aliam rationem, ut murum hamis ferreis, funibusq́ in terram impellant. Eo tamen loco cùm muro propius ſuccederent, machinæ ex Aruernica munitione emiſſæ, diruêre omnia ea opera hoſtium, multosq́ ex Aſapis necarunt. Martiningi conſilio locus patefactus eſt intra murum, ut inde emiſsi Rhodij diſturbarent opera hoſtium, & permultarum machinarum hinc inde collocaturum impetu conculcarentur. Non deſinebant tamen illi murum perforare, & qua parte hiulcus erat murus, per fiſſuras eum tormentis quatiebant, uulneratis multis: ita factum ut iam ruinam murus apertam minaretur. His Villarius recentem oppoſuit murum, magno labore Rhodiorum ædificatum. Rurſus Achimetus urbis direptione uoluntate Solymani propoſita, accendit ſuos ad urbem occupandam, impetumq́ facit in portam quam ab Amboſio Emerico ædificatam aiunt: ſimul etiam claſſem circunduci iubet, quaſi ad urbis oppugnationem. Trepidatur tota urbe, occurritur Turcis, ſternuntur undiq́ multi. Ludouicus Tentauillus Gallus cùm uexillum in hoſtes immiſiſſet, languentes iam ſuos excitauit. Achimetus obuerſis in frontem cuneis, ſumma ui iam inuectus in Rhodios urbe potiebatur, ni qui extrema mœnium operibus celeriter erectis defendebant, dextra læuaq́ parte hoſtium latera laceraſſent emiſsis machinis. Ita accidit, ut ſuos Achimetus reuocaret, ſequentibus uerò diebus murum ſternendum curaret, igne eos qui recentes conſtruebantur corrumpens: ingentiaq́ ſaxa in urbem uoluebant hoſtes, quæ priuatorum domos & fortunas atterebant. Et ſanè hac perpetua oppugnatione ita quaſſata ſunt mœnia, ut multis locis aditus in urbem pateret: atq́ ita omnium animi Rhodiorum conſternati, extrema ut iam omnia metuerent, ſibiq́ diffiderent. In tanto & tam repentino motu multi dilati ſunt, quaſi Rhodi Turcis proditione dedendæ authores, quæ & animum Villarij magnopere mouerunt. Dicebantur plerique infami ſimulatione

quaſi

quaſi in hoſtes ſagittas emitterent, aptatis literis ſagittæ, omnia conſilia Solymano prodere. Ita factum, ut edicto, præconis uoce, magno omnium concurſu, circa omnes urbis angulos propugnaculaq; omnia pronunciato, prohiberet Villarius, ne quis ſagittam in hoſtes emitteret. Lucius Caſtrophylacus Rhodius cum aduerſus edictum emiſiſſet, mox in uincula coniectus eſt. Erat illius authoritas, ut clariſsimi & ſpectatiſsimi uiri, & grauiſsimis cauſis cogniti ſumma, atq; inprimis hac poſteriore oppugnatione probatus fuerat: ſed aduerſus recens edictum, alieno & loco & tempore emiſſa ſagitta, ſuſpectum eum reddebat. Quo factum ut decreta quæſtione à Tribunis rerum capitalium, tormentis, ad eliciendam rei ſeriem ſubijceretur: à quo tamen pauca extorta ſunt. Paulò antea unus è Iudæis, qui in Chriſtianiſmum adſcriptus erat, deprehenſus cùm eſſet, Moralium Luſitanum ſuſpectum reddiderat. Tandem cognitum eſt Moralium architectum totius doli, & epiſtolis telorum amentis illigatis, quo ſtatu res eſſent, ſolitum indicare. Atque is minimè tortus, quippe magna apud Rhodios & dignitate & authoritate, faſſus eſt odio repulſæ id ſe erupiſſe: ſimul initurum gratiam apud hoſtem, quem ipſe Villarius Rhodijq; omnes uident apertè, ſi uim paret admouere, urbe potiturum. Ea tamen palàm edixit, ut appareret deplorare eum tot annos, quum fideliter Chriſto ſeruiſſet, ad extremum tam nefarium ſcelus accepiſſe. Ita ille ceruice luit, ac de multis indicio eius delatis ſupplicium ſumptum. Narrat Paulus Iouius in libro de rebus Turcicis, feruente bello Adrianum Pontificem Maximum, qui cum nonnullis nauibus ac triremibus, peditumq; circiter tribus millibus uenerat, rogatum à Iuliano Medice, alijsq; purpuratis, ut eas naues ac pedites unà Rhodum mitteret, id apertè detrectaſſe: futurum uerò omnes ſperaſſe, ut hæ naues ualidioribus uentis adiutæ, inuita etiam Turcica claſſe portum ingrederentur: præſertim cùm quinquaginta Venetorum triremes in Creta tunc eſſent, quæ hac in re nonnihil auxilij, etiam ſi ſolùm ſeſe hoſti oſtentaſſent, attuliſſent. Lilius Giraldus addit in Gallos eos pedites mox ab Adriano miſſos, auditasq; palàm infauſtas uoces, Pontificis non in eum uſum paratas ſibi copias, ut Rhodijs opem ferret, uertendum aliò impetum dictitantes. Idq; magis mirandum in Adriano, quem & uirtus & eruditio, & Dei optimi beneficium, nouum hominem & terræ filium, in editiſsimo authoritatis faſtigio collocârat. Obſtrictum uerò meminiſſe ſe potius debebat Deo quàm Cæſari: & hoſtes ſe eos relinquere, quorum potentiam creſcere iniquum ac peſtiferum eſſet, opprimere & ſanctum & neceſſarium. Germani ſcriptores narrant illum ſophiſticis nugis occupatum, & poetis Roma exigendis, quos perduellium loco habebat, quæ pertinerent ad

acquirendam ueram laudem, nec ſciſſe cogitare propter imprudentiam, nec exequi potuiſſe propter inertiam. Erat & Bernardinus ex Rhodiorum ſodalitio, non tamen equites inter adſcriptus, homo nauticæ rei peritiſsimus, & qui unico myoparone & faſelis aliquot mare redderet Turcis infeſtiſsimum. Hic, quoniam illegitimis parentibus ortus, equitum gradum ordinemq́ aſſequi non potuerat, cùm poſſet Rhodijs magno eſſe auxilio, repulſæ memor, domi ſe continuit. Iam res Rhodiorum eò reciderant, ut Villarius diutius tantum exercitum Solymani ſuſtinere non poſſet, neque quo ſe pacto his expediret ærumnis reperiret. Malè ipſi Rhodij omnes equites ciuesq́ metuebant, ne malum aggraueſceret: omnes cogitationibus moleſtiſsimis perturbantur, pendebant animi, cruciabantur, angebantur: nec longius res aberat à ſeditione, profuſis lachrymis porrectisq́ libellis more inueterato Rhodiorum undique Villario, à Græcis orantibus ne ſe, pueros, uxores, urbem diripiendam Turcis præberet. Nec uerò Villarium tam hæc mala angebant, quàm ſuſpicio inteſtini doli, domeſticarumq́ inſidiarum: quanquam accito Preiano, Martiningo, & alijs, uidebat deploratam urbis ſalutem. Apud Solymanum quoque re ſæpe relata & grauiter acta, & planè perſpecta eius uoluntate, dum Achimetus diripiendam primo impetu Rhodum, Pyrrus ad deditionem hortandos nobiliſsimos equites & ciues, decretum eſt humanitate tentandos eorum animos. Miſſus eſt itaque Rhodum Genuenſis transfuga, qui cùm priuati alterius Genuenſis prius colloquium peteret, acturus poſtea maximis de rebus, à Gallico equite non ferente iam conditiones ut uictis dici, pulſus eſt. Refertur res ad Rhodium conſilium à Villario, atque is prioribus belli calamitatibus breuiter enumeratis, ueniam petijt, dum ruinæ imminenti conſilium quærit, ſi prius ipſe ſententiam dicat: Rogauit nobiliſsimos equites, ne tantis plagis acceptis conciderent, ne deficerent: uulnus quidem eſſe eiuſmodi ut & pertimeſcendum uideretur nec diſsimulandum: At enim res à nobis geſtæ id exigunt, libenter ut Deo acceptam uitam repetenti referamus. Quis ſcit, an interea noua auxilia ueniant? Quis ſcit, an nouo ſtupore perculſi, ut in bello paruæ res magni momenti ſunt, illi cedant? Imitemur nos oportet, nobiſcum ipſi certemus: ne licet quidem iam tantis rebus geſtis non noſtri ſimiles eſſe. Quamobrem erigite animos, retinete priſtinam animi magnitudinem. Ego quidem primus libentiſsimè hoc pectore tela hoſtium accipiam: Vos uerò omnes quantum periculorum ad uim hoſtium ferendam ſubieritis, etiam ſi occiſione omnes occiſi cecideritis, tãtundẽ uobis ad aſſequendã immortalitatẽ loci apud Deum Opti. Maxi. comparabitis. Tum Raymundus Lupus Pacus Hiſpanus, homo & fortitudinis & prudentiæ opi-

» nione apud omnes Rhodios clarus, hæc: Oratio tua Villari etſi
» eſt nobis probatiſsima, quòd ab inſigni inuictoq; prodit pecto-
» re, tamen hoc nobis multò eſt iucundior & gratior, quòd tantis
» acceptis plagis te neque defatigari, neque angi, neque unquam
» antea uidimus, & hoc tempore conſtantiſsimum agnoſcimus.
» Sed quandò potentiſsimo hoſti pares eſſe non poſſumus, quid
» tandem molimur morte noſtra uictoriam eorum inſignire? Iam
» ciuibus famem, iam urbi uaſtitatem uides inferri: urbem & decus
» Latini nominis ſeruandum, quantum in nobis fuit, ſemper puta-
» uimus. Sexto iam menſe miſeri obſidemur, auxilia aut nulla, aut
» ea ſuperuenere, quæ uel leuiſsimo congreſſu impetuq; hoſtium
» pugnando mox concident, cedendo duriorem noſtram condi-
» tionem facient. Quin te ipſum Villari uideo, quaſi exitum adſit,
» nos hortari: cæterum noſtrane ſpōte an Turcarum ui pereamus,
» id modò agitari: iam omnibus rebus urgemur, quas ſuſtinere nul
» lo modo poſſumus: una erit leuatio, ſi Rhodum relinquimus.
» Obſecro te, obſecro omnes nobiliſsimos equites, eſt ne ulla no-
» bis uia? ſupereſt ne aut ars aut dolus aut conſilium, quo hoſti æ-
» quales eſſe poſſumus? Si quis id agnoſcit, expromat, me quidem
» ipſum authorem habiturus, me priore loco in uulnera ruiturum
» uidebit. Si qua modò ſpes reliqua eſt, ſi reflantem fortunam, ſi
» uaſtitatem urbi proximam declinare poſſumus: ſi nihil ſupereſt,
» ſi humanas omnes ſpes conſumptas agnoſcimus, cur non quales
» quales conditiones dedendæ urbis potius proponimus, alio for
» tè tempore dolorem uindicaturi, quam temeraria morte hoſti im
» maniſsimo nos obijciamus? Neceſsitati parere, ſemper eſt ſa-
» pientis habitum. Caput illud eſt: etſi iſta mors laudatior eſſe ui
» deatur, cogitandum tamen ſit, ne Chriſtiano nomini Rhodioq;
» ordini incommodior ſit. Itaque cenſeo conſulamus tempori-
» bus, mittamus ad Solymanum legatos, qui tentent an æquis con
» ditionibus hoc nos loco emiſſurus ſit. Villarius ſeruato anti-

quo more, exquiſitis omnium ſententijs, ubi uidet in Lupi raptim currere omnes ſententiam, iubet nominari, qui ad Solymanum mittantur. Delecti ſunt Robertus Peruſius, Raymundus Marchetus, & is ipſe Lupus deditionis author, & Groleus: rurſus & alij miſſi, pactum eſt Villario, equitibus, Rhodijſq; qui uellent, abire auehereq; quæcunque poſſent, annonamq; & naues, liceret: machinas bellicas quas uellent nauibus inferre: templa Turcæ ne polluerent: nulli qui Chriſtianam fidē ſequeretur fraudi eſſet, ac nemo in Turcarum ſacra inuitus adſciſceretur. Variæ uerò ſunt ſententiæ ſcriptorū huius temporis, quàm fideliſsime ea Solymanus executus ſit. Iacobus Fontanus, qui eo tempore ius Rhodijs dicebat, narrat porta Coſquinij ui effracta inſolētem eum in urbem introijſſe, polluta templa, dicata quędam Mahometi, Chri-

2 ſtianis

ſtianis cæſis uice iumentorum uſos: CHRISTI OPTIMI MAXIMI ſtatuas luto conſperſas: in foro aut loco publico neminem expertem fuiſſe contumeliæ. At qui nuper ſcripſit Italica lingua Solymani res geſtas, pactum ait demptis æreis machinis res Latinis proprias liceret auehere: conuentionesq́ Solymanum humaniſsimè ac religioſiſsimè ſeruaſſe: præterea res ſacras D. Ioanni ne attigiſſe quidem: ſeq́ audiiſſe de Villario, cùm Solymanus Rhodum triginta hominum millibus ſtipatus eſſet ingreſſus, ne unum quidem uerbum petulans ex alicuius ore emiſſum: cumq́ ſecundo Solymanum Villarius inuiſiſſet, ut abeundi copiam impetraret, conuerſum eum ad Habraimum Baſſam hæc dixiſſe, Equidem haud poſſum non dolere, qui infelicem hunc ſenem, propriis laribus pulſum, mœſtum hinc abire uideam. Villarius tandem poſt uarias fluctuationes Melita à Cæſare conceſſa, eò fixit ſedem equitum Rhodiorum. Melita quidem ea lege à Cæſare donata eſt, ut Tripolim ſuis ſumptibus Rhodii tuerentur. Multum uerò eo tempore ſimulatio Adriani Pontificis eluſa eſt à prudentibus: qui cùm omnes palàm uiderent ad bellum eius uti conſilio, dignitate, gratia, ope; hoſtes, ut ſumptibus bellicis exhauriretur ærarium omne pontificium, tamen nullam ſe partem belli ſuſcipere, Franciſco Regi ſcriberet, hortareturq́ eum oblite ratis ſimultatibus ad bellum Turcis inferendum. Hic ſi in ſuis maximis curis aliquid impertiiſſet temporis huic quoque cogitationi, ut Gallorum Cæſarisq́ controuerſias componeret, pii tum Pontificis nomen famamq́ retuliſſet. Pertinebat hoc ad pontificium officium, ut pacis utriuſque & communis concordiæ cupidiſsimus haberetur. Nec tamen tot iniuriis irritatus Rex humanus & religionis amantiſsimus adduci potuit, quin ſui ſemper ſimilis eſſet in Pontificia maieſtate obſeruanda. Narrat Iacobus Sadoletus huius Regis pietate factum, ne in tam diffuſo regno uſquam ſectarum labes exiſteret, aut non ſubitò exorta uindicaretur. Eundem in maxima fame aliquando, cùm ſterilitate & inopia frugum laboraret Francia, pateſeciſſe fontes liberalitatis Regiæ, permultaq́ hominum millia aluiſſe complures menſes, quoad nouis frugibus uberior annus copiam paſsim frumenti ſuppeditaret. Quo uerò tempore Turcarum Rex Syriam atque Ægyptum occupaſſet, Romæ, hortante Leone, initum id conſilium, ut in quinquẽnium fœdus Chriſtianis Regibus indiceretur. Dictam eſſe ſententiam ab Antonio Montio. At cùm Bernardus Diuitius Biebenna legatus Põtificius de his indiciis Regem admonuiſſet, ſacroq́ bello capeſſendo, diem ſibi eũ ſumpſiſſe ad deliberãdum: Quæ cùm ueniſſet dies, eſſetq́ frequens ornatiſsimorum uirorũ concilium, Regem commemoratis maximis beneficiis, quæ ſibi diuinitùs eſſent collata, ad extremum pollicitũ, ſi cæteri principes in-

ducijs

ducijs eſſent aſſenſi, cauſamque Dei priuatis diſſenſionibus præuertendam eſſe conſtituiſſent, ſeſe cum quadraginta millibus peditum, duobus millibus cataphractorum equitum, in bellum atque in expeditionem in Turcam iturum: neque antè finem facturum, quàm profligato bello atque confecto, aut uitam ſuam quam deuoueret Deo, aut ueteres prouincias, quas impiè hoſtes eripuiſſent, Deo reſtituiſſent. Ipſi quidem Pontifices, ſi bellum non aluiſſent, ſuſcipere debebant, curam dignisſimam tantæ maieſtatis, ut Carolum & Franciſcum maleuolorum ſuſurris diſtractos, rurſus in priſtinam concordiam reducerent.

SEXTI LIBRI FINIS.

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Septimus.

ALIQVOT iam menſes tranſierant, & æſtas præ
cipitauerat, neque auxilia ulla Leſcuno ueniebant,
Iohannesq; Medices & Veneti dilapſi erant: Me-
diolanenſes qui iugum Gallicum ſe exuiſſe exiſti-
mârant, in compedes ſe Hiſpanorum duriores, ſe-
rius quàm uellent incidiſſe agnoſcebant, ut nihil
uulgatius tota ea prouincia fuerit trito hoc multorum ſermone
prouerbio, A' Gallo attrectatas clàm Mediolanenſium uxores,
ab Hiſpano & uiolatas palàm, & inſuper bona direpta. Cùm
neque à Sfortia ad tantas alendas copias ſuppeditarentur pecu-
niæ, neque à Cæſare, exhauſtum cùm eſſet iam ærarium pontifi-
cium, Proſper & Daualus deductis militibus in locupletiſsimas
Mediolanenſium domos, has interdum diripiendas eis dabant.
Interim imperabantur tota urbe pecuniæ, maioreque acerbitate
exigebantur, mutui ac crediti nomine uelatis rapinis. In capita
ſingulorum & famulorum & infantium indicebatur pecunia,
nunc in ſtipendium militi, nunc in ueſtem, nunc in acetum & ius,
nunc in ligna, nunc in arma detergenda, nunc in calonum expen
ſas, nunc in uias purgandas: cuius modò rei nomen inueniri po-
terat, hoc ſatis ad argentum imperandum erat. Non ſolùm Me-
diolano, ſed uicis caſtellisque uicinis, Hiſpani milites publica-
norum officio functuri præponebantur. Eorum qui aliquid con
tumelioſiſsimè impudentiſsimèque feciſſet, is ut uerè Cæſaria-
nus, & libertatis ſtudioſiſsimus commendabatur. Atque hi
præter indictos nummos priuato ſuo compendio intenti erant:
ut iam & Sfortiam ipſum & Hieronymum Moronum tæderet Cæ
ſarianos accerſitos, non ad Sfortiæ aſſerendum ſed ad diripien-
dum (ut aiebant) Mediolanenſem principatum, quanquam ar-
mis oppreſsi tegerent odium. Cùm uideret Proſper direptas
iam Mediolanenſium afflictasque res, ipſe Dauală ad Piſtconem
oppugnandum mittit, cùm & annona deeſſet, neque ſatis eſ-
ſet præſidij ad uim arcendam, pacta Gallorum oppidanorum-
que omnium incolumitate, à Bonauallio qui oppido præerat,
atque ut datis uiæ ducibus Cremonam mitteretur, fit æquis
conditionibus deditio. Vix deditio facta erat, cum Proſper iter
in Cremonam parare incipit, literæque ab eo Daualo reddun-
tur, properaret ad ſe cum expeditis Hiſpanorũ cohortibus ueni-
re, omniáque poſt haberet: tentanda enim ſibi Gallica omnia præſi
dia longiusq; procedendum exiſtimabat. Valdè Dauali uolun-
tas abhorrebat à Proſpero. Ipſe, ut erat elato animo, indignum
putârat

putârat cui pareret: dedêre tamen operam communes amici, ut & ei quàm humaniſsimè ſcriberet, & ſe mox cum eo coniungeret. Leſcuno in multis & uarijs moleſtijs cogitationibuſque, cùm & deeſſet commeatus, & dilapſa undique auxilia, hæc una conſolatio occurrebat, quòd neque à laudatiore æquioreque quàm Proſpero quoquam oppugnari poſſet: neque is deditionis honeſtæ leges, ſi ita res urgeret, memor caſuum humanorum repudiaturus eſſet: qui meminiſſe poſſet fieri poſſe, ut & ipſe in eaſdem anguſtias præcipitatus, eandem fortunam deprecaturus eſſet. Hanc ſpem cùm haberet de eius uoluntate, arcem munijt, præſidia in urbe diſpoſuit. Neque uerò Proſper, etſi innumeræ copiæ adeſſent, ui oppugnare urbem inſtituit: anguſtè Gallos cùm uideret uti re frumentaria, aſsidendo adituſque intercipiendo, eos undiq; magna cura obſidebat. Itaque fœdus tandem ictum his legibus, ut Leſcunus intra quadrageſimum diem Cremonæ cum Gallicis copijs uerſaretur, remiſſa interea omni obſidione. Si interea Gallica, aut fœderatorum adfuiſſent auxilia, quæ aut Padum inuitis Cæſarianis tranarent, aut urbem unam Cæſarianorum armis occupatam reciperent, infectæ eſſent conditiones: ſin ſecus accideret, ipſe Cremona Proſpero cederet, ita tamen, ut Gallis ſibique è præſidio decedenti expanſis uexillis, tympanis perſonantibus, incolumibus omnibus impedimentis, & ſaluis Cremonenſium fortunis: iumentis quoque præbitis, quibus & ægri & impedimenta ueherentur, datis quoque uiæ ducibus in Galliam ire liceret: captiui utrinque reſtituerentur, reliqua loca quæ præſidijs Gallorum tenebantur eiuſdem eſſent iuris: caſtra tamen Mediolanenſium, Nouarienſium & Cremonenſium quoad eius fieri poſſet ſeſe tueri poſſent, nec huic deditioni obnoxia eſſent. Dati ſunt obſides eo nomine à Leſcuno, in quibus fuere Franciſcus Riberacus Daydius, alterius Riberaci qui ad Papiam ceciderat frater: Freiſsillius qui poſtea Daciorum rector fuit, & Bonauallius. His confectis, & ultra præſtitutum diem deditione facta, Proſper quàm potuit maximis itineribus cum ea copia quam Alarco comparauerat, & cum his militibus, quos Leua legerat circa Ligures, ad Genuam contendit, cùm ad eum Ottobonus Sinibaldus Fliſci pollicerentur uiſis Cæſarianis Ligurum ciuitates imperata facturas, aut ui futurum ut extorquerentur Gallis. Erant Genuæ factiones plures: Fliſci ueteris homines potentiæ, & Adurnij Hieronymus & Antoniotus, & Auguſtinus Spinula Cæſarianos uocabant. Octauianus & Federicus Fulgoſij, Andreas & Philippus Doria, & Ligurum reliqua nobilitas Adurniorum exoſa imperia, Gallis fauebant. Itaque cùm ſpes eſſet adfutura mox Gallica auxilia, conſtituunt obſidionem ferre. Genua ipſa etſi ſua nobilitate omnibus notiſſima eſt, quò tamen huius obſidionis rationes apertius quiuis intel-

ligat, pauca nobis de eius ſitu dicenda ſunt. Eſt illi portus memorabilis ad Africum expanſus, urbem, quà patet ad Orientem, Feritor amnis præterfluit, quem & hodie Biſamnem uocant, amnem è proximis montibus præcipitatum, qui ſe Biſamni immiſcet, Ferixanum uocant: haud longe modici circa littus uici Neruium, Buliaſchum, Saulum, Rechum, Camulium. Poſt Camulium fanum Fructuoſi, & promontorium, quod & Caput montium appellant, ſaxoſum in mare excurrit, læuaq; irrumpentes fluctus anguſtis faucibus excipit, Delphini portum efficiens, quem & portum Finum uocant: planis locis & littori proximis, paſsimq; totis uallibus & collibus lautius uillæ ædificatæ ciuium ſpectantur: has uillas edicto, ne Cæſariani aut diruerent aut ſpoliarent, Proſper cauerat. Proſper cum Sfortianis & Germanis ad eam portam fixit caſtra, quà ad Feritorem amnem peruenitur. Claſsis Hiſpanica duce Ioanne Recaſentio ſeſe intra Delphini portum continuit. Habebant Fulgoſij magnum Corſorum numerum: ſimul ex Liguribus plerique homines ruſticani atque montani exercitati in armis, in urbem ſe receperant. Andreas Doria & celeritate nauium, & ſcientia rei naualis ſuperior, uariè Recaſentium fatigabat, impetumq; in Cæſarianas naues faciebat, eaſquè circunuenire, aut remos tranſcurrentes detergere ſi poſſet, laborabat. Ille quòd minus exercitus erat, aſſuetuſquè pugnæ nauali, tutiore conſilio ſeſe poſthac è portu Fini non commouit, ut ne claſſem quidem mouerit ad apparatum ſulphureum Proſpero Daualoquè perferendum: at hic iumentis fuerit ſummo noctis ſilentio efferendus. Interea Petrus Nauarrus cum duabus triremibus freto Genuenſi prouehitur, appulſiſquè Genuam triremibus, uariè Genuenſes accendebat ad obſidionem perferendam. Proſper iubet denunciari Genuenſibus, niſi intra diem ſequentem ſaluis ciuium & immunitatibus & fortunis liberoquè diſceſſu Gallorum deditionem faciant, uim ſe allaturum. Octauianus Fulgoſus æger lectulo decumbebat, cùm Nauarrus & reliqui omni machinarum copia abundantibus hoſtibus, parum eſſe tuta omnia referrent: uiſum è re Genuenſium fieri deditionem: ad leges conſcribendas miſsi ſunt Thomas Cataneus, & Paulus Bulgarius, Benedictus Viualdus. Dum legati agunt cum Proſpero, Daualus interea Ioanne Vrbino acri homine & ſummo apud Hiſpanos loco diſſentiente, & iniquum eſſe clamitante, ſumma Cæſaris ignominia, cùm legati deditionem polliceantur, diripi urbem: ſequè ſubducente Hieronymo quoque Adurnio, & Franciſco & Hieronymo Moronis diſſuadentibus, machinas emitti iubet ex loco excelſo in eum locum, cui eſt Petræ Paruæ nomen: accenſo ad prædam Hiſpano Italoquè pedite, Nauarrus celeriter iubet emitti minores aliquot machinas, quibus ex Hiſpanis quidam diſcerpti ſunt. Tandem fruſtra Genuenſibus repugnantibus,

gnantibus,cùm undique tormenta uoluerentur,& omnes ad urbis opulentæ direptionem properarent,multis præterea,qui in urbe Adurnijs optimè cupiebant,adiuuantibus,Cæſariani urbe potiti ſunt. Octauianus Fulgoſus æger,cùm ſe Dauali fidei commiſiſſet,ſoluto redemptionis pretio ſemel emiſſus: deinde ex Auerſa in quam perductus fuerat reuocatus,effecit,ut in Cæſare aut Cæſarianis probus quiſque fidem deſideraret. Petrus Nauarrus oblato ingenti pretio, tametſi Daualus liberatum cuperet, cùm & Cæſar ei eſſet iratior, qui cauſa ſua relicta Gallicam tutatus eſſet, aut diutius uellet eos habere ſolicitos,à quibus ſe exiſtimaret diuturnioribus moleſtijs eſſe conflictatũ,uix poſt aliquot menſes capto Rege liberatus eſt. Federicus Fulgoſus Pontifex Salernitanus nauicula conſcenſa cum multis,magno uitæ periculo Maſsiliam perfugit,multis ex eadem factione occultè in aliquas onerarias corrependum fuit. Narrat Iacobus Sadoletus,eo tempore quo Octauianus & Federicus Fulgoſij fratres, regijs auſpicijs regerent Genuam patriam,nunquam florentiorem fuiſſe Genuam: cùm illi nihil præter æquum & bonum permitterent cuiquam, nec in ſtudijs & diſſentionibus partium,quæ in illa republica aſſiduè uigebant,potentiores & gratioſi homines plus poſſent per iniuriam & gratiam,quàm aduerſarij eorum per ius & iudicium. Federicum conceſsiſſe in Galliam,cœnobio opulentiſsimo donatum à Rege,atque ibi cum fratribus pijs nonnullis,nocturnam diurnamque operam ſacris literis impendiſſe : conciones ſæpe ad fratres hortandi,docendi, monendi, conſolandique cauſa more maiorum habuiſſe: rediſſe in Italiam, & in Eugubinorum ciuitatem quam habebat ſedem ſacerdotij ſui, domicilium omnium ſuarum rerum curarumque fixiſſe. Ibi intra aliquot annos magna caritate frumenti & graui fame exorta, fructus ſuos omnes eccleſiaſticos in egenos effudiſſe, etſi omni etiam tempore egenorum curam ſuſtineret. Ita factum, ut à Paulo Pontifice Maximo ignarus & abſens in purpuratorum ordinem cogeretur. Cæſar etſi Genuæ receptione lætatus eſt, tamen direptionem urbis à Daualo per ſpeciem colloquij cum legatis factam, moleſtè tuliſſe uiſus eſt. durior tamen in Octauiano Fulgoſo & Petro Nauarro iudicatus. Franciſcus planè Rex & Carolus Cæſar, cùm æquali haberentur potentia, diuerſis ferebantur conſilijs. Cæſar callidior & cultior: Franciſcus apertior & elatior. In Rege clemens & mitis natura: & in Cæſare durior & minus remiſsior. Cæſar ualde acutus & prouidens: Rex ſtrenuus & magnanimus habebatur . Cæſar quò aſtu inſidijſque falleret : Rex ut pugna aperta uinceret, laborabat . Cæſar militares homines & callidos complectebatur : Rex mirificè ingenijs excellentibus delectabatur . In Cæſare maiorem fidem: in Rege interdum maiorem

rem cautionem deſiderares. In Cæſare orationis breuitatem, in Rege copiam efferebant. Erant apud Cæſarem induſtriæ quidam ſtimuli ac laboris: flagrabant ornamenta fortitudinis, comitatis, humanitatis apud Regem. Cæſarem parcum, nec illiberalem tamen, diceres: Rege in largitione nemo effuſior habebatur. Cæſar ſeruire temporibus, regere ad tempus ſuam naturam, huc atque illuc torquere & flectere didicerat: Rex conſtantiam ſermonum re exequebatur, eaquè palàm ſentiebat, quæ inuictum eius animum facilè oſtenderent. Cæſar cum callidis acutè, cum ſuis grauiter uerſabatur: Rex cum aulicis iucundè, cùm proceribus humaniter uiuebat. Conferres Regem Carolo Burgundioni Cæſaris auo, niſi quòd & fide & comitate, ditione, eruditione fuit maiore Rex: Cæſar Ludouico undecimo Gallorum Regi ſimillimus. In Rege uariam eruditionem memoriamquè propè diuinam: in Cæſare uariam & ad omnia uerſatile ingenium non deſiderares. Cæſar repræſentabat umbram humanitatis, & clementiæ: in Rege non adumbrata ſimulachra, ſed totam effigiem harum uirtutum agnoſceres. Rex manu fortior: Cæſar cautior ferebatur. Cæſarem, niſi ſe ambitu commaculaſſet, uerè pij nomen relaturum: Regem, niſi delitijs aulicis implicitus fuiſſet, omnium Regum triumphos ſuperaturum, detrectatores tantarum uirtutum, & quaſi Momi Veneris ſandalium carpentes, aiebant. Sed Regum eſt cùm benefecerint, malè interdum audire. Naturà enim cùm eſſet comis, facilis, benignus, diſertus, conciliarat ſibi omnium principio regni amorem. Rythmos quidem Gallicos ea concinnitate Rex edebat, ut nec fluere rotundius, nec cadere numeroſius, nec cohærere aptius ullo pacto poſſent: dubitarentquè qui eo in genere uerſati ſunt, an res uerbis, an uerba ſententijs magis illuſtrarentur. Atque ita amatorijs luſibus philoſophorum ſeueritatem permiſcebat, ut & illi hinc authoritatem, & hæc illinc hilaritatem precario accepiſſe uideri poſſent: totumquè Franciſci Petrarchæ myrothecion, ac nonnihil etiam Dantis Aligerij pigmenta conſumpſiſſe uiderentur, tametſi obſcuritatem in his Critici interdum reprehenderint. Vidimus ipſi ſi quid plebi Gallica lingua ſuaderet, præcipites ferri impetu animos audientium, quocunque eos ei impellere libuiſſet, tanta copia orationis, tantum flumen lectiſsimorum florum, id pondus grauiſsimarum ſententiarum ex eius ore manabat. Eo ferè tempore Suſanna Borbonia Caroli Borbonij magiſtri equitum uxor emigrauit è uita. Erat Borbonius homo & gnauus & induſtrius, experientiſsimuſquè in re militari. Defuncta uxore cùm ad fanum Germani Layci Regem inuiſiſſet, pulſaſquè ueſtes ponere iuſſus eſſet, animumquè oblectare, uultu ipſo ingentem animo premere dolorem uidebatur, moleſtiſsimiſquè cogitationibus moleſtiam quam contraxerat teſtari, ut ad

blanditias

ut ad blanditias aulicas undique ſubringentem, conſtaret nondum illum ad priſtinam ſuam alacritatem rediiſſe. Gulielmus Gounfierius tribunus maritimorum ita Regi familiaris erat, nihil ut poſſet eſſe coniunctius. Eo tantum potente, cùm & rem, & exiſtimationem, & authoritatem ſuam tueri ſe non poſſe putaret, illumque ſibi præferri grauiter ferret, commotum putant: præſertim cùm olim apud Regem dignitate & gratia plurimum ipſe ualuiſſet, eo tempore parum poſſet. Ludouica Regis mater Borboniũ in ius uocauit ob Boiorum aliquot oppida, quæ ſibi ut proximiori ab inteſtato delata eſſe contendebat, quæ ab uxore ille relicta poſsidebat. Ille irarum plenus qui paterna auitaque oppida in iudicium nolebat deduci, apertè frendebat iniquum eſſe ſibi ea adimi à quibus data oportuit. Ita factum ut ea iniret malo exemplo conſilia, quibus & regiam dignitatem & uniuerſam Galliam concuteret: rempublicam Gallicanam ad exitium & uaſtitatem uocaret: ac iam odio æſtuans, iracundia ardens, in patriam præceps ferebatur: atque ita obfirmato animo obduruerat, ut nullum laborem recuſaret, nullum periculum defugeret, quò uel perturbata uel oppreſſa Gallia, iniurias, ut aiebat, ulciſceretur. Rex, ut erat humaniſsimus, Molinij inuiſens Borbonium, uerſatus apud eum humaniſsimè fuerat: uidebaturque quæ eum ob litem motam offenderant, quæque acrius in animo eius inſederant, & ſuauitate orationis deleuiſſe, & uultu illo familiari ſuſtuliſſe. At is paulò antea oblitus patriæ, miſſo ex ſuis fideliſsimo miniſtro ad Cæſarem & Henricum Britanniæ Regem, cum eis pactus fuerat de Rege regno depellendo, Gallia ſibi adſciſcenda, parte tamen Cæſari, parte alia Britanno tradenda: Italiæ imperio Cæſari aſſerendo, Helionora ſorore Cæſaris in matrimonium ducenda. Quidam ad id impulſum uolunt Borbonium ob ueteres ſimultates quas cum Rege geſſerat: quippe priuatus Rex ob quædam ad Ludouicum ab eo delata, ad certamen eum prouocarat palàm è Borboniana domo, quæ Lutetiæ circa Luparam arcem ſita eſt. Harum ſimultatum tantum aberat, ut regnum ille adeptus meminiſſet, ut ultro magiſtrum eum equitum deſignaret. Alij putant Borbonium, cùm delectaretur magnificis apparatibus, uitæque cultu cum elegantia & copia, omneſque paſsim domo menſaque exciperet, nec res familiaris, etſi ampliſsima, tantis ſumptibus par eſſet, turbare omnia ac permiſcere uoluiſſet, captumque regni libidine, excuſsis tot ſuis clientelis atque amicis, in-
» ijſſe conſilia rapiendi regni quod ſemper concupierat. Do-
» cent uerò ſapientiſsimi homines in maximis animis, ſplendidiſ-
» ſimiſq; ingenijs plerunque exiſtere honoris, imperij, gloriæ, po-
» tentiæ cupiditates: nec tamen ullum adduci debere, ut eum iuſti-
» tiæ patriæq; capiat obliuio, cùm in imperiorũ honorumue cupidi
tatem

tatem inciderit. Borbonius non ſolum perturbatione indignationeq́ue animi,ſed conſultò & cogitatò hæc molitus fuerat. Narrant enim auditum,cùm diceret ſe poſt tam acres aculeos infixos, aulicis uerborum mulſulis,blandiatarúmue lenocinijs flecti non poſſe. Laudabat idem & in ore habebat Aquitani eius ſcitum reſponſum, qui rogatus à Carolo ſeptimo,quo tandem præmio impelli poſſet,ut fidem ſibi tot magnis rebus perſpectam falleret, Non tuo(inquit)here regno,non orbis imperio adduci poſsim, non omnium theſauris,contumelia tamen & ſtomachoſa iniuria poſsim. Manauerat interea rumor in aula neſcio quid illum moliri,atque is ab uno authore ad plures peruenerat,aliuſque alij tradiderat. Quibus permotus Rex Borbonium euocarat:atque is uacua lectica uno die elata,quaſi æger conſpectum hominum uitaret,noctu Molinum egreſſum. Poſteaquam in arce,cui nomen Chanteneria & alia Carlaca pernoctaſſet cum Pomperano,in Burgundiam uicinam quæ Cæſaris imperio obnoxia eſt perfugerat: miſſamq́ue ualidam manum, rumore certiore ad ſe comprehendendum fruſtratus eſt. Borbonium ſecuti Emarius Prius, Lurſius, Tanſaneus, Ioannes Beumontius, Pomperanus,Peluſius Motta,Ioannes Hoſpitalis medicus,illuſtri ingenio & induſtria: indices autem extitere tantæ coniurationis, Arguſius & Martignonus Normani. Galeatius Capella Borbonium abijſſe ait,ob litem quam ei Ludouica intenderat. Adrianus Barlandus narrat curaſſe Regem uti Borbonius Ludouicæ matri nuberet, eum nuptias repudiaſſe:ueritum tamen ne cogeretur,abeundi conſilium ſumpſiſſe. Id ille unde expiſcatus ſit,incertum: nunquam in Gallia auditum:maioreq́ue ueriſimile eſt Ludouicam modeſtia, & Regem humanitate maiore fuiſſe,quàm ut inuito obtruderent nuptias: ætaſq́ue illius deuexa à nuptijs abhorrere uidebatur. Ac ſæpe & multum admiratus ſum exteros ſcriptores illarum nuptiarum meminiſſe:atque eam à Borbonio cauillo impeti ſolitam ut ambitioſam, quaſi ea eſſet quæ arbitrio ſuo, non ratione & conſilio uteretur. Prudentiſsimè uerò eruditiſsimi homines ſenſiſſe mihi uiſi ſunt,qui ſcripſere,Scientiam eſſe eorum quæ ſic comprehenduntur,ut conuelli ratione non poſsint: ſin aliter, inſcientiam uocari:ex qua exiſtit opinio,quæ eſt imbecilla & cum falſo incognitoq́ue communis. Atqui ipſi de Franciſco Borbonio ſani Paulini Comite audiuimus, miſsum ſe à Ludouica paucis antè menſibus ad Carolum Borbonium:eius nomine egiſſe cum eo accuratè,ne angeretur ob litem eam intentatam: ſi liberos ipſe quacunque uellet,uxore ſibi adiuncta ſuſciperet,iure quo optimo maximo ijs ſe daturam,ceſſuram eorumq́ue poſteris omnia ea oppida,quæ in controuerſiam deducta erant:ſin cœlebs maneret, uſufructu ſe ceſſuram quandiu ſuperſtes eſſet: impetraturam etiam à

Rege,ut quem uellet ex agnatis ad eam hæreditatem cernendam, liberè uocare poſſet:interea moleſtè ne ferret iudicio patrum Pariſienſium rem decerni: nulla ſe regia poteſtate eo in iudicio uſuram: neminem miſſurum, qui ſuo nomine patres prenſaret:permittere Borbonio quos uellet ex cohorte iudicum reijceret. Pariſienſis ſenatus ſi diſpliceret,quem uellet ipſe deligeret, aut Tholoſanum,aut Burdigalenſem, aut Rothomagenſem, aut Diuionenſem,aut Grationopolitanum,aut Aquenſem. Ad ea illum reſpondiſſe,Feruntur mihi hæ conditiones quas ego accipere lubentiſsimè debueram: at ſatius controuerſiam in iudicium delatam patrum iudicio ſopiri,ipſa dabit dies conſilium. Addebat idem cum Borbonio ſibi ſæpe multum fuiſſe de Ludouica ſermonem qui ſibi uiſus eſſet nunquam,niſi reuerentiſsimè de ea & ſentire & loqui:unde eum placatiorem crediderit futurum, niſi Pomperanus, Peluſius, & quidam alij, quibus mendacijs,multiplicando uerbis Cæſaris uim & liberalitatem, erexerant eius animum,ijſdem ſpem eius inflaſsent, quaſi mox ſummo omnium uoto ad Gallica regna uocaretur; & undique concurſus ad eum futurus eſſet, ubi Cæſaris exercitum conſpexiſſent: præſertim cum hinc Cæſar haud dubiè uocaret eum ad regnum Gallicum, illinc Britannus Gallicis cladibus lætus, ſtimularet. Antea Guillotus Maclous Lutetiæ abſciſſa prius dextra capite luerat,ob uicos aliquot direptos,quos cum turmis militaribus circuibat,metatoreſque ſuos præmittebat,qui ſibi ut Regi hoſpitium pararent. Miſſus deinde caduceator ab Henrico Britanniæ Rege, bellum Regi ſuperbiſsimè indixit. Hunc Rex Lugduni audijt,placidaque oratione placatum dimiſit. Ipſi interea in Galliæ fines irrupere: ijs P. Borbonius Vindocinenſium dux unà cum Carolo Tremolio occurrit: miſsique ſunt mox Thomas Fuxeus, Leſcunus, Anna Mommorantius,Federicus Bozulus, Renatus Maſerianus cum multis equitum alis:quæ cauſa fuit,ut mox illi ne tentato quidem prælio redirent,fruſtra per multos dies arce Hiſdinenſi obſeſſa. Annus agebatur milleſimus quingenteſimus uiceſimus tertius, cùm rurſus Angli ſtipati longo agmine Burgundionum, maioribus contractis copijs in eam partem Galliæ,quæ Picardiæ nomine notior eſt, peruenêre: & petente ipſo Vindocinenſium duce, præpoſitus eſt uniuerſæ illi prouinciæ idem Tremolius. Is in Sancto quintium peruenit,inde Bononiam munijt urbem maritimã: deinde Monſtrolio urbe ſe parum munita continuit, munitionibus celeriter conſtitutis. Suffortius unà ingens agmen Anglorũ trahens,cum Diſtano Burgundicis copijs præfecto adcurrit: uidebantur lectiſsimæ copiæ. Conſtat in armis fuiſſe peditum triginta millia, equitum ſex millia, tormenta bellica & multa,& inuſitatæ magnitudinis. Hi Bononiam cùm obſidere uellent,certiores

res facti prius munitam, incenſis direptiſquе caſtris aliquot, abiere in Tarauannam Morinorum: & quanuis conſumpſiſſent quatuor integros dies aſsidendo, dum exquirunt qua parte facilius urbem obſideant, territi undique emiſsis machinis, eâ quoque abſtinuere. Petrus Pontius qui urbi præerat, cum Gallicis equitibus abeuntium agmen carpens, multis cæſis in urbem rediјt. Suffortius deinde mouit ad Dorlanum: fruſtraquе conſumptis quatuordecim diebus inde quoque ceſsit. Nanque Pontiremius prope urbem, propugnaculum humo undique congeſta, in caſtelli arciumque ſpeciem erexerat, unde emiſsis machinis uariè eos infeſtabat. Huic ſubſidio duæ alæ equitum miſſæ, quæ expanſis uexillis, inſpectanteque hoſte urbem introiere. Valde laborandum fuit Tremolio & Vindocinenſi ob copiolarum paucitatem, ut cùm hoſtis è loco uno ſeſe commouiſſet, ſenſim ex eo eductis copijs hæ in proximum, in quem uerisimile erat eum uenturum, ſubmitterentur. Mox hoſtes oram legentes Somonæ, Brayam uenère: eáque præſidio nullo munita potiti, amnem tranſmiſère. Inde quoque & Royam & Mondiderium deſertas ab oppidanis urbes diripuere. Boiagnum idem prius receperant, & præſidio ſepſerant. Tremolius & Vindocinenſis ubi Britannos & Burgundiones uident Somonam tranſmiſiſſe, Dammartinum mittunt ad Nouiodunum tuendum cum ala equitum lectiſsima. Atque is collectis è uicinis locis militibus, ciuibuſquе uocatis ad arma, breui quantum loci opportunitas, bellique ratio poſtulabat, urbem muniјt. Idem fecere Mommorus & Humerius, qui ad Peronam miſsi ſunt. Luxemburgus Brienneus & Brenneus ad Guyſiam: ad Corberiam Pontiremius, Franciſcus Regulus Turenenſium, & Hector Borbonius Lauedanus: ad Sanctoquintinum Iacobus Albonius Sanctoandreanus: ita hoſtes circunuallare ea loca prohibiti. Scripſit ad Senatum & Decuriones Pariſienſes Tremolius, quos iam angi ob aduentum hoſtium uidebat, & delectum Lutetiæ habere: ſoluto eſſent animo, & per Matronam machinas bellicas, ſulphureumquе apparatum mitterent. Ipſe in omnes intentus occaſiones, annonam undique quà uenturum uidebat hoſtem, corrumpebat. Quo factum ut illi mole ſua ruentes, clàm ſe è Gallia proriperent infeliciter ſuccedentibus rebus. Hos ſecutus Tremolius ueſtigia eorum undique ita premebat, ut inſpectantibus eis, cæſis qui in præſidio ad Boiagnum relicti fuerant, locum reciperet: daretquе operam ne ullo loco ad obſidendam ullam urbem conſiſterent. Ita re infecta pars ea Galliæ metu, periculoquе liberata eſt. Atque eo tempore & prioribus annis ad tanta belli impendia perferenda, uarijs indictionibus urbes Gallicæ oneratæ ſunt: noui magiſtratus deſignati, hique uenales propoſiti: in fœneratores iudicia ſeuere multa facta datis

ſelectis

ſelectis iudicibus,ſubmotaque prouocatione,qui paſsim ubi minus pretium à uenditore datum conſtiterat:uſuræ prætextu temere initos contractus reſcindebant,adiecta mulcta fiſco maiore interdum quàm res eſſet empta. Imperatæ quoque decumæ nationi ſacerdotum. Interea ne ſeneſcerent conſilia belli Mediolanenſis,Rex undique copias ſcribebat. Eodem quoque tempore multi abſentes poſtulati maieſtatis, qui Borbonium ſecuti fuerant:in quibus fuit Pontieurius è Britannia minore,Ioannes Huraltus Eduenſium Pontifex,qui poſtea captus eſt, Carolus Motta, Pomperanus,Peluſius,Sanctouincentianus,& plures alij. Capti & in carcerem coniecti Ioannes Troius Pictonicus,qui & Sanctoualeriani nomen retinebat:& Ioannes Eſcartius ſuppræfectus Boiorum,qui Lauangioni cognomine notior eſt.Ac multò poſt tempore Valerianus maieſtatis damnatus, Regia humanitate liberatus eſt.Nam qui conſanguinitate illi erant proximi, orabant Regem ne extingui pateretur,extinctum poſt patris ærumnoſiſsimi mortem,ni filiæ mortem uidere uellet:daret illi quæ ab ineunte adoleſcentia & Claudiæ Reginæ,& Ludouicæ matri præſtò ſemper fuiſſet ad aulica miniſteria,patrem in falſa inuidia,periculiſque uerſatum:leuaret hunc aliquando ſupplicem,quem ſeruatum plurimi uolunt,ſeruare ipſe unus poſsit:ne permitteret in tot bellis periculiſque perſpectum uagari flammam aliorum facto & cupiditate excitatam:orabant Regem & obſecrabant, ne infeliciſsimæ filiæ uota,ne preces repudiaret,aliter poſt funus paternum filiæ funus,propinquorumque expectaret:quodnam ob facinus? quid ipſi tantum ſceleris admiſiſſent?Rex ut tam in breui ſpatio omnem eieciſſet animum,preces ut miſerorum nihil apud eum poſſent? Ita flexere illi animum humani benignique Regis.Nanque ætatis noſtræ Reges,Cæſares,Pontifices,alijs forte in rebus æquales Franciſco aut ſuperiores fuere:humanitate, clementia, pietate omnes ille uicit. Excubabant illi pro ſalute rei:ita curarunt mox diploma regium obſignari quo crimen obliterabatur, idque curſu Pegaſario celerrimè, quocunque ſtatu res eſſent, perferri curarunt.Ita factum ut deſperata iam propè ſalute,in carcerem reduceretur, beneficioque Regiæ clementiæ frueretur. Eſcartius abſente Rege,ueritus ne falſi criminis inuidia opprimeretur,dum fugam parat cuſtode carcerum ita alligato, ut neque uerbo neque facto fugam impedire poſſet,acclamantibus alijs captiuis, prorſenteque plebe, cauſam iterum fugæ dicere coactus, cùm patribus innocentiam ſuam probaſſet, abſolutus eſt,multique alij aut abſoluti ſunt, aut humanitate Regis reſtituti. Aequius enim uidebatur ei liberare etiam ſuſpectos,quàm oblatis criminibus inſectari,aut capitis arceſſere.Maximè uerò Gallia omnis perturbata eſt incendiariorum iniecto metu:quos paſsim ſubmiſſos à Cæ-

ſarianis; ut in uicos urbeſq́ue ignes immitterent, plebs ſuſpicata eſt. Trecenſium ciuitas maiore ex parte ea lue polluta eſt: nec tamen unquam exploratum eſſe potuit, unde ea incendij cauſa orta, tantùm in Cæſarianos cauſa translata uulgi rumoribus. Ac rurſus ob metum Cæſarianum Tarauanna Morinorum ſcripto exercitu commeatu inſtructa eſt. Caroli Borbonij bona fiſco addicta, exceptis ijs de quibus contendebat cum Ludouica, quæ decreto ſenatus poſt aliquot annos ei ceſſere. Hactenus res Gallorum eo ſtatu fuerant, ut de Mediolano recipiendo nondum ſpes abiecta eſſet. Amiſſa autem Cremona, expugnata Genua, arce Mediolanenſi reddita, morbo & fame tabeque conſumptis qui in eam introierant, in quibus fuit Gratianus Garrus, Venetis in Cæſaris partes uenientibus, Carolo Borbonio rei militaris peritiſsimo, cui conſilia omnia Gallica notiſsima erant, adiuncto Adriano Pontifice Maximo Cæſaris ſtudioſiſsimo pecunias exercitumq́ue ſuppeditante, accitis etiam ad partes Florentinis, Senenſibus, Lucenſibus, reguliſq́ue Italiæ: Ioanne etiam Medice (iterum repudiata Gallorum amicitia opera Iulij Medicei Cardinalis) cum equitibus leuis armaturæ trecentis, grauis quinquaginta, quinque peditum cohortibus ad Cæſarianos tranſeunte, uerſa eſt belli alea: & ſtudioſi Gallicarum partium uim hoſtilem ueriti, Italia excedere coacti, cum Romæ Vulteranus unus è purpuratis pontificijs Gallicarum partium inuidia, in uincula eſſet coniectus ab Adriano Pontifice. Nec licuit Regi, ut conſtituerat, Mediolanum pergere, ob patefactam Borbonij coniurationem: terebaturq́ue interea tempus, belliq́ue apparatus refrigeſcebat. Ac tandem ſumma imperij traditur Gulielmo Gounfierio Boniueto tribuno maritimorum: cum eo fuere Vaudemontius Lotharingus, Palicius, Vandeneſius, Baiardus, & plures alij. Erat ille quidem Borbonio inimiciſsimus, eumque ille oderat æquè atque illos ipſos qui Regis animum à ſe auerterent: multaq; antequam Gallia excederet acciderant, in quibus & ſimultates illius, & odium experiretur. Huic adfuere triginta peditum millia, equitum quatuor. Proſper Columna illi ad Ticinum occurrit, ripa munita tranſitu eum prohibiturus, ſperans futurum ut turbatis ordinibus Gallos interciperet, At illi munitionibus præruptis, interceptis etiam aliquot machinis, Proſperum mox Mediolanum redire coegerunt, Baiardo primo cum ſuis Ticinum intrepidè tranſeunte. Omnes qui huic bello interfuere, ipſeq́ue Baiardus & Vandeneſius, culpam hanc adſcribebant Boniueto, quòd perterritos hoſtes non ſecutus, ſpatium eis dederit Mediolani muniendi. Id & in eo Galeatius Capella deſiderat: multiq́ue ſuſpicati ſunt ſpe pecuniæ ingentis ab oppidanis exigendæ dilatam oppugnationem, quòd ab eius uiri uirtute abhorret. Natura uerò id in-

rò id inſitum, ut conſilia euentis ponderemus: ac cui fauſtè quid contigerit, prudentiſsimè illum prouidiſſe, cui infeliciter, malè ſenſiſſe iudicemus. Ipſe aiebat ſequi ſe confeſtim non potuiſſe, nondum equitibus, ſarcinis, machinis traiectis: deterritumque à Galeatio Vicecomite, quem parum fidum Regi ſerò ſenſiſſet. Interea Proſper eadem ratione qua prius Mediolanum muniit. Eo ferè tempore Adrianus Pontifex Maximus conceſsit fato: & poſt uarias diſceptationes ſuffectus in locum illius Iulius Medices, qui ſe Clementem VII uocari uoluit. Proſper cum extrema ualetudine conflictaretur, abſente Daualo, qui ob ſimultates aberat, Ferdinandum Alarconem docebat quid agi uellet: Gounfierius caſtra fixit ad Ticinenſem portam. Serò autem Baiardi Vandeneſijque conſilium ſe non ſecutum, qui perterritis mox inſtandum ſuaſerant, agnouit. Interea Carolus Laurius & Ferdinandus Daualus è Neapoli Papiam peruenere cùm recentibus copijs: & Borbonius è Germania acceptis à Ferdinando Cæſaris fratre ſeptem Germanorum millibus, Mediolanum quoque perueniebat. Mutata belli ratione Gounfierius ipſe cum parte copiarum Mediolanum obſidebat: Baiardum miſit cum ſeptem peditum millibus, equitibus ducentis, & Federicum Bozulum ad Laudem Pompeiam oppugnandam. Laudi præerat Federicus Mantuanorum regulus, qui ſe imparem Gallicis uiribus agnoſcens, tentatis per Bozulum honeſtis conditionibus deditionem fecit. Alios deinde præfectos cùm quatuor peditum millibus leuique armatura Moguntiam mittit, quam & ille profugientibus Cæſarianis occupauit: fruſtra tamen Cremona tentata eſt. Itaque rurſus coniunctis uiribus ad Mediolanum omnes. Summa tamen annonæ inopia, aſsiduiſque imbribus fatigabantur Galli. Fama eſt, cùm Boniueto promeretur frumentum à ruſtico, acclamaſſe hominem, Edite triticum conditum antè ſexaginta annos: idque minimè inſuaue uiſum. Sunt autem, ut his qui uicini ſunt Tholoſatibus accidit, qui granaria habeant ſub terris, uti ſpeluncas, quas uocant Syros, ut in Cappadocia. Horum ſolum, ut ait M. Varro, paleis ſubſternunt, & curant ne humor aut aer tangere poſsit, niſi cum promitur ad uſum: ſic conditum, ait, triticum manet uel annos quinquaginta, milium uerò plus annos centum: & quò ſpiritus non peruenit, ibi non oritur curculio. Ad hæc Federicus Gonzaga Mantuanus, & Medices Ioannes, frumentatores Gallicos uariè concidebant: & maturius ſoluiſſet ille obſidionem, niſi per Carolum Murgantem Parmenſem in ſpem ueniſſet clàm potiundi Mediolani: nanque is ponte ſublicio occupato quò extra munitiones ad urbem aditus patebat, Gallos erat introducturus. At dum incautius conſilia ſua communicat cum Ioanne Ferrario, detecta ab eo coniuratione pœnas dedit. Proſpero interea mortuo ſumma im-

ma imperij redierat ad Carolum Lanoium. Peruenit & Borbonius Mediolanum cum Germanorum copijs, cui unà cum Lanoio totius imperij cura à Cæſare commiſſa, uicario etiam imperij, ut uolunt multi, deſignato. Iam autumnus in exitu erat, Baiardoq́ & Rentio Cerro in uicina loca dilapſis, ſeduloqúe adnitentibus, ne quid commeatus in urbem inferretur: molis quoque dirutis fame prius cœperant Mediolanenſes urgeri. Tantis copijs hoſtibus auctis, coactus eſt Gounfierius & Baiardum & Cerrum ad ſe reuocare: horum diſceſſu recreati Mediolanenſes minus anguſtè re frumentaria uſi ſunt. Prius quoque de inducijs actum fuerat, quas cùm Proſper & Alarco duorum menſium ſe dare recepiſſent, Hieronymi Moroni opera præciſa eſt eorum ſpes. Fuerat is Moronus Gallis olim amiciſsimus, at ſe totum eo tempore à Gallorum amicitia auerterat: initioqúe huius belli non ſenſim atque moderatè ad Sfortiæ amicitiam arrepſerat, ſed breui tempore totum hominem difficillimis adhibitus conſilijs, miruſqúe artifex in pecunijs undique auertendis, poſſederat: eadem ratione non ingratus Proſpero & Daualo, cùm & Cæſari optimè ſe cupere iactitaret, ac neque hac neque illa parte fidem habens, omnia perdita ob prædam cupiebat: ardebat ſtudio præproperè adipiſcendarum præfecturarum ſacrarum: ſedatiſqúe tandem bellis neque Cæſari, neque ipſi Sfortiæ parum fidelis uiſus. Ac principio quidem ſic progreſſus eſt, ut maximis in rebus pacis & belli conſilijs adhiberetur intimis. Poſteaquam uerò ambitio praua, uirtutis imitatrix, ſine ulla ratione officij ſubdolo freta ingenio, concutere nouum hominem & ambitioſum principatus, & labefactare fidem ciuium & præfectorum impulit, ſuis ipſe captus artibus parum abfuit quin perfidiæ daret pœnas. Huius igitur conſilio ſublatis inducijs, Gounfierius Abiatum ſe recepit, Rentium Cerrum Aronam mittit, qui fruſtra arcem oppugnauit. Gaudentius Merula ſcribit Aronam à Gounfierio claſſe etiam quam ad hoc opus præparârat, & terra infeliciter oppugnatam. Hæc ante Borbonij Lanoijq́ aduentum geſta. Borbonius quartana fatigatus, Germanos ad iter longum promiſſo tantum ſtipendio pellexerat. Efflagitabant illi ſtipendia ab eo, minitabanturqúe futurum ut ad Gallos tranſirent, niſi fidem ſuam liberaret. Adriano Pontifice extincto, cùm pecunia deeſſet, à Clemente Pontifice, Senenſibus et Sfortia undique corradens nummos, tantum pecuniæ ſumpſit, ut multorum menſium ſtipendia militi perſolueret. Veneti quoque miſſo Franciſco Maria, Cæſarianis ſe coniunxere: quorum opera cùm toto ſuperiori bello minus aut proſpera aut fideli Galli uſi eſſent, ueluti ſuperis in eorum perniciem coniurantibus, Cæſariani & ſecunda & fideliſsima deinceps uſuri ſunt. Miſerat Gounfierius Baiardum ad Robechum oppidum tuendum, haud

ſatis.

ſatis opportunum ad uim hoſtilem arcendam, haud longè ab Abbiato, cum equitibus leuis armaturæ quadringentis, cataphractis centum, & peditum quatuor cohortibus. Daualus re cum Lanoio & Ioanne Medice communicata, nocte intempeſta raptiſſimè eductis quatuor Hiſpanorum millibus, induſijs albis, quò facilius fallerent, ſuperinductis, Robechum peruenit. Erat ei notiſsimum quid ageretur in caſtris Gallicis: nihil Galli tētabant, nihil moliebantur, nihil deliberabant, quod ille aut non reſciret, aut non ſentiret per Genuenſem quendam transfugam. Itaque intelligens leuem armaturam maximè ex Italico equite conſtare, ſumma ui multis locis circunuallato oppido irrumpit: ut in re inexpectata undique ſtrepitus & terror. Pauci, in quibus Baiardus & Egidius Cortonenſis, memores priſtinæ uirtutis, hoſti occurrêre, multos deiecere, reliqui fuga ſibi conſulêre: ita factum, ut multis cæſis, Robecho hoſtes potirentur. Terralius, qui ſe unum peti non ignorabat, cum duodecim equitibus ferro uia aperta, uiam ſibi fecit, & ad Gounfieriū peruenit. Qui res geſtas Baiardi ſcripſere, narrant cùm loco diffideret ille, ſæpe agitaſſe cum Gounfierio de præſidio inde educendo: Gounfierium illi recepiſſe, futurum ut iuſtas copias mitteret, nec tamen miſiſſe, idq; illi à Baiardo exprobatum: nocteq; eadem cum alijs aliquot equitum ab eo acceptis, in alam Mediceam impetu facto multis necatis, enſe iam ita ſanguinolento, ut inutilis eſſet deinceps futurus, ad ſuos redijſſe. Exteri ſcriptores negligentius uigilias egiſſe Baiardum & Gallos aiunt, eumq; diſcinctum, uix inde ſeſe proripuiſſe. Cæſariani interea deliberant, quo pacto Gallos perſequantur, Borbonijq; authoritate permoti, præſidia uicinis locis undique conſtituta, inuadenda cenſuere. Hæc ille ſuadebat, quòd anguſta re frumentaria uterentur, quodq; Gounfierius multitudine equitum ualebat, ut minore periculo undique commeatum ſuis curaret: ſimul uti pabulatione Gallicum equitatum prohibens, ad rem gerendam inutilem redderet. Mittit itaque Franciſcum Mariam ad Garlaſcum oppugnandum cum Ioanne Medice, Venetorumq; copijs: Garlaſco præerat Baptiſta Leca Ligur. Abundabant Veneti machinis multis bellicis, quo factum eſt, ut obrueretur mox murus multis locis. At Leca intus nouis munitionibus celeriter excitatis, ſibi non deerat. Fit impetus in urbem: promptiſsimus quiſque ex Venetis, dum incautius progreditur, cæſus eſt, ut iam de fuga cogitarent, ni Maria recētes undiq; ſubmittens, ita ſuos hortatus eſſet, ut perrumpentes tranſilientesque foſſas aqua refertas, loco tandem potiti ſint: direpta urbe, præda undiq; abacta, multi cæſi. Plures ita prodidere, ex hoſtibus ducentos, ex Gallis quadringentos deſideratos. Cæſi ſunt ex hoſtibus notiſsimę uirtutis, Hieronymus Angelus Patauinus, Carolus Eugubius,

Scipio Palauicinus. Gounfierius, ne authoritatem, qua maxi-
mè Gallicus equitatus apud exteras gentes niti uidebatur, minue
ret, ſi fama percrebreſceret, ſe ſuis ſubſidia ſubmittere, neque au-
dere prælio dimicare, Vigleuenum motis caſtris properabat: po
ſteróque die ante frontem caſtrorum hoſtilium, qui eodem cum
Borbonio, Lanoio, Daualo, Maria, Medice peruenerant, copi
as ſtruit. Borbonius, an productis copijs prælio decertaret, du
bitabat: nam etſi numero abundaret, cataphractorum tamen e-
quitum robur metuebat: & ſtudium alacritatemq; pugnandi co-
gnoſcens, ſperabat futurum, ut cùm reſediſſet ea alacritas, hye-
misq; ſæuitia conſumpti eſſent Gallici equi, ad prælium minus a-
pti eſſent: ſimul auertendo annonam, ſingulatim præſidia eorum
expugnando, incruentam ſibi pollicebatur uictoriam. Cùm o-
mnes in eius ſententiam tranſijſſent, caſtris ſe continuere Cæſari-
ani, tametſi triduo pugnandi copiam faceret Gounfierius. Mit-
tit uerò Borbonius ad Vigleuenum oppugnandum Daualum
cum tribus Hiſpanorum millibus, atque is celeriter concuſſo mu
ro, fruſtra præfecto adnitente cùm ſui undique fugerent, oppido
arceq́ue potitus eſt. Ioannes quoque Medices ad Mortarium
miſſus: is quandiu Gounfierius proximus fuit, quaſi alia tenta-
ret, in alia loca iter ſimulabat: eo abeunte productis copijs, cir-
cumuallato oppido, proſtratoq; muro, dum Ioannes Biragus a-
git de deditione, irrumpentibus ſuis loco potitus eſt, capto eo-
dem Birago & multis alijs. Sic & Ioannes Vrbinus capto Hu-
gone Pepulo, Sartirano oppido ſito circa citeriorem ripam Padi
expugnato, redijt ad Borbonium. Iam Gounfierius Nouari-
am peruenerat, expectans equitum noua auxilia, quæ à Rotelino
adducebantur: expectans quoque Heluetiorum nouas copias,
quas iam ſciebat ad Gattinarium perueniſſe: ſimul ſperans futu-
rum, ut Rentius Cerrus qui ab eo accepta pecunia ad Rhetorum
ingentem numerum conſcribendum miſſus fuerat, & Federicus
Bozulus, ut inter eos conuenerat, Mediolanum obſidentes, Bor
bonium Cæſarianosq; eò reuocarent: ipſe mox adeſſet cum recen
tibus lectiſsimisq; copijs ultrò hoſtes ad pugnam prouocaturus.
Excidit ille utraque ſpe: neque enim Rotelinus in tempore adfu-
it, neque Cerrus ut receperat, potuit Rhetorum auxilium Lau-
dem perducere ad Bozulum, ut inde Mediolanum inuaderent.
Cùm per Ioannem Medicem illi Sfortiano auro corrupti, legatis
ultrò ad Sfortiam miſsis fœdus cum eo pepigiſſent, relinquebatur
Gounfierio, ut ſe cum Heluetijs coniungeret: nam illi aliter redi-
tum ad ſuos minabantur, cùm equitatus hoſtilis uim ſoli ſuſtine-
re non poſſent: & Borbonius fixis inter Nauariam & Vercellas ca
ſtris, cõmeatus intercipiebat. Quin & per Hieronymum Pectium
à Vercellenſibus, aut potius per Sabaudiani uxorem, ipſumq;
Sabau-

Sabaudiæ Ducem Carolum impetrârat, ut neque à Taurinis, Gallis, neque è uicis ullis locis annona deferretur, affatim uerò in Cæſarianorum caſtra infertur. Acceſsit aliud incommodum ex Abdiati occupatione. Franciſcus enim Sfortia cum multis equitum peditumq́ millibus, unà cum Iohanne Medice Mediolano egreſſus, occupato prius ponte Ticini quem Galli retinebant, Abdiatum peruenit: atque ex antelucano tempore uſque ad horam primam poſt meridiem machinis muros concuſsit. Huic præerat Federicus Carafa cum ualido quidem præſidio: ſed peſtis iam in pleroſque ita graſſabatur, ut inutiles eſſent ad uim depellendam. Impetu itaque ab hoſtibus facto potiuntur Abdiato, abducta ingenti præda & multis cæſis: nec tamen præda illis diuturnum gaudium attulit, contagione mox morbi in eos qui eam attrectârant ſerpente, Carafa captus eſt. Gounfierius harum rerum commutatione territus, longè aliud ſibi capiendum conſilium uidebat, ſolicitus erat de Gallia repetenda: itaque cùm Heluetij ad Eporediam perueniſſent, ijs ſe adiungere parabat. Ad Padi ripam ubi Sicida fluuius oſtia habet, Bremide oppidum: & ad fluuij dextram Paleſtrum, ſuperiusq́ eſt Romagnum. Superius ad ſiniſtram Sicidæ, Burgus: deinceps ad Padum eſt Triduum, & propè cœnobium cui Lucedo nomen, Duria Baltea amnis apud Haſtubiam ex alpibus oriens, cui inferius adhæret Creſcentinum, ſuperius Salugiæ, & paulò ſuprà Eporedia. Borbonius per exploratores certior factus Gounfierium in Galliam reditum parare, ut inclinari eum uidet, timore ſic impulit, omni ut diligentia uteretur ad eius exitium, abeuntemq́ premeret. At ille pro certo habens id quod erat, ſi quid de celeritate remitteret, eripi ſe non poſſe Borbonio, tranſuerſis itineribus Romagnum peruenit, oppidum difficili aſcenſu atque arduo, nocte intempeſta, è Nouaria eductis copijs. Mox diuerſis itineribus ad inſequendos Gallos præmiſsi Daualus, qui ſerò circa Romagni uicinos uicos peruenit, & Vaſtius, qui fruſtra Pontanettum perrexerat: miſsis tamen cum Mercado peditibus Hiſpanis, qui colles eos conſcenderent. Galli conferti in eos impetum fecerunt, illiq́ in fugam coniecti ſunt. Sed Daualus Ioannem Vrbinum mox his ſubmiſit, qui & ipſe multis cæſis irruente Baiardo pulſus eſt, cùm prius uulnus accepiſſet pila ænea impetitus. Itaque cum robore peditatus & equitum leui armatura Daualus & Vaſtius progreſſi in pugnam: cùm & his Vandeneſius & ipſe Gounfierius ſtrenuè occurrerent, ſenſim ſuos recipere, & in caſtra ad Gemium uicũ reducere eos coacti ſunt. Ex Hiſpanis octoginta, ex Gallis uiginti eo prælio, quod fuit inſtar decurſionis, uulnerati ſunt. Nocte quæ ſecuta eſt, colles uicinos Daualus occupauit: nec Heluetij qui ad Gattinarium erant, ullis precibus adduci potuere, ut flumen tranſirent,

ſirent, ita neceſſariò fuit Gounſierio ad eos tranſeundum. Borbonius perculſis inſtandum, ut & Daualus, & Franciſcus Maria & Vaſtius aiebat: Lanoius abeuntes fauſtis omnibus excipiendos: non eſſe uſque adeò accisas res Gallicas, atque ut ſint accisæ, præciſa ſalutis ſpe in deſperationem uerſos, cladem fortè illaturos. In ea Cæſarianorum altercatione Gounſierius nocte eductis Gallis, iam uenientibus ad ulteriorem ripam Sicidæ Heluetijs, qui Eporedia uenerant, uado fluuium tranſijt. Borbonius celeriter ſummo diluculo è caſtris cum Daualo & Vaſtio profectus, paucos lixas & calones & ſaucios: qui nondum flumen tranſierant, impeditos & inopinantes aggreſſus, conci dit: moxque aduentantibus integris copijs, in alteram ripam repertò uado tranſijt cum equitibus mille, peditibus totidem, qui in equorum dorſum ſublati ſunt, omnes peritiſsimi globorum æneorum emittendorum. Non dubitârat Gounſierius, quin ille omnia moliretur, quibus iter ſuum auerteret: itaque leuibus aliquot machinis in ripa adhibitis, Italorumq́ & Narbonenſium peditum, quos Prouinciales uocant, cum Caſſeo Triſtanoq́ relicto præſidio, ipſe aciem inſtruebat. Hi cùm à Daualo pulſi eſſent, uident futurum, ut temerè progreſſus turpem haberet exitum, ſi hoſtes machinis bellicis potirentur, dandam eſſe ait operam, ut acceptum damnum uirtute ſarciretur: uocatisq́ Vandeneſio & Baiardo præſtare aiebat, per uirtutem in pugna belli fortunam experiri, quàm per ſummam iafamiam ſinere hoſtes machinis potiri. Illi cùm ſe ultrò prælio offerrent, in Cæſarianos impetu facto machinas quidem maiores omnes abduxere, ſeptem tantũ leuibus deſideratis, quæ antea in aduerſam ripam ab hoſte celeriter tranſuectæ fuerant. Pedites tamen Hiſpani ſuccincti machinis leuioribus dum modò inſtarent, modò ſenſim ſe reciperent, in gyrumq́ uoluerentur, uitato impetu Gallicorum equitum, plures uulnerauere: in quibus Gounſierius necatis tribus Hiſpanis, qui magis tormentum abducere parabant, ſiniſtro brachio glande ænea ictus uulneratus eſt: Vandeneſius quoque circa humerum grauioris pilę uulnere accepto, poſt paucos dies animam exhalauit. Philippus Cerbelio & Paulus Luzaſcus Hiſpani leuiores machinas abduxere, eoq́ prælio ſpecimen dedêre fortitudinis. Ea pugna Heluetij, cùm dicerent ad ſuos ſe recipiendos, non certamen ueniſſe, adduci non potuere, ut Gallos in hoſtem ruentes ſequerentur. Hiſpani rurſus flumine traiecto ad ſuos ſe recepere. Iam Gounſierius integra nocte longum iter emenſus erat, cùm Borbonius, Lanoius, Daualus, Franciſcus Maria, media nocte eos cõſecuti ſunt. Heluetij iam equites Gallicos & machinas in medium receperant agmen. Tyrones præcedebant: uetus eques Gallicus, ut quiſque plura ſtipendia meruerat, aut ſpectata eius eſſet fortitudo, à tergo ſequebatur,

tur, nullo fragore, nulla perturbatione audita: ſenſim ita incedebant, ut neque ullus ordine ſe ſuo commoueret, neque celerius progrederetur: neque ullis procurſationibus hoſtium terreri potuere quin aut ſomnum caperent horis duabus, aut quæ pertinerent ad iter commodius explicarent. Iam inſtabat, cùm ſe illi ad iter accingerent, cum robore exercitus Borbonius. Nam ante huius aduentum miratus Daualus ordinem conſtantiamq́, copias ſuas exiguas noluerat obijcere. At Gounſierius qui imperatoris officia, oppreſſus acerbitate uulneris, minus commodè implebat, accerſito Baiardo: Vides, inquit, quo ſtatu ſint res: opinio magni mali impendentis uincenda conſtantia. Borbonius quos perſequatur immemor, quaſi quaſdam immittat in nos, atque incitet furias, omnibus uiribus in perniciem noſtram incumbit. Si uolumus quod reliquum eſt uitæ ſine infamia traducere, omni nobis contentione, uelis remisq́ fugiendum, ne potiatur machinis bellicis. Me uerò uulneris magnitudo munus officij mei exequi & tueri uetat: interea principem te tantis copijs nominaui, & ad omnia te alterum me fore dixi: itaque per ſacra omnia illum animum adhibe quæſo, quem fortem ſemper habuiſti. Erat Baiardus naturâ dicax: atque eo tempore Gounſierio reſpondit, Magnificentius id ſibi ceſſurum, ſi tantum decus imperiumq́ proſperis rebus impertijſſet: ſe tamen rebus afflictis & difficillimis ſic adfuturum, ut & præſtaturus ſit, quod debeat, & quodcunque ſibi acciderit, moderatè laturus. Borbonius Daualusq́ Gallis inſtantes cum quatuor Hiſpanorum millibus, pilis plumbeis emiſſis, uariè equites Gallicos, extremumq́ agmen carpebant: nec tamen ordines ſenſim incedentes perturbabant. Baiardus, ut cohiberet hoſtes, cum lectiſsimis equitibus, ut interea præcedendi ſpatium pediti daretur, in confertos eos ſeſe effudit. Hiſpani leuisq́ omnis armatura repentè expanſa, impetum Gallorum fugiebant: rurſus hortante Borbonio ſenſim ad iactum globi ænei pedem conferentes, multos uulnerabant: conculcati ſunt tamen prius aliquot ex hoſtibus. Baiardus dum equitum alas, ad ſuos ſe reciapiat, uolubilis circumagit ſe, ſub latere dextro glande plumbea ictus corruit: ac ſeſe circa uicinam quercum proſternens, CHRISTVM OPTIMVM MAXIMVM obteſtatus eſt, circundaret, ſe complecteretur, ſe tueretur. purgataq́ præteritorum memoria animam ad ſe euntem exciperet, ablueret ſua humanitate & gratia ſordes, parceret miſero, uultu placito intueretur, ſeu ſeruum, ſeu reum mallet: gratia ſe filium adoptatum ab eo, culpa reum factum, uinceret gratia culpam: ut diuina clementia maiorè in ſcelere creſceret, malè quidem tot annis numen diuinum cognitum, parum abeſſe quin humanitas ſuperaretur ſceleribus: ſe tamẽ excuſſo dæmonum iugo, nihil non beneficio ſanguinis effuſi, pa-

trocinio-

trocinióque CHRISTI OPTIMI MAXIMI ſperare. Semianimisq́ adhuc uenienti Borbonio eúmque conſolanti, nihil aliud reſpondit, quàm, SERO ET VBI NAM FIDES, HERE: Cæſus & Beuuoſius ex Belnenſi nobilitate Aurelijs proximus. Conſtat curaſſe Borbonium, ut ſacro prius libamine ſumpto decederet, quem & in huius funere multum profudiſſe lachrymarum certum eſt. Symphorianus Campegius narrat illum percuſſum, morientem hæc dixiſſe, Mortem ſe non ægrè ferre: etenim ueniſſe domo, ut Regi uitam debitam tribueret: eo uerò nomine angi, quando manu minimè uſus moreretur. Nicolaus Quercetus eius opera ſaluas rediſſe ait Gallicas copias, magnumqúe ab eo ſtrenuis uiris exemplum præbitum, quanto potior eſſe debeat probis dignitas ſine uita, quàm uita ſine dignitate. Galli tandem incolumes, paucis quibuſdam Heluetijs, qui longius in hoſtes excurrerant deſideratis, Eporediam uenère. Hic finem factum ſequendi Gallici ſcriptores aiunt, diſſentiente Hiſpano ſcriptore, qui Celando oppido multas machinas bellicas relictas, à Gallis per Ferdinandum Alarconem abducta ait. Laudem deinde Pompeiam hoſtes recepere, Federico Bozulo qui urbem tuebatur, æquis conditionibus unà cum omni præſidio, ſaluis rebus omnibus emiſſo. Rex etſi belli aleam malè ceſsiſſe uidebat, extenuariq́ ſpes ſuas & euaneſcere, incolumem tamen exercitum, incolumemq́ Gounfierium rediſſe lætabatur: atque ita res eius geſtas commendabat, ut laudabilem eius ex Italia ceſsionem, quam hoſtes fugam uocabant, ceſsioni illi nobiliſsimæ Græcorum, qui Cyro iuniori militârant aduerſus Perſas, Xenophonteq́ imperatore non ſine laude ad ſuos redierant, multis ſuperatis hoſtium & uiribus & inſidijs, conferret. Deſideraſſe uiſi ſunt Borbonius & Daualus in Franciſco Maria toto hoc bello celeritatem, qui tamen unus noſtra ætate exacuiſſe dicitur illam ingenij aciem, ad captandas rerum occaſiones fortunæque proſpero curſu diutius uſus: aliud accidit Guydo Vbaldo, cui is ſucceſſerat, cuius & eruditio & ſumma animi magnitudo cõſtricta uinculis, labefactataq́ aduerſo exitus conſiliorum prudentiſſimorum, ius tamen ſuum retinuit. Etiam aderat annus milleſimus quingenteſimus uigeſimus quartus, cùm menſe Iulio Bleſis Claudia Valeſia Regina migrauit ad ſuperos. Hanc lichenes morbo, aut non ita diſsimili impetigine fama eſt occubuiſſe, imperitia medici: qui cum morbum erumpentem curare debuiſſet, abigere pharmacis adhibitis & aluo ſubductu rum ſe receperat. Fuit ea ſtata quidem forma & liberali, ſed ſumma integritate pudicitiaq́. Abundabat illa innocentia, pietate, religione, obſequio in uirum, diligentia in familiares: nunquam inſolens elatáque uiſa, eundem uultum eodem tenore referebat, grata ciuibus, iucũda plebi, nobilitati

litati optabilis; ut in aduerſis rebus conſtantiam, ita moderatio-nem in ſecundis retinebat. Familiare illi nihil niſi de diuinis cæleſtibusq; promiſsis, oratione q; diuinæ hæreditatis dies & noctes cogitare. Placabilis erat in eos à quibus eſſet offenſa, afflictis multa condonabat, probis pijsq; uiris multa elargiebatur. Nemo eam ullam lucra ligurientem, nemo ad rem attentiorem, nemo ullis deprauatam cupiditatibus, aut uidit, aut audiuit. Ita ſapienter, ita ſcitè, ita eleganter, caſtum ſincerumq; animi motum ſingulæ eius ſententiæ olere uidebantur; omnibus ut abundare ornamentorum generibus, omnibus uirtutibus, quaſi fontibus ſcaturire uideretur. Interea Borbonius Daualum mittit ad Alexandriam oppugnandam, daturus operam ne uſquam ſubſiſterent Galli. Claudius Boiſius Gounfierij nepos Alexandriæ præerat, & quanuis urbs ſatis munita uideretur, ad depellendum hoſtilem impetum, ueritus tamen Dauali ueterani imperatoris aſtutias, nec uidens in quem uſum amiſsis alijs urbibus retenta Regi Alexandria prodeſſet, deditionem facit, ea lege ut ſaluis rebus omnibus emitteretur: atque ita in Galliam cum Federico Bozulo redijt. Ante aliquot menſes fruſtra Vitellius Romanus, Hieronymusq; Adurnius, etſi ſtipati ingenti Corſorum multitudine, urbem ei eripere tantârant. At Borbonius uel ueteribus ſtimulatus ſimultatibus, atq; ex fœdere Galliam recepturus, uel Cæſaris iuſſu, ne tot copiæ diſſoluerentur, cùm ſciret Regem expeditionem nouam in Mediolanenſes paraturum, ut eum ad ſua tuenda reuocaret, prætexens etiam eam Gallicam præfecturam, cui uetus Prouinciæ nomen manſit, Cæſarum uetus eſſe beneficium, ſimul Mediolanenſem agrum militum rapinis liberaturus, in Galliam cum ualidiſsimis inſtructiſsimisq; copijs progreditur, unà cum Daualo & Ioanne Vrbino, & Philippo Crebellione, Italicisq; multis proceribus. Carolus Lanoius, qui ad Aſtam ſedebat, mille ſe equites grauis armaturæ ſubmiſſurum receperat. Cæſar quoq; pollicebatur occupata reliqua Narbonenſi prouincia, qua ex Perpenniano aditus patet, uires ſe ſuas ei coniuncturum, Henrico interea Britanniæ Rege cum Burgundionibus ad Pariſios penetraturo. Ricardus Pacæus, qui ab Henrico legatus ad Borbonium Cæſarianosq; uenerat, maximè eum ad bellum acuebat: neruosq; belli pecuniam ingentem afferens, author fuit itineris accelerandi. Borbonius primùm ignobilia aliquot caſtella, deinde etiam Aquenſem urbem, cui Aquarum Sextiarum uetus nomen multi tribuunt, uacuam nactus (prius enim iubente Rege, fortunis quantum licuit ſublatis, ſeceſſarant ciues) occupat: deinde crebris literis Lanoium admonebat, grauis armaturæ equites mitteret, nõ ignarus his detractis rebus ſuis quantum mali conſtitueretur. Ille cùm rem extraxiſſet uarijs ſimulationibus, ad ex-

tremum totum illius poſtulatum cauſamq́ negligere ſe oſtendit. Cupiebat Borbonius Auenionem, Carpentoractum, Cabelionem, Arelatem, uicinaq́ alia loca inuadere. Non ita uiſum Cæſarianis, Maſsiliam malebant oppugnari, quæ ſemel occupata retineri facilè poſſet, magnoq́ uſui Cæſari futura eſſet ad Galliam edomandam. Hoſtes hortante Borbonio Tholonienſem arcem aggreſsi, multis admotis machinis ea ſunt potiti: Hugone Moncata, qui è Genua cum aliquot militaribus nauibus uenerat, mari uim admouente. Hunc poſtea Andreas Doria adortus in fugam uertit, interceptis tribus nauibus, quarum unam abduxit, anchorarijs funibus à Iona nauarcho Gallico iam præciſis: ſuperuenit Daualus, qui reliquas, ne prædæ eſſent Gallis, incendi iuſſit. Pergit deinde expoſitis à Moncata Borbonius machinis ad Maſsiliam oppugnandam. Huius ſitus ex ueterum commentarijs notiſsimus, ipſoq́ Iulio Cæſare, à quo aut eius præfectis urbs oppugnata eſt: at pleraque hodie munitiora, Quin poſt Borbonianam oppugnationem nouæ excitatæ munitiones. Erat portus ferreis cathenis pilis duabus medio mari collocatis obſeptus, hæ etiam alligatæ ſunt turri, quam Santoioannam uocant. Extra mare fanum Victorianum, quod ualido præſidio munitum fuit: inde hortus regius, inde locus quem Canalem uocant, ubi ædificantur, ornantur, reficiunturq́ claſſes. Et minus commodè tentaturus uidebatur obſidionem, qui fanum Virginis cuſtodiæ dicatum, ſitum loco excelſo, præſidio ſuo muniendum non curârat. Ibi nunc arx munitiſsima, eo enim occupato ciues facilè perterruiſſet. Relinquebatur, ut ad portam, quæ ad Lazari templum ſpectat, cùm ea parte mœnia parum firma uiderentur, urbs quateretur. Miſerat Rex ad urbem tuendam Philippum Chabotium Crionum unum ex Aquitanis proceribus, cuius humanitate & prudentia in conſuetudine quotidiana magnopere delectabatur. Ille & fani, cuius ſuprà meminimus, muniendi author, & ſubſtruxerat aliud munimen eo loco ubi erant molæ frumentariæ, ſito excelſa parte urbis & media, machinisq́ bellicis diſpoſitis uariè Cæſarianos infeſtabat. Hunc locum hodie Galli ualidius communierunt. Superuenit deinde æquali cum imperio à Rege miſſus Rentius Cerrus, cum bellico multo apparatu delectisq́ Italorum turmis. Fama eſt miſſum à Borbonio ad urbem caduceatorem, qui Gallos ad colloquium euocaret. Hi cùm non detrectarent colloquium, ſperantes futurum, ut ille ſolueret obſidionem, prohibitos à Cerro, qui diceret urbem obſeſſam, quæ per colloquia ad hoſtem tentetur, iam pro dedita haberi: proinde ſi quis egrederetur ad colloquium, futurũ ut redeundi iter præcluderet. Brionus dum animaduertit ſubuehi hoſtium machinas, ad portã minore præſidio, quàm deceat miſſo Iona, cũ Maſsilienſibus aliquot

quot

quot Gallicisq; peditibus, uariè hoſtes fatigauit. Nanque illi è portu conſcenſis onerarijs nauibus, in alteram ripam euaſerant, hiſq;, cæſis qui tormentis uehendis occupati erant, reliquos in fugam uertunt, tormenta quoque iam abducebant. Id Borbonius intuitus, Daualo & Cerbellione repente uocatis, cum delectis Hiſpanorum cohortibus adcurrit. Galli numero inferiores ceſſere: ita tormenta recepta: quidam tamen ferueſcente acrius intumeſcenteq; mari abſorpti ſunt: reliqui unà cum Iona fauſtis acclamationibus excepti. Ægrè ab hoſte admouebantur urbi tormenta, cùm terra prædura & petroſa perfodi uix poſſet ad excitanda opera. Ad hæc ipſe Doria & Ionas circumactis undique myoparonibus, uariè eos, & oppidani quoque fortuitò emiſsis tormentis infeſtabant. Antonius Rupifocaldus, quem uulgatiore cognomine Barbeſium ab oppido in Xantonenſium præfectura ſito, uocant, admonet Brionum & Cerrum, ſibi ſi ducenti milites dentur, futurum ut hoſtes opere prohibeat. His attributis munitiones acerrimè impediebat: multiſq; cæſis, reliquos in fuga ſolum ſpem habere compulit: audaciuſq; eos premere & inſtare cœperat, ni ueritus ne à multitudine circumueniretur, aliquot captiuis abductis ſpolijſq; hoſtium, in urbem rediſſet. Ille eo nomine deinceps innoteſcere cœpit, à Briono Cerroq; palàm commendatus. Borbonius deinceps cautior futurus eſt ad eas eruptiones coercendas. Vincentius Tibaldus Romanus, gentilitate proximus Cerro, non quò aliquid delibaret de laude Rupifocaldij, at incenſus animi magnitudine, acceptis Italicis aliquot cohortibus, porta quam Regiam uocant, diſſentiente Cerro, ipſe quoq; perrumpere hoſtiles munitiones conſtituit: remq; feliciter exorſus, ancipiti prælio hoſtes diſtinebat, cùm in inſidias, quas Borbonij iuſſu Daualus miſſo Alphonſo Vaſtio parauerat, præcipitatus eſſet, adoleſcens omnibus rebus ornatus, fortiſsimè pugnãs, occubuit: fugientes alios cùm hoſtes effuſè uſque ad mœnia ſequerentur, inde abacti ſunt machinis bellicis: quidam etiam circa portam cæſi, in quibus fuit Rodoricus Corius ſignifer Vrbini: repreſſæ ſatis uidebantur Gallicæ eruptiones. Borbonius continua munimenta ad mare circunduxit, turriculiſq; excitatis, effecerat diſpoſitis militibus ne opera illi turbarent, neue impedirent impetum machinarum: ea enim opera uix quadraginta paſſus à muro aberant: & iam ita ſtrauerat mœnia, ut irrumpendum ſibi uideretur in urbem. Ita enim collocârat machinas, ut plures ſimul uno eodemque puncto uoluerentur, ſtragemq; afferrent ſtrepitu quodam & fremitu ingenti & horribili: & miles Gallicus, cui nulla dabantur interualla requietis, ſuccumbere laboribus uidebatur. At Brionus & Cerrus intus pro dirutis reficiebant muros: ac tametſi multis urgebantur anguſtijs, tamen nulla eos

res magis quàm uigiliæ aſsiduæ fatigabant. Interea è ſuperioribus colliculis ex urbe emiſsis tormentis, uarie tentoria Cæſarianorum lacerabantur. Accidit, ut quodam die in ipſum tentorium Dauali ingens emiſſus globus ſterneret unum ex eius familiaribus, qui uix ſex paſsibus ab eo aberat. Itaque Daualus accito puero tolli ab eo mox globũ iuſsit, ad Borboniumq́ perferri, rogãte puero, & ſciſcitante Dauali nomine, eſſentne hæ claues Maſsiliæ? Id ille rogare puerum iuſſerat, cauillo impetens Borbonium, qui prædixerat futurum, ubi ad portas Maſsiliæ proceſsiſſet, ut ſibi ciues cum clauibus urbis occurrerent. Eſt uerò Daualus omnibus, propter ſummam uirtutem, ſummamq́ nobilitatem, maximè propter Regis captiuitatem, atque egregiam operam totis his prælijs Cæſari depenſam, notiſsimus. Multi uerò machinis magni apud hoſtes nominis conciſi ſunt, in quibus fuere Franciſcus Guſmanus, & Ludouicus Calecus Hiſpani, Franciſcus Cantelmus, & Titus Fanfulla Parmenſis, & plures alij. Cùm iam ſtrata ſatis uiderentur mœnia, Borbonius, Motta, Pomperanus, Peluſius, reliquiq́ Galli, qui Borbonium ſecuti fuerant, ſignum inuadendæ urbis proponendum putabant. Hæc cùm etiam ipſi ueterani Hiſpani milites ſentirent, & cùm in eam ſententiam incitati prædæ ſpe loquerentur, unus erat Daualus, qui diſſentiret: futurum enim coniectura augurabatur, intus nouo refecto muro ingenti, ut ſtrage depellerentur, præſertim Briono & Cerro ita uigilantibus, ut decem iam noctes ipſi ad mœnia excubarint, ut conſtabat per Corſum exploratorem, qui infeſta omnia futura Cæſarianis palàm iactitabat. Tum multi concurrunt, orant Daualum, educat omnes ad oppugnationem: alioqui futurum, ut Borbonio hortante, ad quem ſumma imperij pertineat, ipſi ultrò urbem ſint inuaſuri. Ibi Daualus uerò æſtuare dubitatione, uerſareq́ ſe in utranque partem. Tum uerò ſimulans ſe uictum eorum rationibus, id impetrauit, ut uelociſsimi aliquot ex Hiſpanis mittantur, qui impetu facto excutiant, ſaluiſne reb. urbs poſſet oppugnari. Hi cùm irruiſſent per deiecta mœnia, quibuſdam cæſis, omnibus uulneratis, renunciant: obſeptum undique dirutum locum nouis munitionibus, ingentes ſpecus concauatos, hos picato apparatu aptiſsimo ad incendium excitandum refertos: ita futurum, ut priuſquam ad teli iactum uentum ſit, alij incendio flagraturi, alij ſemiuſtulati in hoſtium poteſtatem uenturi ſint. Borbonius uerebatur, ne per Hiſpanos pedites fucum ſibi feciſſet Daualus: itaque in uetere permanebat ſententia urbis oppugnandæ. Rex Maſsiliæ obſidionem grauiter ferens, contracto ingenti peditatu ex Heluetijs, equitatuq́ Gallico inſtructiſsimo, cui Iacobum Palicium Chabaneum præfecit, Palicium premiſit ad Auenionem, ne fortè hoſtes qui uicini erant Aquis Sextijs,

consilia

conſilia inirent, de urbe ea intercipienda. Is Auenionem profectus, urbe quidem minimè excluſus eſt à Franciſco Claromontano Legato pontificio homine Gallo: cùm tamen urbs pontificiæ eſſet ditionis, claues urbis penes eum, ad quem ſumma imperij pertinebat, manere æquum aiebat. Rex conſternatus ea altercatione raptiſsimè Tremolium, Maſerianum, Aubignium ad eum miſit, qui reciperent futurum ſalua omnia Pontifici futura: aut ultrò temeritatem coercerent purpurati pontificij, cuius fratres cùm honorificis functionibus in Regia fungerentur, unus etiam Narbonenſi prouinciæ præpoſitus eſſet, mirabatur hunc immutatum, qui ſplendidiſsimis ſacerdotijs, Auxitanenſiq; præfectura maxima (quæ multò omnium opulentiſsima eſt apud Gallos) frueretur. Tremolius mox admiſſus cùm eſſet, hominem placauit, ut illi ultrò omni abdicato imperio, omnia regiæ potentiæ, & fidei traditis omnibus portarum clauibus permiſerit: Aubignio cùm ueteranis alis equitum cuſtodia urbis data. Palicius & Tremolius properabant ad obſidionem Maſsiliæ ſoluendam. Horum aduentu & fama uenientis Regis territus Borbonius, qui nullò pactò commouere ſe obſidione urbis uolebat: ſimul etiam ueritus, quod & aiebat Daualus, ne Mediolanenſem agrum milite uacuum nacti Galli, facilè Cæſarianos pellerent, mutato conſilio tranſijt in Dauali ſententiam: ſoluta urbis obſidione poſt quadrageſimum diem, Rex Aquas Sextias, cùm exceſsiſſent hoſtes, mox quoque recepit. Ibi deliberatum eſt, an ipſe Mediolanum proficiſceretur, an imperium alicui ex proceribus decerneret. Tremolius, Palicius, Aubignius, Leſcunus, cùm iam in exitu æſtas eſſet, differenda belli conſilia in uer proximum aiebant: præſertim cùm robur exercitus exteris conſtaret, qui ægrè retinerentur ſine nummis. Gounſierius, Sammarſallus, Ioannes Barra, Philippus Chabotius Brionus minimè differendum bellum, inſtandum hoſti perterrito cenſebant: uterani proceres, ut maximè hoſti ſit inſtandum, præſentem Regem reuocabant à bello: uulgus Gallicum, ut ex ueritate pauca æſtimat, authorem fuiſſe Ludouicam Regis matrem huius profectionis credidit. Id tantùm abeſt à uero, ut ille matrem, cui nihil non deferebat, abiens ſalutare minimè auſus: pro certo habens futurum, ut illa profectionem remoraretur. Indicârat enim ea per literas eſſe quædam, quibus angatur & ſolicitetur magni momenti, quibusq; uerendum ſit, ne ipſe premeretur: quæ non audeat committere epiſtolæ, ea mutui ſermonis communicatione egere: aculeos quoſdam & ſcrupulos ſolicitudinum inſidere atq; urgere, qui mutuo congreſſu exhauriri poſsint: adfuturam ſe intra paucos dies. Ille hæc ueritus, mox ſeſe proripuit: abiens tamen illi adminiſtrationem omnem regni reliquit. Aſsidebat uerò Ludouicæ Antonius Pratianus iuriſ-

præfectus, abſenteq́ Rege omnia illi exequebantur, in ſpeciem uocatis aliquot pro ceribus. Sic & ante multos annos matri curam regni in Helue tios Sfortiamq́ Maximilianum moturus, [de]legerat, aſsidente tum ei in locum Pratiani iuriſpræfecti, qui cum eo proficiſcebatur, Mondoto Martonio præſidæ Pariſienſi. Hunc Rex mox regnum adeptus, cum Pratianum iuriſpręfectum deſignaſſet, in locum Pratiani ex Burdigalenſi præſide Pariſienſem renunciauit, liberalitate eius cognita cùm ad Cantabros recipiendos adoleſcens profectus eſſet, eiusq́ induſtria factum, ut & Rex Martonios alios complecteretur, & Robertum Martonium, quem Bouenſem uocabant, multis obeundis legationibus præficeret, in quo ille dexteritate ingenij multum ualere uidebatur. Itaque cùm Carolus Geldriæ Dux, cum multis copijs Hollandiam ingreſſus, cæde, incendijs, ruinis omnia ſtrauiſſet, Medelbicum diripuiſſet, Alcmariam ſpoliaſſet, Sparandamũ incendiſſet, Aſpera capta, in opidanos ita ſæuijſſet, ut & pueros in gymnaſijs inuentos trucidaret, miſerrimeq́ ſæuiſſet in uagientes infantulos ad cunas repertos, manente tamen prius pace inter Cæſarem & Regem, miſſo Rex Roberto Martonio Bouenſi, cùm fruſtra id alij tentaſſent, per eum conciliauit Geldrum Cæſari. Iam Borbonius & Daualus maturabant fugam; ita tamen inſtructa acie, ut laceſsiti facilè uim depellerent. Annáque Mommorantius, Bozulus, Marchianus, Aubignius, & plures alij tardius inſecuti hoſtes erant proximè, cum Borbonius pugnæ ciendæ auidiſsimus, qui & antea Egulium ſuppræfectum Ruthenorum temerè inuectum repreſſerat, ſiſtere ſuos iubebat: monitus tamen à Daualo, quantum cladis infamiæq́ inſtaret, iter ita accelerauit, ut & mediocres duas machinas relinqueret, cum maiores nauibus impoſuiſſet, minores uerò minutim ſcidiſſet, easqúe iumentis impoſuiſſet, ut ex eodem ære cùm Mediolanum ueniſſet, reficerentur. Rex per Coctias Alpes celeriter uolens Cæſarianos anteuertere, Mediolanum properabat: idqúe ratus Borbonius continuatis nocte dieqúe itineribus ſuos urgebat, effecitqúe, ut prius Papiam perueniret quàm Galli. Ibi Cæſariani deliberaturi accerſebant Franciſcum Sfortiam, qui ueritus Gallicas copias cùm diceret non eſſe ſe auem, ut cauea includatur, adduci non potuit, ut ſe Mediolano ad obſidionem perferendam teneret: uitatoqúe Cæſarianorum colloquio ſuſpectus eis fuit. Iam Borbonius, Lanoius, Daualus, Antonium Læuam, cum ſex Germanorum millibus, Hiſpanisqúe octingentis, cum machinis multis bellicis apparatuqúe machinario maximo, Italorumqúe cohortibus aliquot Papiæ præfecerant: uidentes futurum Regem, ut erat magni animi, ægrè poſt ſe Papiam relicturum. Atque ille urbem propugnaculis nouoqúe opere communierat, magnam uim frumenti

menti coegerat: recenſuerat oppidanos omnes qui arma ferre poſſent, tormenta aptis locis locarat, ſingula loca ſuis cuſtodibus firmarat, molas manuarias multas parauerat, nihilq́ ſibi reliqui ad moleſtam longamq́ obſidionem tolerandam fecerat. Erat Papiæ cum Læua Garcia Mauricus impiger, reiq́ militaris peritiſsimus, cuius & in ea oppugnatione uirtus cognita eſt. Rex miſſo Michaele Salutiano cum alijs aliquot equitum, ſubmiſsoque mox cum maioribus copijs Iacobo Palicio, & Ioanne Albanio, repente Mediolanum occupat: ea quidem celeritate, ut cùm Borbonius, Lanoius, Daualus diffiſi uiribus cederent, abirentque Romana porta, Galli Ticinenſi & Vercellenſi urbem occuparent. Galeatius Capella ait, ſi eo die Galli Cæſarianos ſecuti fuiſſent, nemini dubium fuiſſe, quin eo die debellatum fuiſſet. Sed perſequentibus Gallis, cùm temerè qui inuecti repreſsi eſſent, rediſſent, fruſtra id fuiſſet. Nam Daualus uarijs locis conſtitutis Hiſpanis, qui pilas plumbeas in Gallos ruentes emitterent, facilem fugam ſuis efficiebat: authoremque ſcribunt, qui Tremolij res geſtas ſcripſere, illum fuiſſe Regi, ut properè hoſtes inſequeretur, quocunque illi ſe reciperent: nec tempus tereret in urbium oppugnationibus, ubi Gallicus ardor flueret, remiſsuſque parum poſſet id illius conſilium repudiatum. Miſit deinde Rex Tremolium, qui Proregis nomine Mediolano præeſſet: huicque poſtea ſi quid hoſtes mouerent, ſubſidio miſit Franciſcum Borbonium fani Paulini Comitem, Vaudemontium Lotharingum, Thomam Fuxeum, Leſcunum, Theodorum Triuultium. Circa finem Octobris menſis, deliberante Rege ſatius ne eſſet aut Comum aut Laudem aggredi, an uerò potius Papiam, cùm ueterani omnes proceres, in quibus erat Ludouicus Darſius, qui pedibus æger lectica aduectus fuerat, cenſerent aut Como aut Laudi admouendas copias. Gounfierius cui Sammarſallus quoque hærebat, à regia maieſtate oſtendit alienum eſſe relicto proximo hoſte longinquum conſectari. Huius ſententia tantum ualuit apud Regem, ut medio ex itinere Albanius, qui iam Laudem à Tremolio præmiſſus fuerat, reuocaretur. Daualus ubi uidet Regem ad Papiam contendere, qui Laudem relicturus erat, conſilia de ea retinenda non abiecit, Borbonius autem in Germaniam tranſijt noua Germanorum auxilia coacturus. Lanoius ita conſternatus fuit Gallorum aduentu, ſaluas ut ſibi res futuras deſperarit, donec trans Abduam ſe reciperet: ex quo apparuit poſtea malo omine ad Papiam peruentum, Rex caſtra poſuit inter ædem ſacram Seruatoris, quam uulgò Saluatorem uocant, & Lanfranchi ædem, uia militari qua ad Laudem itur. I. Chabaneus Palicius ſubſtitit cum prima acie: Anna Mommorantius à Gounfierio, cui familiariſsimus erat, in inſulam miſſus, ut impediret exitum hoſtium. In hunc Læuæ iuſſu cum

paucis Germanis, pluribus uerò Hiſpanis, Garſia Mauricus urbe erupit, & quibuſdam utrinque cæſis, arcus pontis poſtremus concameratus inciſus eſt. Vtrinque deinde & à Læua & à Mommorantio munimentis perductis, poſtridie occupato ſuburbio, Mommorantius molas, quæ ſecundum Ticinum ſitæ erant, partim ui admota, partim tormentis emiſsis comminuit. Eo factum cùm putaret ut illi fame eſſet laboraturi, ſpe lapſus eſſet, cùm truſatiles molas, prius id præuidēs Læua, paraſſet. Has interdū homines, interdum aſini & equi in gyrum adigentes, ne quid deſiderare tur effecere: hæ uerſabantur & quibuſdam locis publicis & ſacellis, & in ipſa academia ciuilis pontificijque iuris. Ita pinſorum uoces inconditæ nobiliſsimo loco ſtrepebant, ubi paucis antè annis Iaſonis, Deciorum, Curſiorum, Picorum, cum admiratione acuminis auditæ fuerant. Erat turricula in ripa Ticini haud longè à muro lateritia, obſeptaq́ue erat præſidio Hiſpanico: hanc Mommorantius adcurrente quoque Claudio Longauillano, cæſis Hiſpanis, recepit. Barlandus narrat Hiſpanos pactos corporum ſalutem, à uictoribus Gallis ſuſpendio uiolata fide necatos. Alij cùm per præconem ſæpe moniti, deditionis omnes leges repudiaſſent, ui expugnatos aiunt conciſos: conſtratoq́ue ponte ad mutua auxilia ſubmittenda facilior locus uidebatur. Ex ea turricula pilis emiſsis ita perterrebant Galli oppidanos, conſilium ut ineundum Læuæ fuerit de ea diruenda. Itaque multis, ijſq́ue ingentibus admotis machinis, celeriter diruta eſt quibuſdam oppreſsis. Pergit Rex urbem oppugnare, quaſſatiſq́ue mœnibus, & à ſe & Palicio ad propugnaculum Aquitanos cum Sanctoſtephano & Ambleuillano mittit: atque hi munitionibus præruptis, ſi recentes alij ſubmiſsi fuiſſent, poterant loco potiri. Sed Ambleuillano necato, dum nemo fert auxilium, multis uulneribus confecti rediere. Et ſanè ſperabat Rex futurum, idq́ue malebat, ut afflictis rebus hoſtes agerent de deditione. Ipſe cum alueo ueteri uult Ticinum deflectere: impenſis factis grauiſsimis, fruſtratus eſt: addunt & alij multis de cœlo aquis decidentibus impetu aquarū opera corruiſſe. Cumq́ue Ticinum poſtea Rex diuertiſſet, foſsis & uallo à Læua excitato impeditum ne uim admoueret: quod ſanè diſsidet ab his qui omiſſas munitiones ſcripſere. Eo quoque tempore poſtulatus unus è Cæſarianis maieſtatis, quaſi Regi per literas indicaſſet laborare obſeſſos ſulphurei apparatus inopia, cùm tormentis facta infectaq́ue efferre cogeretur, damnatus eſt. Raptus ad ſupplicium ſaniorem mentem Læuæ imprecatus eſt, qui crudelitatem exerceret in ſe innocentem, ut eo exemplo deterreret Germanos ne ſe commouerent. Reſupinato & diſtricto carnifex pectus aperuit gladio, manu ſanguinolenta, cor, hepar, præcordia abſtraxit, minutimq́ue in fruſta reliquas partes corporis diſſecuit,

diſſecuit, improba ſimulatione tegente hoſte crudelitatem: omneſque Nerones & Phalarides, Domitianoſque uincente exemplo propoſito animi parum memoris humanæ ſocietatis. Claudius Longauillanus dum incautius munitiones ſpectat, glande plumbea ictus, magnum ſui deſiderium reliquit. Interea per Albertum Pium Carporum Comitem, clandeſtina inita fœdera inter Clementem Pontificem Maximum, Regem & Venetos: miſſoq; I. Matthæo Giberto Veronenſi pontifice, hortabatur Cæſarianos Pontifex ad inducias, donec conueniſſet inter Regem & Cæſarianos. Eoq; uentum eſt, ut principio ferrentur hæ leges Cæſarianis, donec agitur de fœderibus utrique quas urbes occuparent, retinerent: id ſi diſpliceret, penes Pontificem quaſi ſequeſtrum interea Mediolanum maneret: Ipſe cum ſe fœdere Adriani non teneri diceret, ne Florentini, Senenſes, Lucenſes pactam prius pecuniam numerarent, effecerat. Rex ſublata induciarum ſpe, I. Stuardum Albaniæ regulum & Rentium Cerrum, attributis eis decem peditum millibus, ſexcentis equitibus, ad Neapolim recipiendam mittit, conſilio maximè Pontificis ad quem miſerat Ioannem Langiachum, & Venetorum: ut reuocaret Cæſarianos ad ſua tuenda, diſſuadentibus multis qui copias diſtrahi nolebant: deſideraturus eſt Rex eas poſtea copias. Ille in Senenſium fines profectus, adiuuante etiam Fabio Petrucio, qui Senenſibus mutata reipublicæ forma præerat, ab eis & tormenta bellica, & pecunias ad bellum palàm ſumpſit. Clemens tamen cum ſpe Albanium lactando, remoraretur eius iter, uel pacis ſequeſter eſſe uult, utrique & Cæſari & Regi ex æquo defert, & Cæſarianis & Gallis æquè ſuſpectus. Ac poſtea parum abfuit rumore pugnæ aduerſo intellecto, quin Albanius Romæ ab Hiſpanis interciperetur, ni Rentius auxilio ei fuiſſet, libero aditu in Galliam dato. Ea expeditio eius fuit momenti, ut Carolus Lanoius, ni Daualus multis precibus diſſuaſiſſet, & in aduentum Borbonij differentur ut ea conſilia impetraſſet; ad Neapolim tuendam redire uoluerit. Interea à Germanis cum inopia ac fames timeretur; concurſus eſt ad Læuam factus: Azornio quoque magnæ apud eos nobilitatis & authoritatis ſeditionis ſtimulatore & concitatore, à quo & diſſipatos ferunt ſermones de Papia Regi dedenda. Itaque ualde fuit prouidendum Læuæ, ne in hanc tantam materiem ſeditionis ea funeſta fax adhæreſceret, & undique à ciuibus magna acerbitate exactis pecunijs, ſumptiſque pannis quibus illis ueſtes confectæ ſunt militares, ſolutoque ſtipendio ſedauit ſeditionem: iuſsitque uaſa ſua omnia argentea liquefacta, & inde pecunia conſlata, in eos erogari: palàm quoque ſumptis donarijs, ſtatuis, calicibus, patellis, thuribulis, pollubris, phyalis, capedunculis è ſacris omnibus locis. A Læua quoque Azornius ad cœnam uocatus, ueneno ſub-

N: Cesa Torn
& Leua Venaui
sublat.

no ſublatus eſt: neque expertem Læuam fuiſſe huius conſilij palam omnes prædicabant. Sæuiente uerò hyeme cùm ligna ad obſonium parandum deeſſent, Germani lautiſsimè ædificatas ædes Papienſium, aſſeribus contignationibuſque direptis, nudabant, eiſquè pro lignis utebantur. Scio ita rumoribus uulgi exagitatum, & à quibuſdam pro re ſeria ſcriptum, miſſum fuiſſe clàm à Rege ad Læuam ſodalitij Franciſcani hominem, qui Læuæ fuerat olim à ſacris confeſsionibus, ut per eum oblata ingenti pecunia ſolicitaret eum ad Papiam dedendam. Huic ob uitæ morumque ſanctimoniam, & opinionem quam olim de eo conceperat, illum pepercisſe, cùm prius laqueum interminatus eſſet: admonuiſſeque operam potius dependeret ſacris uoluendis, quàm acuendis hominibus ad uiolandam fidem: id ipſi etiam Cæſariani & Læuæ familiares falſum fatentur. In caſtris regijs iactatum, obſeſſos ad eam caritatem rerum penuriamque ueniſſe, ut conſumptis equinis aſininiſque carnibus, uix hæ reperirentur, cùm gallina nummo aureo Gallico ueniret. Cùm tamen conſtet conuiuia eos profuſiſsimè iniſſe, quaſi in ſumma omnium rerum copia. Curſitabant è Papia in caſtra Gallica Hiſpanorum exploratores, & ad Daualum & Lanoium, quorum dubia fide Rex utebatur. Daualus certior factus ob ſtipendia non ſoluta periculum eſſe ne tumultuentur Germani, ueteranos duos ſubornat ſpecie mercatorum, qui prætextu uini in caſtra regia deferendi, fixis tabernaculis ubi primum licuit ancipiti prælio occupatis Gallis, Papiam ſe proripuere, triaque nummûm aureorum millia Læuæ reddiderunt, affirmantes paratam quidem reliquam eſſe pecuniam, fieri uerò non poſſe hoc tempore circunſidentibus Gallis itinera omnia, tutò ut in urbem inferri poſsit. Ita illis ad tempus placatis, admonitoque Læua de toto Borbonij Daualique conſilio, qui regia caſtra inuaſuri eſſent, utrique ſe ad belli præmia ubi debellatum eſſet accingebant. Sed & per Hiſpanos qui conſcientia ſceleris patrati, in Gallica caſtra transfugerant, rurſus eis ſolicitatis à Daualo, expiatione omnis ſceleris condonationeque propoſita, pecunia allata Læuæ. Interea per Alphonſum Ferrarienſium regulum curatus ingens apparatus ſulphurei puluris in caſtra perductus eſt: Ioanneſque Medices, oblatis à Rege ſummis ſtipendijs, cum multis cohortibus equitatuque lectiſsimo, relictis Cæſarianis, in caſtra Gallica uenit pridie nonas Decembres. Huius aduentu territi obſeſsi, cùm candida uexilla quindecim haud longè à mœnibus oſtentata fuiſſent: conatique ſunt Medicei pedites admotis ſcalis ſubire muros, uano conatu, cùm Germani irruentes omnes deieciſſent. Cùm Germani quererentur integra ſtipendia non ſoluta, Læua intelligens flaminibus templi quod Maius uocant, pecuniam eſſe reconditam, omnes accepit: argenteoſque baculos,

qui

qui inſtar faſcium & inſignium Ticinenſis gymnaſij præfecto, præeuntibus apparitoribus, circunferri ſolent, in uſus ſuos conuertit. Nonis Ianuarij Rex imperat turrim mœnibus ſitam, machinis quati, tentaturus hac parte irruptionem. Hæc biduo quaſſata uel ita corruit, ut ruina muri aditum difficilem Gallis præberet, uel, ut alij aiunt, ex parte tantum conciſa irruptionem diſtulit. Carolus Borbonius qui ad Ferdinandum Cæſaris fratrem; ad noua auxilia Germanorum paranda peruenerat; etſi pauca pecunia accepta cum accendiſſet ſpe prædæ pollicitationibuſque Germanos, ſex peditum millia, duo equitum contraxit. Venere cum Borbonio Georgius Franiſpergus, quem alij Fronſpergum uocãt, Marcus Pſittacus Empſus, quem & Sithium uocant, & qui equitatui præerat Nicolaus Salmus, Hos Germani ſcriptores magis Borbonij uel amicitia uel pollicitationibus (unus enim omnium optimè comprehendere Germanos, quos olim multis rebus in Gallia detinuerat amicitia, tueri obſequio, cum ijs communicare quod habebat didicerat) pellectos ſcribunt ad iter, quàm Ferdinandi hortationibus. Borbonius cum his Germanorum auxilijs ſexto Calendas Februarias uiſus in agro Laudenſi: is ſe deinde cum Lanoio Daualoque coniungit ad Laudem. Huius Daualique conſilio ad Papiam contendunt: quippe cum dubio prælio ex urbe irrumpentibus Læuianis pugnari poſſet, & foris multæ peditum equitumque copiæ adeſſent, Regem ſeſe intercepturos non deſperabant: quem affirmabat Borbonius nunquam ſe à Papia, niſi aut uictorem, aut uictum, commoturum: ita ei eſſe conſtituta conſilia, etiam acciſis rebus, ut magis pœniteret eum cœpiſſe, quàm liceret deſiſtere: Qui ſtrages tantas iam prælia iactando ciet, quid non aduentu noſtro auſurus? Mox ruiturum in pugnam ſcio ferocem: ita futurum ut Ticino nobilior Gallicis cladibus locus non relinquatur. Rex nunciato Borbonij, Lanoij, Daualique aduentu, ex Rhetis & Sedunis noua accerſiit auxilia: Ludouicumque Palauicinum Manfredi fratrem Guydonem & Franciſcum Rangonios cum aliquot peditum equitumque turmis, oblato ſtipendio ad ſe inuitat. Accidit autem ut Palauicinus annonam, quæ in caſtra hoſtium inferretur, attributis ſibi peditibus mille quingentis, & quadringentis equitibus impediret, nactuſque Cæſarianos interciperet, & iam Sfortiæ qui Cremonę ſubſtiterat terrori eſſet, dum Caſale maius muniſſet: Miſſus eſt ad eum reprimendum à Sfortia Alexander Bentiuolus Bononienſis. Admonuerat Franciſcus Rangonius Palauicinum per literas, ſe intra paucos dies cum delectis equitibus peditibuſque uenturum. At Palauicinus contemptis Sfortianis, ne participem adſciſcere uideretur laudis Rangonium, occurrit mox Bentiuolo: pugnatum eſt utrinque ſumma alacritate. Bentiuolus prætoriam cohortem Sfortiæ, quam ab

eo ac-

eo acceperat (conſtabat ea ueterano milite) cùm immiſiſſet in Palauicianos, perturbauit ordines; mox & diſsipauit. Palauicinus equo excuſſus, cùm ſuos ad pugnam reuocaret, captus eſt: reliqui fuga ſibi conſuluere, multis & captis & cæſis. Eodem tempore Michael Salutianus Genuenſes Sauonenſesqúe obſidebat; Andreaſqúe Doria pro Gallis, & Hugo Moncata pro Cæſarianis claſſe inſtructa aderant. Defertur ad Moncatam Gallicos pedites ad Veragrium ſedere oſcitantes, uino, luxu, epuliſqúe diffluentes. Is claſsi impoſitis peditibus ad eos opprimendos contendit. Pombrianus & Sanctoclemantius è Lemouicenſium nobilitate, cum Simone Tibaldo Romano & Gigantio Corſo, Gallicis Italicisqúe cohortibus præerat: & tametſi ægrè in officio militem continerent, ipſi tamen cum paucis alijs excubabant, uigiliaſqúe agebant. His cùm eſſet nunciatum adeſſe hoſtes cum paucis cohortibus, in eos erumpunt uocatis omnibus ad arma. Moncata qui fucum ſibi factum uideret, & ad ſuos ſe in claſſem recipere uellet, claſſem reflantibus aduerſis uentis ſoluiſſe uidet: ſuos tamen expediens ad pugnam, paululum reſtitit, donec undique ſuis fugientibus capitur. Rex omiſſa Genuæ obſidione, ad ſe euocat mille pedites Italos. Hi Tibaldo & Gigantio ducibus ad iter ſe accinxerant, perueneràntqúe nullo ordine in agrum Alexandrinum. Præerat Alexandriæ Gaſpar Maynus, is certior factus palantes eos uagari, alios ſtertere, cum octingentis peditibus centumqúe equitibus Alexandria egreſſus, in eos impetum facit: facileqúe oppreſsis multis, reliquos in fugam uertit. Multi tamen in Caſtellatium oppidum perfugêre, quos & ille obſeſſos ea conditione recepit, ut armis quiſqúe acceptis ſaluos emitteret. Tibaldus & Gigantius antea Sauonam ad Salutianum redierant. Rex concuſſus Borbonij, Lanoij, Daualiq; aduentu, Tremolium, Franciſcum Borbonium, Leſcunum qui Mediolani erant, ad ſe euocat, cura Mediolani mandata Theodoro Triuultio, quid agat conſulit. Tum Tremolius ſenior, Papiæ oppugnationem tantiſper differendam ait, donec traducto in tutiora loca exercitu, trãs Ticinum nouum belli ineant conſilium, aut ad Binaſcum motis caſtris: uetera illa militarium hominum iactitans; Citius uenire periculum cùm contemnitur, contemníqúe eſſe leuius quàm percuti: eripienda eſſe tela irato Borbonio, non danda: uenire iratum, uenire uitę ſuę prodigum, uenire cum lectiſsimis Germanorum copijs adeſſe Lanoium & Daualum cum Hiſpano pedite ueterano, qui mori ſibi tutum putet, adeò premijs prædáque accenſus ruiturus ſit: qui mortem ſic negligat, metuendum. Honeſtum laudabileqúe eſſe ſeruire tempori, cedere fortunæ ad tempus. Erumpentibus Læuianis ex urbe, urgentibus Cæſarianis alia parte, facilè futurum ut Rex facilius obſideatur, quàm obſederit Papienſes.

Magna

Magna ſpe obſeſſam Papiam, nunc aduentantibus hoſtium uiribus, fortunæ uim temporumqúe rationem in conſilium admitti debere. Adhibendam eam cautionem qua non ſolum glorioſis conſilijs utamur, at pauló etiam ſalubrioribus: fortiſsimos & Reges & Imperatores aduentantibus hoſtibus ſoluiſſe olim obſidionem, ne duplici hoſte oppreſsi ſuos perderent: Ticinenſes & Læuam, qui ſoli robur Gallicum ſuſtinuerint, quanto audaciores factos Cæſaris lectiſsimis copijs aduentantibus: Sic inſtare futura mala, ut tamen uitari poſsint prudentia. Tranſiere in Tremolij ſententiam Palicius, Leſcunus, Franciſcus Borbonius, Suffortius, Sanſeuerinus. At Gounfierius ita caſtra munita aiebat, ut uis hoſtium metui non debeat. Proinde ita quidem agendum, ut niſi potioribus oblatis conditionibus prælio non decernatur, ita dilapſuras hoſtiles copias quibus nulla ſtipendia perſoluantur: ut potiamur commodis, ferenda incommoda. Fraudes ſe Borbonij & Dauali ſemper ueritum, nunc minus eſſe noxias cùm ſint apertæ: miſerum eſſe angi metu mali, quod nondum impendeat: raró periculum ſine periculo uinci: alios Regem uidiſſe uentos, alias proſpexiſſe animo procellas: alijs impendentibus tempeſtatibus non ceſsiſſe, alijs turbinibus ac fluctibus regni nauem ſaluam in portu collocaſſe. In rebus dubijs plurimum ualere animi magnitudinem. In eas plagas iam irretitum Borbonium transfugam & exulem, unde ſe explicare uix poſsit: huius belli conficiendi multo ſe maximam ſpem in erectó Gallorum animo poſuiſſe. Incumbendum eſſe omnibus, ut in alieno ſolo ád bellum laboraſſeq; aſſuefacti, de retinenda priſtina gloria ſoliciti ſint. Itaque æquum eſſe expergefieri & accendi, & ad prælium (ſi res exigat) nunc maximè gerendum, animum adijcere: nec patiendum talem occaſionem diuinitus oblatam elabi, nec committendum ut fraudi ſit cunctatio dandam potius operam, ut illata plurima incommoda nunc uindicentur. Papienſibus ut primæ oppugnationis exitus animos dare, ita dirutos paſsim muros, ſummamqúe rerum omnium penuriam ſolicitos habere. Neque enim facilem refectionem deficiente materia, & multis iam aut belli impetu, aut inedia extinctis, maiore multitudine opus eſſe ad tuendam urbem. In Gounfierij ſententiam tranſiere multi ex nobilitate Gallica, quos ætas immatura feroces, & ad omnes caſus promptiſsimos reddiderat. Rex eam ſententiam quæ ultimo loco dicta eſt approbabat, hortantè maximè Sammarſallo, qui Cæſarianorum uires eleuans, blanda pro ueris ſolitus ingerere, opinione prudentiæ ſibi conciliata fallebat: magniſqúe additis munitionibus & foſsis á tergo, á fronte, & ſiniſtra firmarat caſtra, antea ſepti etiam Papienſis mœnibus ea obtexerat. Borbonius patriæ immemor, cui uná cum Lanoio decretum erat ſupremum imperium, priuſquam

è Laude Cæſariani mouerent in Regem, milites hac ſibi oratione uocatos, excitandos putauit: Tandem aliquando, commilitones, lætor illuxiſſe diem, quo poteſtas uobis daretur, ut quantum animi, quantum roboris, quantum fidei uobis ineſſet, & Cęſari de uobis optimè merito, & ciuibus Papienſibus, Antonio Læuæ, fideliſsimiſquè ſocijs Germanis oſtendendi daretur occaſio. Me quidem ipſum nihil æquè ac pulcherrimæ uictoriæ adipiſcendæ cupido ſolicitabat: ita diurnis nocturniſquè horis agitabam, ſi quà poſſem pulcherrimorum facinorum patrandorum uobis author eſſe: uoto enim meo abundè id ſufficere arbitrabar. Id uerò ſupra uotum, uictores nos uolitare per ora hominum ſeruitute depulſa à fideliſsimis ſocijs, ſuoquè decori priſtinæquè maieſtati reſtituto imperio. Ac mihi quidem quandiu in Gallia olim uel leuiſsimam ſpem uidi ab eo quo opprimebar onere reſpirandi, & ſorbenda multa & concoquenda rebar. Poſteaquam ueterem me ferendo iniuriam inuitare nouam uidi, nectiquè mihi grauiores laqueos, ſtatui mecum inſignem eſſe materiam oblatam inſectandi Regis: miſeros uos ſocios uindicandi: in proferendo Cæſaris imperio omnem ei meam operam ſtudiumquè deferendi. Mutata eſt mihi fides quæ irritata fuerat iniuria: & quando facta uerbis potiora ſunt, ſcitote de ſententia ducum mouenda caſtra, mox hoſtem oppugnandum. Ego ſi ſolus eam ſententiam dicerem, qua regia caſtra inuadenda eſſent, certè ignoſceretis, ueniam ueteribus ſimultatibus quereliſquè præberetis. Nunc ea demum ſumma uoluptas eſt, uel quòd id Papienſibus, Læuæ, Germaniſquè prodeſt quarto iam menſe obſeſsis, ut ira noſtra nihil à commodo publico differat: uel quòd authores habeo Daualum uirum & prudentiſsimum & fortiſsimum, & Lanoium cautiſsimum. Qui ſi propter inſigne odium in me Gallicum, caſtra omni impetu putant oppugnanda, quònam me animo eſſe oportet, quin uindicandæ contumeliæ occaſionem hactenus terra, mari que tot exantlatis laboribus quæſierim? Iamdudum parauimus omnia, quæ pertineant ad hoſtium oppugnationem: conſpirantem Italiam, coniunctam Germaniam, paratas copias, expeditos duces uidetis. Retinenda eſt uobis, commilitones, priſtina animi magnitudo: repetenda uetus illa alacritas, inuadendi ſunt hoſtes: quod diu quidem diſtulimus, ſed erat tunc occaſio numero illis ſuperioribus dura illa quidem, ſed tamen iuſta, nunc quidem nulla: æqualis aut maior numerus. Ad hæc, fatigatis hyberna oppugnatione, eruptionibuſquè crebris Papienſium, ipſi recentes occurrimus: nunc ui occupanda ſunt, quæ ui ab eo extorta ſunt: uenit tempus ſerius omnino quàm Cæſare nobiſquè dignũ ſit, ſed tamen ita maturum, differendi ut nulla expectandiq; ſuperſit ratio. Fuit tempus quo inſultantibus illis minus commodè

obuiam

,, obuiam iremus, id quoquo modo tulimus: nunc ſi quis erit caſus,
,, iure ille nobis adſcribetur. Ego quidem, commilitones, conſilio
,, quantum potero, labore plus pene quàm potero, excubabo, ſedu
,, loque dabo operam, ut quàm minimo uobis negotio confodien-
,, dos, ſpoliandoſque locupletiſsimos hoſtes exhibeam. Ardet ani-
,, mus contundendæ reprimendęque Gallicę audacię. Mihi con
,, ſtat nec meas ferre iniurias, nec deſerere Antonium Læuam fide-
,, liſsimum ſocium, nec Ticinenſes pati ad cruciatum rapi. Res intra
,, paucos dies ad extremum diſcrimen deductas uiſuri ſumus: no-
,, lite committere, ut uos à maiorum priſtinaque animi magnitudi-
,, ne deſciuiſſe quis opinetur. Simul illud ante oculos ueſtros pro
,, ponite, Primum ſuperatis Gallis opulentiſsima pręda, opimiſque
,, uos ſpolijs potituros: deinde Italiam omnem arrectam ad ſpem li
,, bertatis recepturos: tum etiam fideliſsimos ſocios Ticinenſes, Hi-
,, ſpanum Germanumque commilitonem ſubleuaturos. Poſtre-
,, mò id fixum in animis reponite, capto ſuperatoque nobiliſsimò
,, potentiſsimoque Rege, immortale uos decus adſecuturos. Quan
,, do uerò res eò perducta eſt, ut aut ille pœnas luat audaciæ, aut
,, nos perpetuò ſeruiamus, priſtinum animum uirtutemq́ recipite:
,, ut aut recuperemus libertatem, aut mortē captiuitati pręferamus.
,, Hæc ille cum dixiſſet, conclamatum eſt, duceret quò uellet, mili-
tem ſuo officio non defuturum. Ita educti milites, cùm ſimulaſſent ſe Mediolanum pergere, exploraturi an Galli metu urbe cederent nihil eis perterritis, Papiam contendunt. Hanc Borbonij concio-nem unus ex hoſtibus magni nominis excipiens, Præclaram aie-bat, ſi pro patria magnificè ille peroraſſet: quid autem in patriam præclarum? Eſt oppidum quod fanum Angeli uocant, medium fe re inter Laudem & Papiam. Rex qui non dubitaret hoſtes oppi-do omnibus rebus munito inſultaturos, prius eò miſerat Palici-um & Federicum Bozulum, qui explorarent, ſatis'ne ad uim hoſti lem depellendam munitum eſſet. Oppido præerat Pyrrus, Gonzaga, Bozulus: hique renunciarant parata omnia ad uim ar-cendam. Iam Borbonius caſtra fixerat, Daualumque præmiſerat ad machinas commodo loco admouendas. Quibus ille celeriter confectis, primo diluculo admotas machinas in turrim quadra-tam emittit, multiſque horis quaſſatam tandem concuſsit: Anto-nio tamen Capuano, dum incautius cum Daualo ſitum oppidi ex plorat, globo ex urbe emiſſo necato. Foſsis mox aggeſtis uirgul-tis complanatis, irrumpunt in oppidum. Itali qui cum paucis Gal lis in præſidio erant, multos pilis plumbeis ſternunt: in quibus Antonius Capecius Neapolitanus in ipſo iuuentæ flore prære-ptus eſt: ipſe Daualus bis pila ænea decuſſa, ne occumberet pa-rum abfuit, turri tamen potitur. Seceſſerant Itali, qui in præſidio erant in ſecundam munitionem, uariè tamen impetebantur pilis

à Cæſarianis, nec loci iniquitate poterant uim arcere. Itaque cum Pyrro omnes ſe in arcem recipiunt. Daualus multis precibus cùm ægrè impetraſſet à Caſada Centurione Hiſpano, ut per ſpeculas turris in murum deſiliret, cognouit id quod ſibi perſuaſerat, ab hoſte munitiones deſertas. Nanque ille & pileo rubro haſta elato, & puero mox in murum ſublato, indicauit nihil hoſtile ſubeſſe. Daualus celeriter cum Vaſtio Hiſpanoque milite in murum euadit, & porta obſepta aperta, aditum ſuis aperuit. Pyrrus mox cum ſuis deditionem fecit, equi armaque militibus captis adempta. Imperatum ut trans Abduam tranſirent, ne ue ante menſem in Cæſarianos arma ferrent: ſumma præda in arce inuenta hoſtes potiti. Non deſunt qui Pyrri fidem in dubium reuocent, qui affinitate iunctus cum eſſet Daualo, ante tempus oppido relicto in arcem confugerit cum ſuis omnibus. Iam caſtra caſtris collata uidebantur, ac ſæpiſsimè nunc Borbonius, nunc Daualus, nunc Alphonſus Vaſtius, nunc Alphonſus Caruailus occultè Gallicas copias inuadentes, aſsiduis incurſionibus fatigabant, nunc hac, nunc illa parte inclinante uictoria. Quodam die parum abfuit, cum Borbonius & Daualus in pecora Gallica, quæ extra uallum paulò longius proceſſerant, Hiſpanis irruentibus fugatiſque cum robore exercitus auxilium tuliſſent, parte alia Gounfierius, Leſcunus, Antonius Cuſanus, Ioannes Medices cum equitibus Gallicis Italiciſque, adiuncto etiam ex Heluetijs & Aquitanis peditatu adcurriſſent, quin iuſta pugna certaretur. Iam enim Rex accingebat quoque ſuos ad certamen: ſed hoſtes cùm impetum Gallicum non ſuſtinent, receptui canunt: multis tamen deſideratis, in quibus fuit Alphonſus Caruailus. Alio die Daualus ita inuectus eſt in Gallorum munitiones, ut parum abfuerit, quin tormenta clauis configeret: ſed urgentibus Gallis ſeceſsit. Læua quoque urbe erumpens cohortes aliquot Ioannis Medicei diſsipauit, abſente tum Medice, qui intra paucos dies Leuiarios ad eruptionem inuitans, quibuſdam quoque cæſis ultus uidebatur priorem cladem, niſi accepto uulnere pila plumbea iuxta pedis talum, poſt pugnam dum ſtratorum hoſtium cadauera Gallis oſtendit, maximè commouiſſet Gallos. Nanque ille intra paucos dies uulneris acerbitate urgente, coactus eſt Placentiam naue deferendum ſe præbere. Atque hunc non ferentem magnitudinem doloris, ſunt qui putent pede amputato non diu ſuperuixiſſe. Et ſanè habebatur is rei militaris non imperitus, multum in eo audaciæ ad pericula ſubeunda, multum induſtriæ inter ipſa pericula, ni tantas uirtutes ingentia uitia fœdaſſent: quippe & inaudito iureiurando uariè Deum diuoſque laceſſebat, & fœdis puerorum amoribus deditus cùm eſſet, flagrare uitia libidinis apud eum uidebantur. Quin à diuinæ maieſtatis contemptore auditas has uoces ferunt,

runt, Florentinis ſe uelle imperare, ſed tamen inuitis dijs: ſi uellent dij, nolle imperare: quæ uaniſsime diſsipata in uulgus ab ijs quibus ei magnum odium, cum crudeli diſsidio extitiſſet, multi imprimis authores prodidere: conferentes Medicem aut Themiſtocli, aut Iaſoni Theſſalo illi commendato à Xenophonte. Accidit autem poſtea cæſo Alexandro Medice Florentiæ principe, factione Laurentij Medicis, ut Coſmus Medices aliquot poſt annis adnitente maxime Innocentio Ciboo uno è purpuratis pontificijs, & Alexandro Vitellio, dux Florentinus deſignaretur. Erat ille Ioannis Medicei filius, à quo optime conſtitutam rempublicam Florentinam eruditi homines paſsim fatentur. Et quaſi quotidie eſſet deterior poſterior dies, acceſsit aliud Regi incommodum. I. Iacobus Medices Mediolanenſis, qui arci Muſsi præerat prope Larium lacum, Thecano, qui cum ſex peditum Rhetorum millibus apud Regem militabat, pollicitus ſex nummûm aureorum millia per eum efficiebat ut Rheti è Gallico exercitu abducerentur, uelare ille ſpecie aliqua perfidiam uolebat: itaque arce Clauennæ de induſtria poſitis inſidijs à Medice occupata, id effectum eſt, ut Rheti inſolito perculſi metu, quaſi bellum pro aris & focis inſtaret, omnes qui apud Regem militarent proſcriptionem minitantes, domum reuocarent. Rex multis precibus obteſtabatur, ne prælium cum inſtaret deſeretur, maiora ultro deferens ſtipendia, traducturus confecto bello copias ad Medicem debellandum. Et quanquam Tremolius & Gounfierius multa in eam ſententiam cum Thecano egiſſent, ingenium aduerſum uti flecterent, aut ad operam Regi nauandam accederent, à Rege eum plura commoda accepturũ, quàm incõmoda perpeti poſsit ab hoſte reciperet, tamen nunquam flecti potuit. Itaq; factum, ut corruptum auro abire multi ſuſpicarentur: Leſcunuſque contumeliæ impatiens probris omnibus conſcindens Thecanum, ultro eum ad ſingulare certamen prouocaret. Ille uero ſibi conſcius fidem qui perdit nihil admodum poſſe perdere, etſi haberent aculeum eius contumeliæ quem pati uir fortis & probus non poſſet, qui tamen pretio fidem addixiſſet, ne tantulum quidem commotus eſt. Franciſcus Lotharingus ita in eum incenſus eſt, uix ut contineri potuerit quin perfidum hominem mactaret: feruiduſque iuuenta Regem regioſque omnes proceres obteſtabatur, ut Gallicas omnes copias in medios Rhetos induceret, eoſque circunuentos obtrucari iuberet. Erat id conſilium periculi plenum: nam ſi illis reſiſtentibus Cæſariani tumultu audito impetum in Gallos feciſſent, inteſtinus hoſtis non minus damni intuliſſet, quàm externus. Abiereque Rheti abductis etiam Heluetiorum aliquot cohortibus, atque horum diſceſſu Albanij copiæ maxime, ſerò tamen, deſideratæ ſunt, quæ quoad fuere cum Rege perbono loco res erat, ubi ab ho-

ſtibus Rex premi cœptus in perditis & deſperatis haberi cœpta ea obſidio. Borbonius & Daualus tentandum exiſtimabant quidnam Rex propoſiti haberet ad dimicandum: ſæpeq́ue quaſi inſtructa acie Gallos uelitaribus pugnis fatigabant: quæ res quotidie confirmatiorem eorum equitatum faciebat, cùm Galli eo uincere uiderentur. Inſtitutumq́ue id ſeruabat Borbonius, ut, quoniam uereretur ne par eſſet equitatu, ex peditibus Hiſpanis & Italis delectos dorſo equitum impoſitos, ſclopo ferire equites edoceret. His erat effectum, ut equites pauci Cæſarianorum apertioribus etiam locis, multorum equitum Gallicorum impetum, cùm eſſet uſus, ſuſtinere auderent. Quin & partitis diligenter excubijs per uiginti ſingulos dies caſtra Gallica nocte infeſtaret: quæ res affecta uigilijs corpora Gallorum extenuarat, ut iam ſæuitia etiam hyemis & imbrium ſtrigoſiores equi apparerent. Borbonius, Daualus & Lanoius deliberant caſtra regia inuadere. Eſt locus quem Mirabellum uocāt, uel palatij nomine olim inſignitus, uel lauta domo, qua Mediolanenſium principes olim, dum uenationi implicitiſunt, diuertere ſoliti ſunt. Eſt is medio ferè in ſepto: hoc potiti ſi eſſent, neceſſe erat aūt liberari Læuam obſidione, aut Regem in Mediolanum cogi, aut pugnandi copiam, eductis è caſtrorum munitione copijs, facere. Ferunt ſuperiori nocte, qua commiſſum eſt prælium, ueniſſe ad Borbonium exploratorem narrantem quid apud Regem ageretur: dum Rex uentrem exonerat audita quædam afferentem, quaſi minimè Rex eſſet prælium detrectaturus. Adhibitis militibus fabriſque proſtrata eſt muri pars, qua cingebantur regia caſtra, nec quicquam ex audientibus Gallis, uel quòd alia parte eodem tempore infeſtaſſent hoſtes caſtra, uel, ut alij prodidere arietibus malleiſq́ue lana oblitis, quæ Cremonæ Borbonius in eum uſum pararat, uel oſcitantibus uel deceptis uigilibus, admoneretur Læua, eruptionem faciat è Papia cùm impetum duarum ingentium machinarum audierit. Miſſus à Borbonio Daualoq́ue Alphonſus Vaſtius qui Mirabellum occuparet: is multis oppreſsis iam loco potiebatur. Et iam Rex uidens hoſtes ſeptum ingreſſos ad ſe properare, Heluetijs & Germanis eductis, quos hinc machinæ bellicæ, hinc equites æquis frontibus æquabant, ſuos ad pugnam hortabantur, & Heluetios quidem Germanorum copijs opponebat: Hiſpanis uerò Germanos quos Nigros uocabant Galli: Italorum autem multas cohortes aptis locis collocat ad eruptiones Antonij Læuæ compeſcendas: Buſsium uerò Amboſianum caſtris cum Gallico pedite relinquit tuendis. Aliquot hoſtium cohortes, cùm longius ſeptum ingreſſæ à ſuis diſiunctę eſſent, miſſo Philippo Chabotio Briono, & Federico Gōzaga Bozulo qui eas machinis deducēdis implicitas nacti erant, miſerè diſcerptę ſunt: neq; in uicinū nemus elapſę iram

uictorum

uictorum uitauere, quin Gallis ſequentibus protereretur. Cæſariani equites leuis armaturæ in Gallicos, qui ſubſidio erant Germanis inuecti, repellebantur: & in uallem proximam cogebantur. Nam Ienolacus Galeatius tormentorum magiſter, raptatis aptiſsimè tormentis, quà neceſſe erat, uariè afficiebat hoſtes. Palicius quoque Chabaneus, cum primo agmine cum Borbonij Lanoijq́ equitatu congreſſus, iam cedentibus illis ſuperior uidebatur. Rex, qui inſtandum perterritis putabat, à dextro cornu robore equitatus ita ferebatur in hoſtes, nihil ut propius fuerit, quàm ut uerè illi fugientes uictoriam ei relinquerent. At Borbonius miſit ad Daualum Carolum Mottam, qui doceret deplorata omnia, niſi mox pedites ſuccinctos globis plumbeis, ut conuenerat, mittat: miſsis ab eo octingentis in dorſa equitum collocatis, uerſa eſt belli alea. Namque hi à tergo, à latere, globis aſsiduè emiſsis ſtragem ingentem equitum equorumq́ edidere, & eam quidem, ut hoc maximè nomine uictoria illi potiti ſint. Fortiſsimus quiſque paſsim ſternebatur: conglobati Gallici equites acrius urgebantur pilis: expanſi & diſſoluti & petebantur, & inutiles erant ad uim arcendam. Tremolius, Leſcunus & Sanſeuerinus, dum conferti coactis ſuis inuehuntur in eos, in gyrum eis ſenſimq́ dilabentibus, nihil impediuere quin maior ſtrages ederetur, cùm hoſtes, emiſsis ſemel leuibus machinis, & rurſus adimpletis, diſplodendi finem nullum facerent: cùm interim Gallicæ machinæ inutiles eſſent, nec emitti in hoſtes, niſi prius in Gallos emitterentur, poſſent: qua parte inſigniter peccatum eſt. Rex hortando ſuos, periculaq́ intrepidè obeundo, languentem pugnam multis locis reſtituebat, cõcitatoq́ equo in confertos hoſtes, multis cęſis, fortitudine aduerſas res uincere uidebatur. Ille Ferdinandum Caſtriotam Theſſalorum Regum ſanguine ortum, ille alios pleroſq́ manu ſua confodit: & tametſi ex immenſo campo, in exiguum ſanè gyrum compulſos uidebat Gallicos equites, internecione multos liberauit, ſe ſubinde interponens ferociſsimis hoſtibus. Erat ei in animo rectà ſe inferre in confertiſsimos hoſtes. Et, quanuis undique ſe ſuoſq́ profligante fortuna, omnibus uiribus connixus ſubſtitit in acie, ſtrenui equitis intrepidiq́ munia omnia ſumma alacritate, inuictoq́ animo obiens: equoq́ cæſo iterum, cùm eſſet ſublatus in alium, acrius in hoſtes ferebatur: eo quoq́ ſuffoſſo, pedeſtre certamen intrepidè inijt. Parte alia Daualus cum Germanis in Gallicos, Germanos, Nigros inuehitur. Is cùm eſſet leuiter uulneratus, monuit Fronſpergum & Marcum Pſittacum Germanorum duces, ut expanſa acie circuirent hoſtes acriter reſiſtentes: quo factum eſt, ut circundati ad unum trucidarentur. Ibi fortiſsimè dimicantes periere Suffortius Britannus notiſsimæ uirtutis, Franciſcus Lotharingus, Longamantius Vindelicus Au

guſtanus, multiq; è Germania proceres, multis tamen ex hoſtibus & cæſis & uulneratis. Alio loco Alphonſus Vaſtius Dauali iuſſu, à dextro cornu in Annam Mommorantium fertur: ñq; ambo pugnantes uiſi, cùm & Hiſpani ingentem ſtragem ederent Gallicorum equitum: quò factum uulnerato equo ut excidens, Mommorantius ab Hiſpano pedite caperetur. Iam Hiſpani cum Daualo in omnes partes ſe circumagente, & Vaſtio in Heluetios impetum faciebant. Marchianus quem ab oppido Cedano ſito, in Belgica Galliæ Cedanum uocabant, ægrè tametſi in prima acie pedes uerſaretur impetrauit, ut primum hoſtium impetum ferrent. Tum demum Deſpacho ſummæ apud eos nobilitatis procere cæſo, in fugam uerſi: qui ſi uires ipſi ſuas metiri uoluiſſent, æquales ſanè erant hoſti. Altera eorum acies multis cæſis fortiter impetum hoſtium ſuſtinebat: at intellecta Gallicorum equitum conſternatione, mox quoque in fugam uerſa eſt. Narrant Germani ſcriptores, & Heluetij, dum præceps Rex ruit in initio in pugnam, & Nigris nudatis equitum præſidio & machinarum uſu, ſimul inſtar procellæ emiſſis ab hoſte globis, neceſſe fuiſſe hoſti cedere. Leſcunus quidem à Rege miſſus, fugam eorum ſiſtere nunquam potuit. Non conſtant ſibi ſcriptores, neque Gallici, neque Italici, neque Hiſpanici, neque Germanici in huius pugnæ narratione: ut qui dixit, tot pugnæ narrari formas, quot ſunt authores, uerè dixiſſe uideatur. Partim uolunt, cùm ad uoces tumultuoſorum nunciorum ad arma conclamatum eſſet, ut hoſtis occurrebat, ſine imperio, ſine ſigno, incompoſitos inordinatosq;, qui Gallis aderant, in prælium ruiſſe. Partim aiunt, in ſeptum progreſſos hoſtes, Gallos adcurrentes pulſos: his ſubſidio ueniſſe, Heluetios cum equitatu Gallico à latere, à quibus pulſi ſint Hiſpani: inuectos deinde Franſpergum cum Germanis in cuneatam frontem, porrigentes aciem Heluetios poſt longam dimicationem concidiſſe. Partim uolunt Gounſierium, nondum omnino acciſis rebus, ita perterritum uiſum, quem intrepidum ſemper agnouerant, ut mentem ei à dijs ademptam, quiuis diceret. Ille captus animi, non manu, non lingua pollere, neq; aliorum monita exaudire, neque ſua expedire, huc illuc circumagi. Denique, cùm haud dubia fortuna hoſtium eſſet, ne ſuperſtes tantis copijs, quæ ſuo conſilio prælium inijſſent, eſſet, concitato equo in confertos hoſtes ſe immiſit, pugnansq; occubuit: exiſtimans, captum ſe Borbonio eripi non poſſe, cuius in ſe implacabile odium multis rebus accenderat. Regem iam ſtipatoribus ſuis cæſis, uix tamen aiunt Leſcuni, multorumq; hortatu in proximum pontem ſe recepiſſe, ibiq; obrutum hoſtium ſubſequente multitudine, qui armis inſignem uiderant, rogantibus multis dederet ſe Borbonio, etſi undiq; enſes pugionesq; admouerentur, tacuiſſe.

Deinde

Deinde adcurrente Pomperano, agnitum, quē mox Lanoium proximum euocarit, cui ille deditionem fecerit: alijs arma, alijs calcaria, alijs annulos diripientibus, dum omnes capti Regis decus penes ſe eſſe uolunt; diſcerptisq; ornamentis militaribus, uitæ adiit, irruente in eum turba, non leuius periculum. Tum demum multi capti; fuga apertè facta, multi fugientes gurgitibus abſumpti Ticini, quorum pauci in terram enauerint, fluitantia corpora undæ per multos dies fœdiſsimè uiſa. Cæſariani ſcripſere Regis feruore, qui abducto ſecum robore equitum inuectos eſſet in eos, & machinarum bellicarum uſum ſuis ademiſſet, partam uictoriam. Galeatius Capella, narrat Ioannem Alenconium ſororium Regis, cui poſtrema equitum acies attributa fuerat, ſtatim conſerta manu cum tota acie, prælio ſe ſubtraxiſſe. Adrianus Barlandus, illum ſuorum ſtragem uidentem, quadringentis cum equitibus Galliam, quàm maximè citato curſu contendiſſe: uniq; huic, qui ſuo equitatu integro Heluetios tueri potuit, Heluetij ipſi fugæ ſuę cauſam cùm deſerti ab eo eſſent, adſcribunt. Vnus demum è uulgaribus Gallicis ſcriptoribus narrat, Alenconium in pugna captum, mox à Tiercelino legato alæ ſuæ ereptum hoſti, cuius ſe conſilio receperit Mediolanum, comitante Aureliano & Forgeo: ipſum Tiercelinum, qui hoſti Alenconium eripuiſſet, captum fuiſſe. Ludouicus Tremolius facie uulnus excepit, haud longè ab oculo, equo uulnerato; cùm obuius fuiſſet Ludouico Bonnio Cluſeo, Iacobo Broſsio, domeſticis ſuis, Iacobo Borgeto, qui ſub eo olim militârat. Tum Broſsius, qui apud eum puer educatus fuerat, equo ſuo integro illum intulit: Broſsius pedes ad Heluetios ſe recepit. Tremolius iterum ſe Regi adiungit, acriter dimicans glande plumbea ictus corruit. Cæſi quoq; ſunt ex eius ala nobiliſſimi equites, in quibus Ioannes Iancurtius Villarnous alæ eius ſignifer, Iacobus Salezardus, Ioannes Ioſſerandus, Layreus, Marconus Britanus, Arraſius, Ioannes Poixus, Villemorus, Carolus Cazeratus, Adamus Rauenellus, Riuerius, Ludouicus Poixus, Forgeus: uulneratus grauiſsimè Claudius Crauantius. Bonnius autem, cuius ſuprà memini, & Georgius Chargius, & Ronceus iunior capti, liberatiq; à Borbonio corpus heri in Galliam aduexere. Sunt uerò hi, quorum meminimus maiore parte è Pictonica nobilitate. Thomas Fuxeus Leſcunus Lautreci frater, eo prælio memorabilis fuit: ſæpius audaciſsimè quà parte premi Regem uidebat, concurrit, eo iubente nunc hos nunc illos capeſſentes fugam, priſtini decoris admonebat: coxaq; cùm eſſet globo ictus, uulnus præ calore non ſentiens, nulla non ſtrenui equitis munia obibat. Captus cum Rege, & Borbonij ſedulitate Daualiq; humanitate omnibus adhibitis rebus, quibus uulnus curari poſſet, cùm tardius plaga curata eſſet, intra decimum diem deſideratus eſt.

eſt. Rex primis literis quas captiuus ad matrem ſcripſit, iubebat, erogata quantum hoſtes peterent pecunia regia, mox ille liberaretur. Cæſi quoque Palicius Chabaneus Tribunus militaris, Galeatius Sanſeuerinus, Buſsius Chaumontius, Buſsius Amboſianus, Franciſcus Duratius, Caianus, Marrafinuus Tonorreus, Moretta, Franciſcus Beumontius Xantonienſis, Iuſtus Turnonius, Hector Borbonius, cui Lauedano cognomen, Deybaldus, Petrus Rohannus, Daſmontus, Andoinus, Catargus, Merlinus Sanctogelaſianus cùm equo admiſſo exiſſet, nuſquam poſtea à ſuis uiſus: Galiotus Ienolacus, captus ab uno ex hoſtibus magni nominis, quem ipſe olim ceperat bello Neapolitano: liberâratq; quaſi in tempore perſoluente eo mercedem & pretium beneficij, liberatus eſt, & in pacata loca perductus. Renatus Sabaudianus poſt octauum diem captus, ex uulnere moritur. Paris legatus alæ Brioni cæſus, & plures alij illuſtres. Capti Henricus Nauarrorum Rex, Franciſcus Borbonius ſani Paulini Comes, Ioannes Montferratus, Claudius Boyſius, Boneuallius, Philippus Brionus, Anna Mommorantius, Antonius Rupifocaldus, Barbeſius, Franciſcus Sammarſallus, Ludouicus Cliuenſis, Carolus Tiercelinus, Marchianus Riuenſis, Lorgius, Monchenus, Monteianus, Lumeus, Boutierius, Cardilacus Mompezatij cognomine notior, Galeatius Vicecomes: innumerique alij nobilitate & rerum geſtarum magnitudine inſignes. Borbonius uariè eluſit Sanmarſallum, quaſi architectum totius in ſe conſpirationis. Caſtra direpta: ubi inuenta ea omnia quæ delicati homines deſiderare ſolent. Nec deſunt qui narrent admonitum Regem per Gounſierium nihil eſſe ſalui, ſibi ipſi conſuleret: ſed ſpe renouandi prælij id non exauditum. Alenconium & Carolum Claromontanum cum multis Mediolanum properaſſe: deinde unà cùm Theodoro Triuultio & Chandio, diſsimulato caſu pugnæ aduerſæ, ſeſe in Galliam proripuiſſe. Satis conſtat Palicio, Tremolio, Leſcuno, Suffortio, Sanſeuerino funus apparatiſsimum à Borbonio factum, cui & ipſe atratus interfuerit. Rex Piſleonum in cuſtodiam ductus eſt: cuſtodia eius attributa Ferdinando Alarconi. Borbonius cùm eum ſalutaſſet, humaniter exceptus eſt. Scio tamen iactitatum, ad Regem ut ueniſſet, collachrymanti ſimilem Regem dixiſſe: Egregiam uerò laudem Borboni, egregia uerò ſpolia refers, tuis oppreſsis, uictis, diſsipatis. Illum hæc reſpondiſſe, Ego quidem, here, ſi nemo me coëgiſſet, ad ea molienda, libenter ſuperſediſſem. Deinde illos ſemifultos proximæ feneſtræ, multis uerbis ultrò citroq; habitis, dimidium horæ conſumpſiſſe. Pomperanus quidem Borbonij comes & dux itineris, ita officioſus tota hac captiuitate in Regem fuit, in Galliam ut mox condonatione impetrata aditus

illi pa-

illi patuerit, poſteáque alæ equitum præpoſitus ſit. Rex Piſleonum ingreſſus, uiſus eſt quiddam efflagitare à Borbonio & Lanoio: recipientibusque illis futurum ut acciperet, alia cum expectarent, petiit; ne pueros Gallicos qui capti erant, Italicus miles attrectaret. Si quos cepiſſet, Hiſpano redderet permutatis captiuis: atque id petiit pudicitiæ eorum conſulens. Id libentiſsimè Borbonius Lanoiusque conceſſere. Mox totis caſtris per tubicines edicto propoſito, pluſquam ſexcenti adoleſcentes, liberali, egregiaque forma Hiſpanis redditi: quorum pudicitiam deploratam, ſi apud Italos manſiſſent, omnes fatebantur. Cœna apparata accubuere cum Rege Borbonius, Lanoius, & Alphonſus Vaſtius, cùm diu fruſtra deprecati eſſent ne accumberent. Lanoius argenteam lancem lauanti Regi ſuſtentabat: Vaſtius hydria argentea aquam infundebat: Borbonius ad manus abluendas mantile obtulit: idem honos, idem cultus, eadem in captum obſeruantia, quæ fuiſſet florentibus rebus, captis magnitudine animi facundiaque hoſtibus. Poſt cœnam uenit ad Regem ſalutandum Ferdinandus Daualus Piſcarianus: cum quo in multam noctem, Rex protraxit ſermones grauiſsimis de rebus, captiuus planè mirabiliter homines mouebat. Nunciata clade Ticinenſi, Gallia maximè conſternata eſt: ipſaque Ludouica Regis mater perterrita. At ſenatores Gallici, qui Lutetiæ, Tholoſæ, Burdigalæ, Rothomagi, Diuione, Gratianopoli, ex ueteri inſtituto iuri dicendo præerant, populum paſsim admonuerunt, ne animum demitteret, ſeſe colligeret potius. Decurionibus urbium negocium dederunt, ut urbes paſsim circuirent, uigilias agerent, mœſtitiæ publicæ ſpeciem demerent, omnibusque excitandis & confirmandis, & intererant ipſi priores, & præerant. Horum exemplum ſecuta Ludouica, conſilium habuit procerum, conſolataque & hortata eſt eos, ne ad tantas calamitates animos ſubmitterent. Lautrecus cum Baionæ curam Grandimontanis delegaſſet, Narbonam, quò fama erat uenturos Cæſarianos, adcurrit. Huic multis uerbis laudato conſilio eius, Ludouica ſcripſit, uideret ageret, ne quid Gallia detrimenti caperet. Si Baionenſium res curaſſet, Narbonà ne ſe commoueret: quid peditum, equitumque ad prouinciæ fines tuendos ſatis eſſet, ſcriberet. Ad hæc literis humaniſsimè ad ci-
» uitates ſcriptis, ſingulos conſolabatur. Abfuiſſe filium Regem tan-
» tum à culpa in bello gerendo, ut etiam prudētiſsimè omnia diſpo-
» ſita habuerit: euentusq; magis cōſilij, quā conſiliū reprehendi poſ-
» ſit: quādo præſtiterit quod debuit, moderatè quod euenit ferēdū:
» futurū mox ut armis aut cōditione poſitis, aut de fatigatione abie-
» ctis, aut hac ipſa uictoria detractis, Gallia omnis reſpiret, & digni-

tate ſua

tate ſua frui, Regi & populi beneuolentia liceret. Rex etſi cum « maxima moleſtia deſideretur, nulla tamen abſente eo futuram re« rum perturbationem, hinc Vindocinenſium Duce Belgicæ Gal« liæ incubante, hinc Lautreco Aquitaniæ proſpiciente: dediſſe ſe « operam, ſuum ut ſtatum omnia tenerent, nec melius ſi ille adeſ« ſent tenerent, nec eſſe ullo in proprio periculo: pollicebatur quo« que futurum filio liberato, ſi quid in eo deſideratum eſſet, « ne poſthac deſideraretur: neque futurum, quod mul« ti grauiter tuliſſent, ut rebus ſemel iudicatis « recuperatores ulli, nec delecti am« plius iudices, ſubmota ſua « cuique iuriſdictio« ne, daren« tur. «

SEPTIMI LIBRI FINIS.

ARNOL-

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Octauus.

IN HANC dimicationem duorum maximorum potentiſsimorumq; Regum, omnes Italiæ principes Venetiqúe animos intenderant, inter quos Clemens Pontifex, eo magis quo propiores Mediolano urbes habebat. Is ubi primum audijt uictum Regem, utrius mallet uictoriam, dubijs adhuc uiribus fluctuatus animo fuerat. Poſtea captiuitate illius nunciata ad fortunam inclinauit, legatosq; ad Borbonium & Lanoium miſit, centum quoq; nummûm aureorum millibus, quos uocant ducatos, ut inde ſtipendia perſoluerentur militibus, miſsis: pactoq; fœdere conuenit, ut Cæſariani è finibus pontificiarum urbium educerentur, conditione adiecta, ſi de fœderis ineundi cum Cæſare legibus illi non conueniret, pecuniæ redderentur. Sperabat autem futurum, ut Regio Lepidi & Ruberia Ferrarienſi exorta Cæſarianorum copijs, potiretur: qua ſpe deiectus, uarijsq; procraſtinationibus à Cæſarianis eluſus, totum ſe ab eorum amicitia auertit, & ad Regem liberandum animum cum reliquis Italiæ regulis ſero adiecit. Nondum clade ad Ticinum accepta, Hiſpani cum ualidis copijs Baionam peruenerunt: & antea propè portam Leonis conſpecti ſunt, quàm reſciret Lautrecus, illum eorum apparatum. Mox tamen ab exploratoribus certior factus, ueniſſe eos ſpe demum furtim ciuitatis intercipiendæ, nullo conſilio urbis diutius oppugnandæ, & ciues, qui uetere inſtituto ad impetus hoſtium excipiendos paratiſsimi ſemper ſunt, & ſacerdotes & ſodales Dominicanos & Franciſcanos, & reliquos omnes qui arma ferre poſſent, recenſens quaſi milites, qua parte maximè hoſtibus terrori eſſe poſſet, circunduxit, ac per tres dies ita fruſtratus eſt, donec Ioannes Grandimontanus & Aſprimontanus Ortenſis, & Caunaus cum expeditis militibus urbem per fanum Spiritus ingreſsi ſunt: hoſtesq; uel ſpe fruſtrati, qui auxilia nulla uẽtura crediderant, uel audacia ciuium oppidanorumq; perterriti, qui quotidie ex urbe erumpebant, ad ſuos ſe obſidione ſoluta receperunt. At claſsis hoſtium pontem, quem media in urbe mare alluit, deijcere parabant. At celeriter & ob maris anguſtias & ſolertia oppidanorum in fugam uerſa eſt, uno etiam faſclo tormento ex urbe emiſſo, eliſo. Compoſitis Baionẽſium rebus Lautrecus Narbonam peruenit, inibatq; rationem unde pararet copias, quæ tanto bello ſufficerent, ſi res interea minimè componerentur. Lanoius cum Rege agit captiuo (multa enim iam inſcio Borbonio & Daualo moliebatur) ut fide publica data ex Gallia in Hiſpa-

niam ultrò citroq; pegaſarijs curſoribus iter pateat, & Philippum Chalonium Aurengiorum principem, & Hugonem Moncadam captos antea à Gallis libertatem reſtituat: pro quibus & Petrus Nauarrus, & quidam alij redderentur. Anna quidem Mommorantius liberatus, nihil non tentabat ſummis uigilijs, induſtriaq; ad Regem liberandum: patuitq; ad Cæſarem per Galliam aditus, quando reciperet Lanoius futurum, uti facillimè induceretur, Cæſar remiſſo Mediolanenſi principatu, iureq; regni Neapolitani, ad liberandum Regem. Rex ſcriptis ad matrem literis id petijt: miſſusq; eſt in Galliam Peluſius Gallus unus ex his qui Borbonium ſecuti fuerant. Is cùm Ludouica collocutus, facilè Hugonis Moncadæ libertatem impetrauit, Chalonio in aliud tempus dilato. Ac celeriter ad Cæſarem tranſiturus; cùm Narbonam perueniſſet, ueritus ne ſi abiret Lautreco inſalutato ex itinere retraheretur, cum petaſatis comitibus petaſatus ipſe, quaſi mox equos admiſſurus, Lautrecum inuiſit. Ille nobilium aliquot cateruis, qui ultro nomina dederant, armatis corpus circumſepſit: urbemque cuſtodia acri firmauit: armorum ſplendore apparatúque collucebant omnia, ille admiſſus in craſtinum diem. Cùm admiſſo multa Lautrecus diſſeruit, de ſua cum Borbonio amicitia: at nihil tanti fuiſſe, quo frangeret fidem; uideri ſibi Borbonium, capto Rege, egregium facinus conſciuiſſe: at ſibi prius quingentisq; alijs potentioribus omnia diuos adempturos, quàm ut concedant Galliæ res diutius periclitari. Scire ſe qui furore iraque deprauati hoſtes patriæ ſemel eſſe cœperint, eos cùm à reipublicæ pernicie repulſi ſint, neque ui coerceri, neque beneficio placari poſſe: ſibi cum talibus ſempiternum bellum ſuſceptum: hoc ſcelere expiando ſeueritate animaduerſionis nimis uehementem neminem eſſe poſſe: ſi ſuo demum arbitrio res agatur, exempla ſe ea editurum, quorum poſteritas meminiſſet. Hæc dicens diducta manu quaſi ſecaturus aliquid eſſet, uiſum illum exanguem & æſtuantem ferunt, tremulaq; uoce reſpondentem. Lautrecus quidem uiſus eſt eo ſplendore militariq; apparatu inſtructus, regia ut illi caſtra regiumq; ſplendorem ſibi uiſum putarent: multumq; remitterent de ſpe Galliæ à Cæſare inuadendæ, qui in uno Lautreco tantum roboris, tantum maieſtatis agnouiſſent. Peluſio ad Cæſarem proficiſcenti, Ludouica literas dedit ad Cæſarem in hanc ſententiam. LVDOVICA CAROLO FILIO CÆSARI S. D. Equidem, ut audita filij captiuitate indolui, ita non leuiter recreata ſum, cùm tui eum iuris factum agnoui: cuius ego humanitatem multis rebus perſpectam, perſpexi. Quò fit, ut coniectura augurer, facilem te ei præbiturum. Id ſi accidit, & reipublicæ Chriſtianæ, & populorum ueſtrorum tranquillitati filij mei calamitas proderit. A' te uerò poſtu

lo, ani-

» lo, animum tandem ad eum liberandum adijcias, petoq; donec
» conueniunt inter uos conditiones, abſentis filij deſiderium cre-
» britate literarum leniri patiare. Ego quidem ea proponam con
» ſilia, quæ ſi ſecutus fueris, magnificentius te uictoria uſum, quàm
» uiciſſe omnes exiſtimaturi ſunt. Interea & neceſsitudinis ueſtræ
» iura proxima, & tua humanitas, & illius dignitas, liberali ut cu-
» ſtodia aſſeruetur exigere uidentur. Id ſi feceris, erit mihi uehe-
» mentiſsimè gratum. Vale. Cæſar audita tanta uictoria, ſuppli
cationibus paſsim decretis uetuit ignes accendi, cæteraq; uicto-
riæ encomia & triumphi prænuncia adhiberi: palamq; populo
ad ſacram concionem uocato edici iuſsit, uictoriam uni Deo O-
ptimo Maximo referendam: nihil nec ſibi nec ſuis eo nomine blan
diendum: literisq; Ludouicæ lectis, flecti cœpit, memor caſuum
» humanorum. Scripſit uero & ad Ludouicam has literas. CA-
» ROLVS CÆSAR LVDOVICÆ MATRI S. D.
» Ego quàm pacis antea cupidus fuerim, & tu ipſa ſcis, & filium tu-
» um teſtem adhibere potes. Repudiaſtis uero pacis omnes con-
» ditiones etiam æquiſsimas. At præteritorum, quæ magis repre-
» hendi quàm corrigi poſſunt, oblitus, non faciam ut inſultem ad-
» uerſis rebus ueſtris. Scito idem pacis ſtudium, eandem ſemper
» retinere uoluntatem, hærere in eadem commorariq; ſententia:
» eoq; mitto ad te filiumq; tuum Regem, qui uos nomine meo ad
» quas ego pacis uenturus ſim conditiones edocebit, Rurſum. Ac
» uos quidem tandem aliquando remittere aliquid ex priſtina cla-
» tione æquius fuerit. Neque planè uelim eadem uti auſteritate,
» non ſolùm in filium tuum, at ne in procerem ullum tenuiorem ex
» ueſtra nobilitate, qua uos uſi eſtis in Philippum Aurengiorum
» pricipem conſanguineum noſtrum: quem obſecro, uel aliorum
» captiuorum permutatione, uel ſoluto redemptionis pretio, cura
» bis mihi liberandum. Id ſi feceris, quæ te uelle, queq; pertinere
» æqua arbitrabor ad diſcordias haſce pacandas, diligentius ſtu-
» dioſiusq; curabo. Vale. Lanoius interea ſimulans ſe Regem
abducturum Neapolim cum Borbonio & Daualo, Regi curam
inijciebat: & quaſi illi in Galliam arma mouere uellent, pacisque
turbare conſilia, conſuluit ei, claſſe ut ſua in Hiſpaniã ad Cæſarem
perduci ſe pateretur, obliteratis ſimultatibus, futurum maiore ut
comitate liberaretur & exciperetur, quàm olim Alphonſus Ara-
gonius à Philippo Mediolanenſium Duce exceptus, liberatusq;
eſſet. Non ignoro iactatum, dum in ſenatu Lutetiæ agitur de Re
ge liberando, quoſdam ita ſententiam dixiſſe, quaſi leuibus tan-
tum conditionibus liberandus eſſet: quod falſum eſt. Tantùm
conſtat, dum uerborum contentionibus impliciti quidam, ob fœ
dus Britannicum in eundum cum Henrico Britannię Rege, qui ſe-
ſe Franciæ Regem dicere ſolitus eſt, hisq; fœderibus dicebat, multi

id fœdus auerſarentur, parum abfuiſſe, quin ſaluberrimæ cum eo pacis conſilia abrumperentur: unde malè in eos Regem animatum fuiſſe, ut in patronum magni nominis. Quæ cauſa fuit, ut & quidam diutius poſtea arce Lupare aſſeruarentur. Conſtatq́ eodem tempore diem dictam Antonio Pratiano iuriſpræfecto, cui præſens ipſe adeſſe iubebatur ob cœnobij cuiuſdam poſſeſsionem immiſsis militibus occupatam. Is cum Ludouica Lugduni moderabatur conſilia liberandi Regis, unà cum Ioanne Rupibelcurtio, qui ualdè Ludouicam obſeruabat: ob quæ poſtea reuerſo Rege edicto caueri impetrauit, ne ulla decuria ſenatuum Gallicorum in iuriſpræfectos quæſtionem decernere poſſet. Idem è ſenatibus præfecturarum eccleſiaſticarum iura controuerſia cognitione aulico conſilio demandata attribui uoluit: eóque tempore cùm aulicum conſilium decretum aliquot patrum Pariſienſium infirmaſſet, inter priuatos quoſdam ob uindicias ſacerdotij ſecundum poſſeſſorem datas, oblato libello ab eo, qui cauſa ceciderat contrario, inductoq́ iudicio aulico, à patribus Pariſienſibus id ſublatum eſt. Ludouica lectis Cæſaris literis, poſt aliquod tempus recepto Petro Nauarro Lautreci admonitione, liberauit Aurengium, qui conſilium fugæ iampridem deprehenſus inierat, eoque acriori cuſtodia aſſeruabatur. At Clemens Pontifex, & Veneti ueriti ne Cæſar occupato Mediolano, quod eſſet reliquum Italiæ inuaderet, cum Ludouica Henricoq́ Britanniæ Rege agere, cœpere de Rege liberando, Cæſareq́ Italia pellendo. Henricus his bellis ea fuit ſimulatione, ut inferiori innixus bellum aleret: ita qui uires Cæſaris augeri nollet, fœdus percutit cum Ludouica multis magniſq́ rebus, quod à ſenatibus Gallicis comprobari uoluit ſibi conſulens. His fœderibus paciſcendis præfuere adhibiti à Ludouica, Ioannes Brino præſes Rothomagenſis, & Ioannes Ioachimus Paſſanus, ab Henrico Gulielmus Cantuarienſis Pontifex, Thomas dux Norforcius, & Thomas Morus, et quidam alij: cautumq́, ut quæ deprædati eſſent Galli ſuperiore bello, reſtituerentur, & ob Tornacum, aliáſue pactiones contractum æs alienum diſſolueretur, ágereturq́ de bello Turcis & Lutheranis inferendo. Serius omnino quàm utilitas Galliæ poſtularet, aliquando tamen Cæſaris uires Galli antea ſæpe contemptas uereri cœperunt. Ludouica, etſi tantum eſſe conſenſum omnium uidebat, ut ad authoritatem dignitatemq́ regiam defendendam cõſpiraſſe omnes uiderentur, externis tamen auxilijs freta, multum captiuo filio ad liberationem à Cæſare impetrandam conferebat. Rutius à Cæſare ad Regem miſſus, duriores conditiones retulerat: ſimul admonuerat Carolum Lanoium, ſimularet ſibi iuſſum à Cæſare Regem Neapolim abduceret, ita futurum ut longinqua captiuitate depulſa, ad quaſuis pacis eſſet uenturus conditiones. Is cùm uideret

uideret iniquius id Regem ferre, & Pontificis, Venetorum, aliorumq́ fœderatorum coniurationes uereretur; ei perſuadere cœpit, ſi in Hiſpaniam ad Cæſarem pergeret, futurũ uti æquioribus cõditionibus liberatus, in regnum mox rediret: Lanoius id quoque recipiebat. Id eius conſilium maluit Rex ſequi, quàm periculoſa aliorum conſilia tentare. Genuam tamen profectus, cùm undique occurriſſet multitudo, petulantiq́ aliquorum riſu irritatus eſſet, pœnitere eum cœpit conſilij; minusq́ æquus ſemper poſtea Genuenſibus fuiſſe uiſus eſt. Scriptores Gallici aiunt, ita pacto conuentum inter Regem & Lanoium, niſi eum æquis conditionibus Cæſar liberaret, ut eum in Italiam reduceret. Cæſariani uaniſsimè ea confingi, quæſitumq́ colorem frangendæ & uiolandæ fidei. Borbonius etiam poſtea in Hiſpaniam claſſe uectus, ad Cæſarem peruenit. Cui Cæſar multis paſſuum millibus extra urbem Toletanam obuiam ijt, cum toto comitatu aulico: ingentiq́ pecunia donauit, quæ mox ut erat ille profuſus, paſſimq́ omnes domo excipiens, menſæque adhibens (quod rariſſimum eſt apud Hiſpanos) conſumpta eſt. Vnde poſtea & ab Henrico Nanſoo mutuò decem aureorum nummûm millia, & à Laurentio Gonomodio uendita Calmontij Montealtiqúe ditione uiginti nummûm aureorum millia accipiens, omnia mox conſumpſit. Henricus Nauarrorum Rex, cui inuito regnum iampridem Cæſar ſeruabat, etſi pactus erat de redemptionis pretio cum Daualo quod mox adfuturum erat, iuſſu Cæſaris diligentius in Papienſi arce aſſeruabatur. Id Franciſcus Rupifortius cubicularius eius intuens, qui ultrò citroq́ in urbem curſitare ſolitus erat, acri homo ingenio & ſolerti, paulatim duos è cuſtodibus præcipuos in eam adduxit ſententiam, uti conſilium eius liberandi caperent. Solicitatos urget cuſtodes: deligitur nox proxima rei parandæ. Interea funes comparantur oblongi: hi nocte intempeſta mox ſanè quàm ſolerter aptantur à cuſtodibus, ut his innixus foſſas arcis tranſiliret. Ille admonitus ubi tranſiliendum fuit, animo cõſternatus uel periculo ne in foſſas decideret, uel acriori cuſtodia, ſi minus res ex animi ſententia ſuccederet, parum abfuit quin improbato ſuorum conſilio in cubiculum rediens, prudens conſilium eluderet. At cubicularius, ut erat naturâ ferox, & qui heri audaciam noſſet, quaſi tamen ignauia ei exprobrata, reſipiſcendi nullum locum rebus iam paratis ait. Quis enim non damnet ignauiam tuam here? Vin' liberari? Vin' redire in Galliam? Vin' diſtractionem bonorum fugere, quæ iam agitatur ob redemptionis tibi pretium afferendum? Et uelle quidem te uideo. Addo etiam uelle te Cæſaris iram uitare, qui redemptione perſoluta regni ęmulum, quod iampridem occupatum poſsidet, fortè ſublaturus eſt. Ea omnia cùm uelis, tuũ eſſe in experiendo periculum non

uis: haud ſtultè ſapis, ſiquidem id ſapere intelligis, te regnumq́ tuum funditus perire. Aut abeundi periculum tibi hodie ſuſcipiendum, aut ſpes opesq́ omnes regni & uitæ amittendæ: harum conditionum utram malis diſpicito. Parata uides omnia tutiſsimè: ſine metu abeundi facultatem uides. At nos in tua uita laudem quærimus? ubi ſi paululum, modò quid nos præterierit, abeundiq́ conſilium Cæſariani reſcierint, ipſe perieris? Immo uerò nullo abeundi conſilio animaduerſo, ut regni æmulum tollendum te deliberârunt: ut non deliberarint, an putes minus meam rem agi quàm tuam? Hic enim, ſi quid nobis aduerſi (quod dĳ auertãt) euenerit, ego perierim: tibi ſalua omnia. Tibi quidem à Cæſarianis paululum diligentior cuſtodia, & uerba: mihi & compedes & uerbera, ad extremum ceruice, id mihi luendum uideo. Quin age & te & nos metu omni libera. Ea cùm audĳſſet Rex Henricus, iactamq́ iam aleam uideret, redeundi conſilium omiſit. Nec tamen, funes illos ueritus, prius ſibi tranſiliendos putauit, quin prius unà à puero aulico qui ei perpetuus comes fuerat, tentarentur. Miſſo igitur puero, & tranſiliente eo, enſis pueri in foſſas deſiliens, ſtridulumq́ ſonum emittens, maiorem ei incuſsit timorem. At cubicularĳ excitatus ſermonibus nomine compellare cœpit puerum. Is ſtrenuè tranſilierat, exauditusq́ à Regulo, cùm ſe tranſiliĳſſe ſine periculo diceret, tantum enſem decidiſſe: proinde ne quid uereretur, pacata eſſe omnia, eum mouit ad tranſiliendum. Itaque Rex trangreſſus, cubiculario & cuſtodibus ſequentibus ex arce egreditur: ſeruiliq́ ueſte ſumpta, celeriq́ curſu uectus, in Galliam redĳt. Cuſtodes ingentibus uectigalibus annuis donauit. Interea quò res eſſet occultior, nec fugientes Cæſariani aſſequi poſſent, iuſſerat Rex occupationes prætexens, alterum ex pueris ſuis lectulo ſuo decumbere. Is ignarus horum conſiliorum creditus eſt. Ac reliquis cuſtodibus prima luce ueniẽtibus in cubiculum, cùm Regem obdormire de more ſummo iam die uiderent, nihil admirabantur. At ubi ad undecimam iam horam mirantur hominem ſtertere, lectulo puerum extrudunt, doliqúe ignarum nacti, ſerò ſequi abeuntem nequicquam pergunt. Acciderat paulò antea parua quidem res, ſed quæ in extremum penè diſcrimen conditiones liberandi Regis adduceret. Nam Rutio, quem à Cæſare ad Ludouicam miſſum diximus, per Narbonem proficiſcenti, Lautrecus comitem dederat Carbonem Saiſaſum hominem rei militaris peritiſsimum, qui iter eius obſeruaret, ſecretaq́ colloquia inhiberet. Is ubi Monſpeſſulum peruenit, nactus hominem exterum cum Rutio colloquentem de conditionibus Regis liberandi, Galliæq́ ſtatu, maleque in Gallos animatum, edixit ei faceſſeret ex eo loco, alioqui futurum ut uinctum ad Lautrecum perduceret. Ille qui ſe iam deſignatum uideret, grauioraque

uerere

uereretur,proficiſcentes ſequitur,tacitè obſeruans,ſi quo tandem pacto rationem inire poſſet Carbonis intercipiendi,nactuſque occaſionem cùm de uia deflexiſſet Carbo uentrem exoneraturus, concitato calcaribus equo in ipſum infeſtus dirigit,ualidoque ictu transfixum obtruncat.Rutius qui Carbonem miraretur tandiu iter differre,ubi ad eum properans obtruncatum agnouit, obeuntem inſidiatorem ſequutus, accitis uicinis hominibus perſequitur: nactuſque palude deliteſcentem uinctum ad Lautrecum perducit,rem quo erat ordine geſta exponens. Videbat enim ſi aliter accideret,futurum ut ex itinere à Lautreco reuocatus,eum in ſe accenderet. Non uidebatur uerisimile ei,ignarum Rutium ſceleris.Reus tortus & adductus ſatis hominem purgabat: tandem Cæſaris Ludouiceque literis acceptis,eum dimiſit,de inſidiatore ſupplicium ſumpſit.Interea Clemens Pontifex cum Venetis, Sfortia,Ludouica,alijſque fœderatis occulta inibat conſilia, quibus ex Italia & Neapoli pelleret Cæſarem.Cùm autem uideret fieri uix poſſe,ut tantæ Cæſaris copiæ delerentur, niſi adiuncto aliquo è Cæſarianis,tentauit in eandem factionem perducere Ferdinandum Daualum,oblato regni Neapolitani titulo. Hieronymus Moronus ſolicitandi Dauali negotium receperat. At is quo ſagacius hoſtium conſilia uireſque exploraret,finxit ſe libenter huic prouinciæ præfuturum: occultè autem literis ad Cæſarem ſcriptis eum certiorem tota de re facit:admonuit tamen, diſſimularet quæ tentarentur. Iam conueniebant fœderati cum Daualo,ut is mox cum parte copiarum quantam poſſet contrahere, ad eos transfugeret,Neapolim inuaderet:eo regno Pontifex ritè Cæſarem rebus iudicatis Pontificique rebellem priuatum declararet. Cùm tranſiturum eum expectarent,petijt ut in quindecim proximos dies res differretur, quibus interea reſponſis peritoum ſcire poſſet,an hæc faciens in maieſtatis crimen incideret. Re autem uera interea totum rei exitum Cæſari patefecit. Iuriſperiti Romani cùm reſpondiſſent poſſe eum iuſſu Pontificis arma in Cæſarem ferre,Cæſarque eodem tempore quid moliretur non ignoraret,uana ſpes fuit fœderatorum. Riſit autem Cæſar Pontificis calliditatem, qui cùm totius eſſet coniurationis architectus, Cæſarem tamen ſcriptis literis admonuerat rebus ſuis ſibi caueret,duceſque ſuos fidelius ſibi deuinciret. Rex in Hiſpaniam profectus ubiq; honorificè iuſſu Cæſaris exceptus fuiſſet,niſi fortunę ſuæ eos honores non conuenire dixiſſet.In Hiſpania quoq; cùm ægros ſanaret,ſtrumis ſcrophuliſque mederetur: quod ei ſingulari ueluti prærogatiua à DEO OPTIMO MAXIMO conceſſum,uetus eſt opinio) cùm in corporis cuſtodes liberalitate incredibili uteretur,paſſim à plebe Hiſpanica laudatus eſt.Inde Margareta Valeſia Regis ſoror cũ Franciſco Turnonio Biturigũ

pontifice, Ioanne Selua Pariſienſi præſide, Philippo Cauotio, Galioto Ienolaco ad pacis conditiones tentandas miſſa eſt. Cæſar qui Rege in Italia agente ad æquas pacis conditiones ſe uenturum oſtenderat, repentè immutatus eſt. Nam Burgundiam omnem ſibi prius reddi poſtulabat, Mercurini iuriſpræfecti conſilio uſus: & Margaretam Regis ſororem Borbonio iungi connubio, reliqua temperari poterant. Selua reſpondit de Burgundia reſtituenda nihil ſibi imperatum: Margareta quiduis potius ſe paſſuram, quàm Borbonium maritum. Sunt qui ſcribant Regem apertè conteſtatum, ſi ad duriores pacis conditiones cogeretur, futurum ut in Galliam reuerſus pacta uiolaret. Irritatus Cæſar qui Regem diceret Hugoni Moncadæ ea omnia pollicitum, exceptis pauculis aliquot conditionibus, miſſos ait oratores ad pacis perturbandas rationes: ſimul illud ſimulans, inita conſilia inter Regem & ſororem, quibus is in Galliam fugeret. Itaque & Regem arctius quàm antea cuſtodiri iuſsit, & longum ei carcerem per ſuos minitatus eſt. Inde Rex in grauiſsimum morbum incidit, uel tædio longæ cuſtodiæ, uel animi conſternatione, cùm liberandi ſui conſilia non procederent. Id ubi reſcijt Cæſar, qui antea Regem non uiderat, pergit ad eum conſolandum: nam & facilè medici morbum auctum ex animi conſternatione, renouata ſpe depelli poſſe aiebant. Et is nihil ſe eius morte uidebat conſecuturum: angebaturque animo tantum bolum ſibi ereptum auſteritate ſua. Itaque ad eum profectus, initio orationis ualetudinem tantum diligenter curaret admonuit: adfuturam mox ei certam liberationẽ: multa ſe remiſſurum æquis ut conditionibus liberari poſſet. Rege conualeſcente in Mantuano conuentu, quod recentiore nomine Madricenſe uocatum eſt, conditiones Regis liberandi acceptæ ſunt, Turnonio, Selua, & Sauotio pro Rege ſpondentibus: pro Cæſare Hugone Moncada & Ioanne Alemanno. Conuenit uti Burgundiæ ducatum Cæſar reciperet: remitteret Rex iura Mediolani, Genuæ, Haſtæ, Tornaci, & Attrebatenſium: abdicaret à ſe ſuprema dominia Flandriæ, Attrebatenſium, aliorumque uicinorum, cederetque prouocationibus. Henricus Nauarræ Rex cederet iuri, quo regnum Nauarrę ſibi maioribuſque ſuis delatum con tendit: ei Rex ulla ne auxilia ferret: Cæſari ad inſulas imperij ſuſcipiendas Rex tredecim naues paratas daret: ad hæc ingentem pecuniam. Donec quæ pacti ſint, impleuerint Franci, obſides manerent Franciſcus & Henricus Regij liberi: aut ſi liberos dare nollet, Vindocinenſis, Ioannes Scotus, Lautrecus, Michael Salutianus, Aubignius, Lauallus Riuenſis, Sauotius, Mommorantius: Eleonoram ſororem Cæſaris Rex uxorem duceret: Borbonio aliiſque qui ad Cæſarem transfugerant bona redderentur. Pluraq; alia diſertè adiecta ſunt, quæ omnia ſancita ſunt Patrũ Gallicorum decretis,

decretis, quæ nos omittimus cùm uideamus paucis poſtea menſibus irrita fuiſſe. His conditionibus Rex liberatus eſt, datis obſidibus duobus liberis: pactus ni pacta impleret, futurum ut ad Cæſarem rediret. Carolus Lanoius cum eo profectus ad Burgundiam recipiendam. Miſerum ſpectaculum: non longè à Fonte Rapido, una naui pater redibat: altera liberi eadem uia in ſeruitutem abducebantur. Rex in Galliam reuerſus ſolito triſtior uiſus eſt. Ad Montem Marſanum diuerſatus, ad priſtinam hilaritatem redire cœpit. Burdigalæ magnificè exceptus, ibi dies aliquot conſumſit: nactuſque cum Ludouica matre Annam Piſſeleuam, quæ poſtea Pontieuria à mariti nomine uocitata eſt, uel Eſtampea ab oppido eiuſdem nominis, ut uidit liberali facie puellam, delectatus eſt eius comitate & ſuauitate. Inde in Angoliſmenſium urbem diuerſatus, Cognacum etiam adijt, ubi multos dies conſumpſit: ex eo enim loco ortus cùm eſſet, ſuadebant medici uti leniret curas captiuitatis diuturnæ. At dum auidius ceruum uenationi deditus ſequitur, ex equo prolapſus, magnum adijt uitæ diſcrimen. Ibi magno principum, procerum, pontificumque coacto concilio, palàm expreſsit cum Cæſare inita fœdera, obſecrans deliberarent, ſuaderentque quid in rem eſſet & ſuam & ſuorum: affirmans nihil ſibi eſſe antiquius, quàm fœderibus ſeruandis operam ſuam omnem deferre, perpetuaque pace cum Cæſare frui. Illi re deliberata, iniquiſsima eſſe aiunt fœdera: neque uerò à capto homine ui, doloque extorta ſeruanda, metu carceris perpetui pollicita irrita eſſe: ut autem maximè ea Rex uelit ſeruare, non ſitum in ſua unius poteſtate: ſolutum cùm non peteret à Pontifice ultro legibus, & iure quidem: neque enim uanis illis pollicitationibus diſtrahi, alienarique potuiſſe Gallici regni uerum patrimonium, ab ipſo ut non partum, ita poſteris ſeruandum: cùm nulla populi uoluntas adfuerit, irrita eſſe omnia. Ac poſt longum tempus uocatis Burgundiæ proceribus, cum inſtaret Lanoius de ea recipienda: longa Rex ab eis oratione petere cœpit, fidem ſuam apud Cæſarem liberarent, libentes ad eum tranſirent. Hi negarunt ſe unquam in Cæſaris uenturos poteſtatem. Quòd ſi pergat Rex ui eos cogere, futurum ut & ipſi uim ui depellentes, ſolutique dominio omni & à Rege & Cæſare, ſeruitutis iugum depellant. Lanoius etſi omnia perbelle inſtructa compoſitaque uidebat: quippe quem præſentem Rex his conſilijs adhibuerat, rogare cœpit Regem, uti arces quas præſidio munitas poſsidebat, redderet. Vt uerò nec hoc impetrauit, quid gereretur ſenſit: precibuſque Regis adductus ad Cæſarem ſcripſit, ſuadens ut pecunia accepta Burgundiam remitteret. Ille reſcripſit nihil eſſe quòd Rex culpam in ſuos uertat, pactis eum ſatis facturum ſi in Hiſpaniam rediret. Neque infecta ad Cæſarem redijt Lanoius. Nec tamen protinus

tinus ad arma uentum eſt: at miſſo à Cæſare ad Regem Nicolao Perenotto Grãuillano utrinque de fœderibus actum eſt. Dum hæc geruntur, non ceſſabat Clemens Pontifex clandeſtinis legationibus Regem ſolicitare, cuius mentem nondum à ſuperiori bello reſediſſe uidebat, ac tandem nouum fœdus initum eſt inter Regem, Clementem Pontificem Maximum, Venetos & Franciſcum Sfortiam. His cautum eſt amicitiam inter eos perpetuò futuram. Si quis his, uni'ue horum hoſtis ſit, hoſtem omnibus futurum. Poſſe Cæſarem participem huius fœderis fieri, ſi prius Regios liberos æquo ſoluto redemptionis pretio reddiderit, Mediolanumquè Sfortiæ, neque Italiam adeat ad inſulas imperij recipiendas, niſi eo comitatu, qui arbitrio relinquetur Pontificis & Venetorum: ſolueritq; Anglorum Regi debitam pecuniam. Parabuntur autem à fœderatis ſumptibus cõmunibus copiæ triginta millium peditum, quingentorum equitum cataphractorum, triumque millium leuis armaturæ, unà cum machinis tormentiſquè bellicis neceſſarijs. Manebit is exercitus donec bellum confectum ſit, debellatiquè qui Italiæ quietem perturbant. Conducentur ad bellum Heluetij: dabiturque opera à Rege qui multum apud eos authoriate poteſt, ut honeſtis conditionibus ad bellum accedant. Admonebitur Cæſar de reſtituendis Regijs liberis: Ni faxit, confecto hoc bello fœderatus quiſque Franco ad bellum Cæſari inferendum auxilia ſuppeditato: omnes uerò decem millium peditum, mille cataphractorum, & quingentorum equitum leuis armaturæ numerum, aut eorum loco pecunias ad eum numerum militum cogendnm. Parato claſſem ad id bellum uiginti octo triremium, nauiumquè onerariarum ad eum uſque numerum qui fœderatis placebit. Permittito Francus Sfortiam iure quo optimo maximo uti frui Mediolanenſi principatu, ſoluta tamen quotannis penſione annua, quæ Pontifici Venetiſquè æqua uidebitur: modò tamen ne ſit minor quinquaginta millium nummûm aureorum. Pro his ſoluendis prædes ſponſoreſquè aſsiduos eo nomine dato, Hos ſi non inuenerit, Pontifex eius nomine ſpondeto: Veneti conſponſores accedunto. Perſoluito Sfortia Maximiliano Sfortiæ fratri annuam penſionem æquam pro dignitate familiæ. Liberato Regem ea penſione quàm ex fœdere pendit Maximiliano. Amicis fœderatorum reſtituunto bona: his liber in patriam reditus eſto: præcipuè quidem Alberto Pio Carporum Comiti. Penſiones quas Gallus Heluetijs perſoluebat, has illis Sfortia perſoluito, adiunctis ſibi eis eo fœdere, quos ſibi Rex adiunxerat ob Mediolani defenſionem. Vxorem Sfortiæ Rex dato Pontificis arbitrio, regio ortam ſanguine. Interea ſi quid acciderit Franciſco Sfortiæ, eadem hæc Rex in Maximilianum conferto. Reddunto fœderati Regi Aſtenſem comitatum, Genuenſium

quoque

quoque ſupremum dominium: relicto tamen Antonio Adurno Duce, ſi is fœderis uelit particeps fieri. Parta Italiæ quiete, ſi moretur Cæſar in reddendis Regijs liberis: fœderati ijſdem copijs Regem iuuanto. Neapolitanum regnum ubi debellatum fuerit, Pontificis eſto: perſoluta tamen æqua quotannis penſione Regi, modo tamen minor ne ſit ſeptuaginta quinque nummûm millium aureorum. Dato Pontifex eo nomine coacto ritè purpuratorum concilio, eorumq́ consenſu ſponſores Regi. Ni faxit, redito Rex ad priſtina iura. Hactenus capita aliquot fœderum adſcripſimus, pleraque autem omiſimus aliò ſpectantia. Actum & antea fuerat inter Cæſarem & Pontificem, dum prius nunciaſſent medici, Sfortiam parum eſſe firma ualetudine, ut abdicaret à ſe Cæſar Ferdinandoqúe fratre Mediolanenſem eum principatum. Etiam fingebat ſe Cæſar acquieſcere poſtulationibus Pontificijs, nominaratqúe uel Carolum Borbonium, uel Georgium Auſtriacum ſpurium Maximiliani Cæſaris. Repudiato Georgio, uterque Borbonium præferebat, ni fidem Cæſaris ſuſpectam habens Clemens ad fœdus Gallicum animum adieciſſet, ita ſubitò bellum exarſit, quod Cæſariani prius audierunt geri quàm parari: quiduis prius futurum rati, quàm ut hunc fœdaratorum conſenſum conſpirantem, atque ita conflatum uiderent. Tanta Italiæ coniuratione territus Cæſar, eò remittit Carolum Borbonium attributis copijs eodem peruenit Georgius Fronſpergus cum multis Germanorum millibus, fruſtra Franciſco Vrbinate iter impediente. Rex quoque Michaelem Antonium Salutianum cum quatuor Aquitanicorum peditum millibus multiſqúe equitibus in Italiam mittit: qui expugnatis aliquot oppidis, cùm uidet latius uagari Cæſarianos, qui Mediolanum præſidio tenebant, imparatos adortus, Mediolanum redire coegit. Quo factum eſt, ut parum abfuerit, quin orta grauiſsima ſeditione res Cæſari infelicisſimè cederent, nullo toto biennio militi ſoluto ſtipendio. At Borbonius uariè mitigans militum animos, corraſisqúe à priuatis & ſacris locis ingenti pecunia, ſeditionem iam gliſcentem compeſcuit. Submiſerat Cæſar Hugonem Moncadam Romæ ad perturbandos Pontificis conatus. Is etſi Cæſari fauentes Columnenſes prius placarat, quippe cùm Veſpaſiano Columna redierat in gratiam, Pompeium tamen Columnam unum è purpuratis pontificijs ad inſidias Pontifici tendendas impellit. Ingreſsi coniurati Romam, direpta pontificia ſuppellectili, secu[redacted]rum ſibiqúe nihil ab his timentem adorti in Vaticanum cogunt: nec prius dimittunt, quàm pactis in quatuor menſes inducijs: recipit etiam quos cis Padum haberet milites reducturum ſe. Præerat Borbonius cum magnis copijs Mediolano: pontificiumqúe & Venetum exercitum adeò contemnebat, ut ultro Placentiam oppugnandam ſibi ſuſcceperit. Cuius

rit. Cuius oppugnationem dum uidet tardiorem, tardeque militibus à Cæſare ſtipendia ſuppeditari, re cum Antonio Læua, Alphonſo Vaſtio, Georgio Fronſpergo, Philippo Chalonio Aurengio deliberata, conſulit unde egeno militi ſuccurri poſsit. Placuit, quoniam rumor increbuerat lectiſsimas duce Lautreco Gallorũ Heluetiorumq́ copias parari, quæ Neapoli Cæſarianos pellerent eò traduci copias. Sed interea dum eò peruenitur, magnoperè uſui futurum ad ſubleuandam rerum inopiam omnium potiri Florentia, urbe plena atque opulenta, & quæ hactenus Cæſarianis iniquior fuerit. Borbonius uſus ſingulari militum ſtudio, Florentiam aduolat. Florentini conſilio Borbonij cognito, iam fœderatorum copias & Salutianum, Federicum Boium, Pomperanũ cum turmis equitum lectiſsimis præſidio ſibi prius uocarant. Ita facilè impetrarunt, eam ut tanti exercitus procellam à ſe depelleret, alioqúe copias transferret: præſertim cùm dubia eſſet futura urbis nobiliſsimæ oppugnatio: Franciſco Vrbinate ſenſim Cæſarianos ſequente. Itaque mutato conſilio, Romam properare, eoq́ omnem belli apparatum conferre decreuit. Nihil minus uerebatur tunc Pontifex ob pactas nuper cum Columnenſibus, Moncada, & Carolo Lanoio inducias. Nec uir aſtutus ſentiebat ſe in eadem eſſe naui poſitum, in qua alij ſæuientibus procellis multos iam dies periclitabantur: ac ſanè quàm libentiſsimè incitatus ueteribus odijs, cupiebat Florentinorum naufragia ex terra intueri. Vbi autem audijt iam inſtare urbi Borbonium, ita perterritus eſt, diris ut tantùm pontificijs fugaturum ſe hoſtes putaret. Romani interim muros armatis complent: frequentes conſidunt ad ſe defendendum: at ut in populo belli imperito, undique res trepidæ, timor inſolitus, malum improuiſum: Heluetijs tamen qui ſtipatores erant Pontifici, reliquiſqúe paucis ſtrenuè dimicantibus, æneiſqúe machinis facilè hoſtes pellentibus. Borbonius qui intueretur ſi protraheretur urbis obſidio, futurum ut neque militem retinere, neque alere poſſet ob commeatus inopiam, pridie Nonas Maias pergit ad urbem oppugnandam. Hiſpani & Germani bis mœnia ſcalis ſcandentes pulſi ſunt: eo die nebula craſsior urbi inſidens pontificijs oberat. Pergit, dolens ſuos pulſos Borbonius, celeriter allatis ſcalis ipſe ſcandere: cum eo certatim aduolat Germanus Hiſpanuſqúe miles. Emiſſo autem ex Ianiculo temerè ex æneo tormento globo, qui in crus ſiniſtrum deuolutus eſt, inde repentè ſublatus eſt. Nec minus tamen ceſſauit oppugnatio Philippo Aurengio uulneratum tantùm dicente: proinde ulciſcerentur uulnus imperatoris ſui. Itaque illi acrius inſtare, auidi prædæ murum aſcendere: nec niſi urbe capta ceſſare. Pontifex in Adriani molem prius ſeceſſerat: capti ciues, direptæ domus, & ſacra loca: uiolatæ mulieres & uirgines, etiam ſacris addictæ. Pontifices

tifices minores purpuratique paſsim in ſeruitutem abducti, qui ſe pecunia redemerant, iterum in captiuitatem ab alijs abducebantur: nihil ſancti, nihil ſacri prorſus intactum; neque modum, neque modeſtiam uictores habuere, fœda facinora in Romanos patrauere. Borbonium adhuc ſpirantem, Romæ expiraſſe creditũ eſt. Is ita ab exercitu toto deploratus eſt, ut Germanus miles tumulo eius titulum hunc adſcripſerit: AVCTO IMPERIO, SVPERATA ITALIA, DEVICTO GALLO, PONTIFICE OBSESSO, ROMA CAPTA, CAROLI BORBONII HOC MARMOR CINERES CONTINET. Delatus eſt iam mortuus in prætorium Auguſtini Guyſi: non defuere qui adornatam hanc expeditionem à Borbonio ſibi perſuaderent uoluntate Pontificis. Clemens quidem audita Borbonij morte, tum demum conſternatus, in Adriani molem ſe recepit. Tandem exacta à Pontifice poſt aliquot dies ingenti pecunia, abactaque undique præda, Neapolim Aurengius cum Cæſarianis profectus eſt. Interea fœdus Rex arctiſsimum cum Henrico Britanno tum Rege prius contractum renouauit: amboque reges fœciales ſuos ad Cæſarem miſere, qui & bellum indicerent, & indignã Pontificis captiuitatem ei exprobarent. Fœcialibus Cæſar reſpondit, indici bellum à captiuo ſuique iuris homine non poſſe: Gallum iure captum belli, ſeruum factum: liberatum datis filijs obſidibus, iureiurando ſacratiſsimo pepigiſſe ni pacta ſeruaret, ſeruare ue per ſuos non poſſet, futurum uti in captiuitatem rediret. Quid interea contra ius gentium, neque religione ſolutus iuriſiurandi, bellum indicit? Si pactorum pœnitet, redeat in meam poteſtatem captiuus: conuentiones irritæ ſint: quicquid habuere Galli ante receptas pactiones recipiant: tum bellum et audaces prouocationes placeant, tum ſponſio & iuſiurandum repudietur. Expoſtulaſtis Pontificem captum, quaſi is me ignorante non captus ſit: captiuumq; adhuc liberari uultis, qui multos iam menſes iuſſu imperioque meo liberatus eſt. Hæc ubi Cæſar dixit, ſeparatim rogato Guyeneo fœciale regio, petijt ab eo ecquid Rex intellexiſſet de Ioanne Caluimontano Burdigalenſium præſide, regioque apud ſe legato, quod illi denunciarat. Caluimontano autem Cæſar multis ante menſibus dixerat, niſi pacta Rex ſeruaret, futurum uti inter profligatæ famę, uileſque homines eum deinceps haberet. Ea ubi Rex reſcijt, per fœcialem Cæſarem ad ſingulare certamen prouocauit. Addunt alij Regis nomine mendacium Cæſari exprobratum, quod genus contumeliæ multo maximum eſt apud proceres: Cæſar ad Regem & ipſe fœcialem ſuum miſit. Hunc excepit Rex in Palatio Lutetiæ, uocatis magno apparatu legatis Pontificis, Venetorum, Florentinorum: nobilitate omni Gallica, Cardinalibus,

A Epiſcopis,

Epiſcopis, iuriſpræfecto Antonio Pratiano aſsidente unà cum Senatu Pariſienſi, theatro etiam in eam rem parato, uti res populo notior eſſet. His ita paratis, admiſſus eſt fœcialis. Admiſſum rogauit Rex, afferret'ne à Cæſare duelli locum. At ille Rege orato ut audiretur, iterum atque iterum ferocìſsimè à Rege rogatus eſt, ecquid afferret locum duelli: nihil opus uerbis, proinde afferret'ne duelli locum? Ille cum ſe id afferre diceret, quod Regi ſatis eſſe deberet: proinde prius ſibi diſerte imperatum à Cæſare eſſe, uti quædam Regi referret, quæ paratus erat referre, non eſt exauditus. Ita conuentus eſt diſſolutus, cum prius Rex de multis Cæſaris in ſe iniurijs expoſtulaſſet, ſpectantibus audientibuſque legatis. Interea Oddo Lautrecus contractis multis equitum peditumque millibus, Haſtã peruenerat: ubi Heluetiorũ ſeptẽ millia expectans, ne quid interea hoſtes molirentur, (certior factus Ludouicum Lodronij Comitem Boſchum perueniſſe, urbem Alexandrinorum ſatis munitam, cum quinqꝫ millibus Germanorum, quos Alexandriam traducturus erat) conſtituit intercipere Lodronium unà cum Germanis: celeriterque properare iuſsis militibus unà cum Heluetiorum cohortibus, quæ recentes peruenerant ad eum, Boſchum cœpit oppugnare: miſſo Ioanne Mompezatio Carbone ſuppræfecto Vaſatium, qui urbem cingens Germanos exitu arcebat. Lautrecus paucos poſt dies cum robore exercitus ſequutus, cum & oppidani Germani acriter urbis defenſioni incumberent, admotis grauibus machinis ſtratiſque muris, ſigno ſuis dato, prædaque conceſſa militibus, eorum uſus opera mox expugnat Boſchum, direptaque urbe prædam militi concedit. Sunt qui Lodronium, dum Boſchum obſidetur, iam Alexandriam perueniſſe ſcribant: uxore apud Boſchum relicta, quæ & ipſa in poteſtatem Lautreci peruenit. At ita humaniter tractata eſt, ut & pudicitia ſalua non ipſius tantum, ſed comitum omnium fuerit: & ſuppellex ei, omnia uaſaque aurea & argentea, quæ diripuerat miles, conquiſita & reddita. Iam prius attributa parte copiarum Carolum Lotharingum Vaudemontium Alexandriam Lautrecus miſerat: in qua Baptiſta Lodronius & Albericus Barbianus cum ualido præſidio erant Germanorum. Barbianus per colliculos Alexandriæ uicinos inuito Vaudemontio ingreſſus fuerat. Celeriter admotis machinis ueriti oppidani Boſchi caſum, ad deditionem cogunt Lodronium & Barbianum: his quidem conditionibus, Germani, ut qui uellent, redirent in Germaniam, Barbianus intra ſextum menſem arma ne in Gallos ferret. Venit interea ad Lautrecum Cæſar Fulgoſus, indicans facilè eſſe Genuam recipere. Si partem copiarum ſibi is attribuat, ita res ſe Genuenſium attriturum, ſequente ut Lautreco ad deditionem cogi facilè poſsint. Viſa res Lautreco non indigna regio nomine.

Itaque

Itaque attributis aliquot cohortibus Fulgoſum emittit: eodemque tempore ab Andrea Doria Genuenſi, quem Rex nauibus ſuis nauticiſque copijs præfecerat, ita ora Ligurum omnis infeſtabatur, ut ad portum Delphini perueniens, naues obſideret Genuenſium. Non longè à Genua promontorium eſt, quod ſaxoſum in mare excurrens, ſiniſtroque latere exundantes undas anguſtis faucibus excipiens, Finum portum efficit, quem ueteres Delphini uidentur nomine decoraſſe. In eum locum Genuenſes in Doriam nauesque Gallicas progreſsi, uſi uentorum auxilio, & obſeſſas naues liberant, & Doriam, capto etiam Philippino Doria nepote Andreæ, uſque Saonam perſequuntur, ferocioreſque facti in Fulgoſum progrediuntur, Gabriele Martinengo duce. Fulgoſus fugam ſimulans, capto prius Martinengo, alio itinere in urbem peruenit; nactuſque uacuam milite commeatuſque inopia laborantem, cum iam Lautrecus proximus eſſet, urbem recepit. Antonius Adurnus cum Cæſarianis in arcem ſe recepit: inuitatuſque à Lautreco honeſtis pactionibus deditione facta arcem reddidit. Ita Liguriam omnem mox Lautrecus recepit. Hinc Lautrecus in ditionem Mediolanenſem peruenit. Cumque Mediolano proximus eſſet, Ludouicumque Barbianum ab Antonio Læua ſciret Papiam miſſum cum præſidio ualido peditum, uel quod nollet Sfortiam Mediolano potiri, cui captum mox reddendum erat, uel quod Papienſium inſolentia commotus eſt, qui ſe Regum domitores prædicabant ob captiuitatem Regis, ſummo uſus Aquitanorum ſtudio Papiam contendit. Quatuor diebus admotis machinis mœnia proſtrata ſunt. Papienſibus & Barbiano non indiligenter urbem tuentibus: quinto die expugnata eſt ciuitas, incenſæ domus, expilata templa, direpta bona, uiolatæ mulieres. Et iam parabant Aquitani ita urbem diruere, nunquam ut refici poſſet: ni Lautrecus poſt aliquot dies edicto uetuiſſet, ne quid in ciues oppidanoſque miles moliretur: utque Venetus miles, qui expugnata urbe aduenerat, paſsimque omnia poſtica libidine polluebat, deinceps ullos ne attrectaret. Barbianus captus eſt: Aquitani pedites præda ditati, plerique inſcio Lautreco in Galliam rediere: quos omnes edicto regio conquiri, ultimoque ſupplicio in eos animaduerti iuſsit Lautrecus, ob deſertam militiam. Fama eſt capta urbe poſt aliquot dies deprehenſas aliquot hoſtiles cohortes, ſubterraneo loco collocatas, fuſaſque ac miſerè conciſas ab Aquitano milite, quem eo quidem bello ferociorem crudelioremque pluſquam res exigeret paſsim fuiſſe aiunt. Quod & ipſi Lautreco non ſatis probabatur: qui ut erat clementiſsimus, ſi quis ad æquas conditiones rediret, ita impatiens contumeliæ, ſi quem nactus erat à quo ſe contemni putaret, ueluti accidit ad Viglebanum. Nam præfecto arcis cum per caduceatorem iuſsiſſet, arce

Regi cederet, iſquè ſuperbiſsimè caduceatorem abegiſſet, remiſſo ad præfectum caduceatore, eò ſe uenturum cum totius exercitus robore denunciauit: ubi machinæ eſſent admotæ, nullum precibus locum futurum. At is ſuperbius abegit caduceatorem, multa in Lautrecum Gallicumquè nomen conuicia effundens. Itaque admotis machinis cùm præfectus deditionem feciſſet, iure militari uſus, cùm exercitum regium luſiſſet, in præfectum animaduerti iuſsit, reliquis omnibus illæſis: & tamen admonentibus rogantibuſquè aliquot Italicis proceribus, animaduerſionem ſuam in eum remiſerat, niſi momento prius temporibus hi quibus imperatum fuerat antè mandatum executi fuiſſent, quod grauiter ipſum Lautrecum tuliſſe fama eſt. Interea cùm Antonius Pratianus Pratiani iuriſpræfecti filius in Galliam uoluntate Lautreci rediens (reditum tamen breuem pollicitus, quippe eum Lautrecus quòd tardius antea ſubminiſtrabantur pecuniæ regiæ ſecum abduxerat, patremquè ideo, cui ærarij cura incumbebat, faciliorem putabat futurum ad pecunias ſuppeditandas) nunciaſſet Regi Papiæ expugnationem, rumorq; tota Gallia diſsipatus eſſet, plebs Lautrecum ad cælum tollere, ueluti macula priori ſublata melius ſperare. Nanque alia egregia belli facinora peperiſſe quidem Gallis laudem: Papiam autem expugnatam, in cuius oppugnatione priori Rex hæſiſſet, reſtituiſſe ueterem omnem Gallicam gloriam, priorisquè captiuitatis famam obliteraturam. Clemens interea Pontifex etſi captiuitate liberatus, uel ſpe ut conuenerat Neapolitani regni recuperandi, uel quò Cæſarianos, à quibus uexatus fuerat, ulciſceretur, ſperans etiam futurum uti Lautrecum in Florentinos malè ſibi pacatos immitteret, non ceſſabat Lautrecum ad Neapolim uocare: atque ita effecit apud Regem, ut is Lautreco imperarit, expeditionem Neapolitanam ſequeretur. Non ſatis id placebat Lautreco: imperia tamen regia ſecutus, accinxit ſe ad expeditionem. Vix tum abierat cum Antonius Læua, qui antea in oppidis coarctatus fuerat, Mediolano cum Cæſarianis egreſſus, Sfortianos Abdiato ſpoliat. Huius rei admonitus Lautrecus à Sfortia, Petrum Nauarrum cum tribus Aquitanicorum peditum millibus ſubſidio Sfortianis miſit: qui mox fuſis fugatiſquè Cæſarianis Abdiatum recepit. Iam Lautrecus longius cum exercitu progreſſus, præmiſerat Petrum Nauarrum ad Aquilam tentandam. Aquilani etſi Cæſarianorum aduentum expectabant, deditionem tamen fecere. Inde Troiam Galli peruenerunt. Ibi Cæſariani Gallos expectabant: Philibertuſquè Chalonius Aurengius ſatius exiſtimabat prælio decerni, antequam res Neapolitanorum tentarentur. Erat uallis inter duas acies non ſanè arduo deſcenſu: eò Aurengius equitatum omnem & leuem armaturam ex urbe emiſit, qui Gallicos equites laceſſerent, in eos

Lautre-

Lautrecus equitatus partem mittit. Diu cùm eſſet pugnatum & multi è Cæſarianis qui longius procurrerant circunuenti, in urbem redierunt. Erant hoſtium copiæ ut numero, ita robore ueteranorum militum non inferiores Gallicis. Hi ueriti ne eo loco impetum Gallorum ſuſtinere poſſent, ut maximè poſsint, periculum eſſe ne Neapoli excludantur, concilio conuocato optimum eſſe ſtatuūt, Troia relicta Neapolim redire. Itaq; Aurengius prima caſtrenſi uigilia è Troia copias ſubduxit, crebris ignibus ſpem prælij faciens: non tamen ita occultè egreſſus eſt, quin ex fremitu abitum eorum Lautrecus ſenſerit. Agitatum eſt apud Lautrecum ſequendi ne eſſent hoſtes, ſequendos plerique ſuadebant, præcipuè Michael Salutianus: perculſas acies ac perterritas facilè diſsipari poſſe. Diſſentiebat Petrus Nauarrus: neque enim incertius exitium properare hoſtes poſſe, quàm ad Neapolim confugientes uaſtam urbem, & quæ diutius tantas copias alere non poſſet. Quid ſi eos ſequi uelint Galli? quid impediat quo minus illis et numero & robore non inferioribus, belli alea feliciter cadat? Emenſos iam tota nocte longa itinera aſſequi quis poſsit? Quæ tandem res cogeret Gallos ſe fortunæ committere aduerſus hoſtem, quem tempus mox deteriorem & locus ipſe redderet, ſine ſtabili munimento degentem? Placuit Nauarri hominis rei militaris peritiſsimi ſententia Lautreco. Itaq; hoſtium ſequendorum conſilium omittens, Troiam recepit. Troiam urbem alij à ueteribus Aeculanum uocatam, alij per caſtra Annibalis ab alijs deſignatam contendunt. Lautreco culpam paſsim omnes adſcribunt qui hoſtes perſecutus non ſit: rei militaris periti homines culpa eum quidem liberant: cùm Melphi retro relicta, periculum urgeret non leuius. Gallicæ copiæ occupatæ fuere circa Melphim quatuor integros dies: intereaquè colligendi ſeſe ſpatium hoſtis ad Neapolim habuit Ludouico Lotharingo, cui cognomen Vaudemontio, ægrè id ferente. Apud Troiam propè oliueta urbi proxima defixerat Lautrecus bellica tormenta, unde hoſtibus ingens periculum & terror. Id Aurengius intuitus, pugnam Lautreco denunciarat. Intempeſtaquè nocte multum itineris emenſus erat, pugnæ tamen ſpeciem relictis aliquot uelitibus præbuerat: quo factum eſt, ut de hoſtibus ſequendis conſilium tardius initum ſit. Ergo Melphim cum robore exercitus proceſsit Lautrecus: ibi ruſtici & reliqui uicini quòd non putarent eò Gallos peruenturos ob loci ſitum, fortunas ſuas collocarant: & Ianus Caraciolus Melphitanorum princeps cum quatuor peditum millibus urbi ſuæ præſidio relictus fuerat. Vbi tormentorum impetu proſtrata ſunt mœnia, cùm nondum ſatis proſtrata eſſent, Italicus miles ſpe prædę ſumma ui capere urbem intendit. At cum locus quò euadendum erat, anguſtior eſſet quàm deceret, fruſtra illi conatus

procedebat: hoſtes igni, machinis, lapidibus optimum quemque cædere: eo die in caſtra rediјt Lautrecus. Sequenti die admotis iterum machinis, cùm mœnia grauius eſſent proſtrata, impetum in urbem facit. Aquitani diu multumquè fatigati, tandem in urbem perueniunt. Tum uerò cæſi fugatiq; hoſtes: urbs direpta; præda ingens militi parta. Caraciolus in arcem ſe receperat: ibiq; à Grandimontano captus eſt: pugnans & reluctans excelſa ipſa arcis parte armis excuſsis, parumquè abfuit quin ab irato milite cæderetur, ni Grandimontanus cohibuiſſet militarem audaciam. Is poſtea in Galliam partes Regis ſequutus peruenit: neque huic Cęſar Melphim recepto Neapolitano regno reddidit, dominio eius Aurengio attributo. Sibi enim Cæſar perſuaſerat Caraciolum libenter partes Regis ſequutum. Quod ut ille facilius & nulla ſua nota faceret, captiuus petiјt à Cæſare, quando Galli urbeis omnes fortunaſquè ſuas occupaſſent, ipſe eum pecunia attributa è captiuitate liberaret. Id cùm peteret, negarit ne Cæſar quòd tranſiturum eum ad hoſtes uideret, an alia ex cauſa incertum. Captiuus planè obſecrauit Cæſarem liberaretur, nec niſi ſacramento ſolutus ab ipſo Cæſare, in uerba unquam Regis iurare uoluit. Iam Trecarienſes, Rapolani, Monſpiloſi per legatos deditionem fecerant. Capua etiam recepta eſt, & Samnium totum cum parte Calabriæ: Campania tota, eo tractu quo agrum Leborinum ſitum aiunt, quem hodie Terram Laboris uocant, uſque ad Neapolim parebat Lautreco: Capuæ præpoſitus Daguerrus Cantaber. Reſtabat Neapolis urbs antiqua, & pro arce regni habita: qua recepta confectum erat bellum. Eò Aurengius cum quatuordecim ueteranorum militum millibus, magnis itineribus Lautrecum urbibus interea aliјs recipiendis occupatum, anteuerterat: abundè commeatum in urbem introduxerat, urbem munierat. Lautrecus pro tempore atque loco paratis rebus mœnia exercitu circunuenit. Auerſa urbs nonnihil uiſa eſt uelle Gallis aduerſari: eo loco Atellam ueterem ciuitatem ſtetiſſe paſsim proditum. At tutius ſequuta conſilium, mœnibus excepit Lautrecum: is eo loco plures dies res componens diuerſatus eſt. Circa maris littus poſt Vulturnum ſequitur Clauius, apud Sueſſulam, medio tractu inter Capuam & Nolam in montibus oriens, Auerſanum agrum multis inundans locis: ita ut ponticulis multis inter Auerſam & Capuam fluuium oporteat iungi, ad quos ponticulos multę ſunt molæ paſſim ædificatæ: eas cùm diſieciſſet Lautrecus, ita Capuanos perturbauit, deditionem ut ſponte fecerint, & urbibus præſidium impoſitum, & ciuium mutabiles animi & ad potentiorum excipiendas res promptiores, Gallos ad Neapolim recipiendam acrius incitabant. In quam Lautrecus totus & animo & corpore incumbebat, recepta ea bellum profligatum agnoſcēs. Cæterùm dū

ea res

ea res agitur, Andreas Doria, qui claſsi Gallici præfectus fuerat, è Genua ſoluens, uariè Neapolitanorum res affligebat. Id Hugo Mõcada intuitus Gallicæ claſsi obuiam pergit, ex inſula quam uulgus Iſclam uocat, Ænariaq́ꝫ, atque ut conſtantius illi occurreret, fortiſsimum quenque ex urbe deligit, claſsiq́ꝫ imponit. Philippus Doria, cùm tota de re admonuiſſet Lautrecum, ex Gallicis etiam copijs impigris hominibus delectis, in quibus fuit Crocus Aruernus eques ſtrenuus, Moncadæ occurrit. Videbantur Galli fugam parare: prætoria hoſtium nauis id intuita, longius euecta redeunte Gallica claſſe æneisq́ꝫ tormentis emiſsis depreſſa eſt: at non niſi poſt longum certamen, reliquæ uariè circumuentæ, partim captæ, partim depreſſæ ſunt. Hugo Moncada fortiter pugnans interijt. Crocus, qui prior in prætoriam illius nauem inuaſerat, poſt aliquot dies uulneratus cùm eſſet grauiſsimè, occubuit. Alphonſus Vaſtius & Aſcanius Columna, alijq́ꝫ plures è primoribus Hiſpanorum & Neapolitanorum capti. Multi putauere potuiſſe Neapolitanam claſſem Gallorum impetum euadere: ſed dum nauarchos qui priores redierant, ob fugam Fernandus Gonzaga occidi iubet, reliquos metu perterritos, ultrò deditionem feciſſe. Satis conſtat Andream Doriam nauali prælio non interfuiſſe, atque eius animum iamdudum abhorrere, à Gallis multi ſuſpicabantur: qua maximè ex cauſa, incertum. Alij ita prodidere: Cùm in Sardiniam paulò antè cum myoparonibus ſuis & Gallicis perueniſſet, ſeditione leui ex cauſa inter ſuos & Gallos orta, repentè conclamatum ad arma fuiſſe: Doriæq́ꝫ nomen inclamatum, cæſo etiam Langio cum uiciſsim Galli Franciam acclamaſſent. Viſum id & Samplancardo: & Rentio Cerro iniquius, atque illos in eum ſtimulandi Regis authores fuiſſe, ut abrogato maris imperio, Antonium Rupiſocaldium Barbeſium præficeret: qua ex re eum indignatum ad Cæſarem tranſijſſe. In hoc ulcere ueluti unguem fuiſſe, Daualum & Columnam aliosq́ꝫ captiuos, quos Rex quaſi ſuos repetebat. Ille à Philippo nepote captos, ſuos eſſe contendebat. Atque is Saonam Genuenſibus attribui uoluerat, quod cùm non impetraſſet, deſperans ſe eorum principem futurum, quod iampridem concupierat, magis irritatus eſt. Itaque Daualum & alios captiuos, qui in Galliam profiſciſcebantur, ſui iuris fecerat à Philippo nepote miſſos: Vaſtiumque, ut erat uario atque acri ingenio, authorem Doriæ fuiſſe, ut relicto Rege ſequeretur Cæſarem. Alij item prodidere, Vaſtum hominis animum altaq́ꝫ cupientem, cùm maxima eũ libido inuaſiſſet, ſeſe principem conſtituendi imperij maritimi, neque id quibus modis adſequeretur, in Gallia uideret, eò eum impuliſſe. Cùm tranſiturus eſſet ad Cæſarem, tranſeundi occaſionem quęſijſſe: utcunq́ꝫ quæſitam arripuiſſe. Nanque Lautrecus id ſentiens, miſerat

ad eum colloquij cauſa familiarem quendam ſuum: pollicebaturque daturum ſe operam uti maritimum ei imperium decerneretur, pretiumq́ pro captiuis ipſe ſe redditurum, ſponſoribus datis, receperat: capitaq́ aliquot fœderum ambo ſignis ſuis admiſerant, quibus ipſe confiſus de Doriæ fide minimè dubitabat. Ille uerò & decem millia nummûm aureorum, quæ ex reliquijs ſtipendiorum debita contendebat, petebat, & Saonam: reſcripſeratq́ Rex Lautreco, hoc puncto temporis hæc ſe præſtare uix poſſe, curaturum autem poſteà, ut Doria & liberaliſsimè & honorificentiſsimè ſeſe tractatum intelligat. Ad Cæſarem tranſiens, & captiuos reddidit, & Genuam Gallo parentem ad ſeditionem pulſis Gallis concitauit. Paulò antè decreto à Rege maritimo imperio, circa litus Neapolitanum peruenerat Rupifocaldius. Interim Lautrecus, qui porta Capuana Neapolim oppugnare uolebat, cùm muri & opere & natura muniti eſſent, ratus id quod erat, nulla ui oppugnari poſſe urbem, tentabat, ſi quo tandem pacto fame eos ad deditionem cogeret. Prope Neapolim paulò ſuprà Palæpolis eſt, Herculis nomen retinens. Ad uetera quoque mœnia Nolanámque portam, ſacellum Seruatoris: & in eadem regione, Mariæ eccleſia. Poſt Palæpolim, ubi hodie noua eſt arx cum hortis, poſtq́ montem qui Palæpoli imminet, promontorium protenditur in meridiem Pauſilippum: è regione aliud promontorium: quę loca uariè hoſtes munierant, Aurengio diutino morbo, quem ex ſcabie Neapolitana contraxrat, fatigato. Dum ad Neapolim ſic ſedetur, Ioannis Vrbinatis conſilio Aurengius ex improuiſo caſtra Gallica cum magna manu inuadit. Circa fanum Antonio ſacrum, & circa Sebethi amnis erectas ab hoſte foſſas, & ad Pauſilipi fauces, egreſsi hoſtes cæſis multis equitibus, relatisq́ à Franco ſignis aliquot militaribus trepidantes in urbem compulſi ſunt. Quodam tamen die Horatius Ballio cum delecta manu Italorum, earumqúe cohortium quas à colore Nigras uocabant, repentè percuſſus eſt, mox reliqui ſibi quiſque conſulere: alij fugere, alij prælium parare, multa impedimenta direpta. Lautrecus qui clamorem hoſtilem à tergo accepiſſet, equitatus partem ſubſidio ſuis miſit: hoſtes perturbati in urbem rediere. At Galli immodicis caloribus cœliq́ inclementia iam ſegniores fiebant. Ad extremum & febribus & peſte (quas ortas multi uolunt hoſtium opera) exagitati uariè terebantur. Quod Veneti Italiq́ alij intuentes, iamdudum dilabebantur. Accidit, ut quo die multi Gallici proceres cum Rupifocaldio & Carolo Nauarro reguli Nauarrorũ fratre, poſt nauigationem longam in caſtra regia concederent, ratus id quod erat Lautrecus, hoſtes adfuturos, robore exercitus collecto eis obuiam prodiret. At illi ubi extremum agmẽ Lautreci redire uident, porta Brutia egreſsi, paulatim proce-

procedere: mox ſigno dato Gallos inuadunt, multi modò cminus uulnerabantur, modò locorum imperitia intercipiebantur: pars cedere, pars ſequi. Lautrecus ubi uidet hoſtes acrius inſtare, Ioanne Candalio Fuxeo admonito, adiuncto, etiam Lupeo Armeniaco ſignifero ſuo, iubet ut in unum conductis militibus impetum faciat in hoſtes. Ille uti imperatum erat, immiſsis militibus loco depulit hoſtes. At dum audacius fugientes ſequitur uulneratus eſt, ac paucas poſt horas deſideratus. Vulnerati & notiſsimæ uirtutis equites, in quibus Grimo Andronus, cui & Mauriano cognomen, Burdigalenſis, & Petrus Daydius, cui Cgnao cognomen. Eo die parum abfuit, quin totis copijs certaretur. At illi magni intereſſe ſua uidentes, in urbem rediere, fortiſsimo quoque ex ueteranis aut cęſo aut uulnerato: cùm interea haud pauciores è Gallis deſiderati eſſent. Multi eo prælio negant, Lautrecum interfuiſſe, at miſiſſe tantum Candalium. Ex eius diei pugna, ob Fuxei mortem Lautrecus fatigatus in febrim incidit: uigintiq; dies ita iacuit, pro mortuo ut haberetur. At dum conualeſceret, uideretq; caſtra circumiens ſuos uarijs morbis afflictos, pleroſque hàc atque illàc præter militarem diſciplinam diſperſos, ita acclamauit, ut renouato dolore in febrim incidens, paucos poſt dies extremum uitæ ſpiritum ediderit. Et ſanè cum Rupifocaldius cum myoparonibus Gallicis tardius auxilium ferret, Doriaq; iam Gallis apertus eſſet hoſtis, facilè fuit hoſtibus Gallorum impetum ſuſtinere. Sunt qui ſcribant, dum putat Lautrecus ruptis Neapolitanorum aquæductibus, ſe ciues ad deditionem coëgiſſe, ex graui intra aquas reſtagnatione aquę fœtorem excitatum: unde Gallicus exercitus peſte, poſtea laborârit. Alij uocatum in caſtra ſeplaſiarium Italum, peſtis morbiq; anthorem fuiſſe prodidere. Gulielmus Bellaius id accidiſſe prodidit ex caſtrorum ſordibus, parumq; purgato ambitu caſtrorum: adeò maximis in rebus minuſcula neglecta nocent. Venere Franci deinde Auerſiam cum Michaele Salutiano, caſtràque mouere media nocte, eoq; peruenere ſummo diluculo. Obſidebantur interea ab hoſte Francicis ipſis tormentis, acciditq; ut nocte una & prima aurora, temerè irruentes hoſtes coërcerentur. Id illi intuiti, agere cœpere, de conditionibus quæ ita latæ ſunt, Vt eques uno equo relicto abiret, haud tamen militari: pedites abirent, album bacillum manu efferentes. Id cùm expreſsiſſet neceſsitas, uictores ea fuère inſolentia, pacta ut uiolarent: multi ex equitibus tranſportari ijs myoparonibus uolebāt, quos Barbeſius habebat. Ille multos excluſit, multi Plumbeum, Liburnum, & Genuam peruenêre: multi Romam profecti, ſtipe emendicata in Franciam rediêre. Michael Angelus ex uulnere æger, Neapolim perductus: multi morbo extincti, ut Ludouicus Vaudemontius, Moleacius, Pomperanus,

nus, Viuonius, Antonius & Ioannes Turnonij, Ioannes Carleus, Petrus Nauarrus, Grandimontanus, Carolus Fuxeus frater Henrici Regis Nauarrorum æger Neapolim peductus, uel ui morbi, uel propinata potione extinctus: dum conſilium fugæ inijt. Deceſsit & Ioannes Carbonerius unus è Petrocoriorum nobilitate, Iacobus Lanus, cui Rochchaleo cognomen. Et poterat tota ea Lautreci expeditio feliciorem exitum nanciſci, ſi Clemens Pontifex, Veneti, alijq́;, fœderati ſtipendia pacta perſoluiſſent. Veneti receptis aliquot urbibus, cùm eſſent languidiores, cùm Clemens exitum rei expectaret, nec Rex interea Gallis ſubſidia pecuniamq́; mitteret, parta propè uictoria elapſa eſt: lue præſertim morbisq́; & ducem exercitus & militem inuadentibus. Nec uerò feliciore fato circa Genuam & Mediolanum Gallicæ res tractabantur. Doria, qui urbe Genua Gallos expulerat, arcem etiam à Theodoro Triuultio per deditionem recepit: cùm Franciſcus Borbonius, Paulinus Comes, obſeſsis (ut putabatur) auxilium non tuliſſet. Rangonius hyeme ſequenti aliquot oppida Appuliæ retinuit, donec deſperatis rebus pace poſtea parta, iuſſu Regis cedendum ſibi uidit. Rex primùm eo conſilio Paulinum miſerat, uti Lautreco ſubueniret: deinde Genuenſium res eum tentare uolebat: poſtremò Sfortianis & Venetis iunctum res Italicas curare. Ac multa quidem, quæ è re eſſent ſuorum iubebat: cæterùm ex diſtantibus interuallis mandata poſt res afferebantur. Sequenti æſtate quæſitum, quæ ſedes bello legeretur. Papia cùm eſſet nuper recepta ab Antonio Læua, uiſa potior: ſimul urbem nobilem, ad quam olim Galli diutius ſteterant, auferre Cæſari, in rem famamq́; uidebatur. Erant Itali mille, Germani trecenti relicti præſidio: ſed ita acriter oppugnata eſt urbs à Gallis, ut poſt quaſſata mœnia, cæſis hoſtibus, recepta direptaq́; ſit. Sed & Mortarium & Nouariam Galli recepere, multaq́; alia oppida: pelliq́; Mediolano Læuam ſperari poterat, ni iuſſu Regis Paulinus ad Genuenſium res tentandas maluiſſet redire, uulgatò Gallorum conſilio. Dum Landrianum Paulinus ueniſſet, tormentaq́; & primum agmen præmiſiſſet, negligentiusq́; ſuos reficeret, Antonius Læua Mediolano egreſſus, repentè imparatos adoritur: priusq́; adfuit, quàm Galli de eius aduentu cognouiſſent, exercitúmue inſtruere, aut ſarcinas colligere poſſent. Itaq́; Hiſpani cateruatim, uti quoſq́; caſus conglobârat, in eos concurrunt. Galli aliquot uirtutis memores, & Germani arma capere, Italos ad pugnam hortari, ſine ordinibus eques pedesque permixtus necare quoſdam, quoſdã conculcare, alios in fugã uertere. At Italus palàm in fugam uerſus eſt, ex quo præcipuus numerus cõſtabat: Hiſpani nihil remittere, acrius inſtare: ita ſenſim & à Gallis & Germanis fuga facta. Paulinus ſibi conſulens, dum deſperatis rebus nequicquã foſſas in-

ſas ingentes equo parat tranſire, captus eſt: multi ſimul capti, impedimenta direpta, reliqui diſsipati. Exteri ſcriptores prorſus quod attinet ad Papiæ expugnationem, maximè commeatu & apparatu bellico adiutos aiunt Gallos, & Lautrecum à Venetis: ibiq; Ioannem Paulum Manfronium, dum tacitus ſpectat uim Gallorum, qua ſternebant propugnacula Papienſium, pila plumbea ictum corruiſſe. Petrum Longhenam cuſtodiæ urbis à Lautreco præpoſitum. Hunc poſtea dum parum ſuo fungitur munere, urbem amiſiſſe, interceptum à Læua: præpoſitos Cæſaris nomine Papiæ Aponteſium Hiſpanum, Ludouicum Belzoioſum, & Petrum Biragam. Narrant ijdem pluribus uerbis, Gallicæ & Venetæ claſsis apparatum maritimum unà cum Doria in Siciliam, cuius intercipiendæ ſpes affulſerat, utque & Ioannes Morus Venetorum nomine, & Rentius Cerrus, qui Regi militabat, ipſeque Doria cum Gallis loca aliquot Sardinæ expilarint: aliquot etiam uoluntaria deditione receperint, dum qui Cæſaris nomine præeſſent, parum locis fidentes, ſeſe ex uno loco in alium proripiunt, quæ tandem omnia relicta ſint. Narrant idem Comitis Aquilani ope, multa acceſiſſe Lautreco. Circa Troiam uarijs certatum utrinque proluſionibus. Alarconem tandem cum Cæſarianis nocte Neapolim contendiſſe. Miſſum Petrum Nauarrum cum Aquitanico peditatu à Lautreco, Melphim capto Caraciolo expugnaſſe: omnes Appuliæ urbes obuiam claues urbium miſiſſe Lautreco: Manfredonios Cæſarianis fidos fuiſſe: dum Manfredoniam urbem in fide Cæſaris malunt permanere: Cæſarianos uarijs munitionibus erectis Neapolim munijſſe: ſupra Martianum montem erectam munitionem inſignem, multis machinis adhibitis, cui tuendæ præpoſitus ſit Fabritius Maramus. Fuiſſe Neapoli acres homines, & uigilantes Hugonem Moncadam, Philibertum Chalonium, Aurengium, Alarconem, Moronum Cremonenſem, Alphonſum Vaſtium, Ioannem Durbinum Hiſpanum, Salernitanum, Ludouicum Icartum: Maritimis copijs præfuiſſe Icardum Vaurium. Multi mercatores merces ſuppellectilemq; omnem in caſtra abduxere: ubi tanta fuit abundantia annonæ, ut in biennium parata uideretur: tantaq; fuit uini etiam delicati copia, ut milites non contenti ſeſe eo ingurgitare, pedes equorum eo abluerent. Vnde accidit, ut ex ea copia, inopia mox accederet: flagitaretq; Italus & Germanus miles uinum ſeditioſè, irrumperetque in Capuanem arcem prætextu uini inquirendi: ubi uix à Ferdinando Alarcone manus abſtinuerit, qui è feneſtra præceps in alium ſeſe locum effudit, cæſis pluribus ex ea cohorte. Ferunt Aurengium commotum ea ſeditione, turbulentiſsimis aliquot arreptis, ſtipatum Vrbini Hiſpani, quem & Durbinum uocant, fideliſsimo comitatu, ita ſeditioſos increpuiſſe, ut iuberet aper-

ret aperta porta ad Gallos tranſire. Huic Vrbino pinguiſsimus aqualiculus, isq́ propenſo ſeſquipede extabat. Cæterum compenſabat eam corporis intemperiem inſigni animi magnitudine: cohortem habebat circa ſe fortiſsimorum Hiſpanorum: ipſe ut ad fugam inutilis erat mole corporis, uaſtitateque præpingui, ita ſi quem fugam molientem uiderat, huic certa nex parata erat. Lautrecus quando uideret ſedendo & fatigando coërcendos Neapolitanos, Rentium in Brutios miſit: ad Bituntum, Ioannem Clementem Stangam, quem Bario præfecerat: in Manfredoniam, Camillum Vrſinum: Salernum, Horatium, Ballionem: in Calabros, Menaldum Daurum, cui Aſteo cognomen, cuius liberi in nomen familiamq́ Grandimontanorum ſucceſſere, & Symonem Romanum, & Federicum Caraffam: Monopolim, Dominicum Bolanum Venetum patricium cum Pomperano Gallo. Hi uaria loca receperunt, expilarunt, uaſtarunt, cæſis Cæſarianis: oppida præſidijs munierunt. Sed Aſteus & Pomperanus receptis oppidis ad Lautrecum redire. Camillus Vrſinus circa Sipontum, dum ab Hiſpanis, qui arci munitiſsimæ in præſidio erant, eos qui aquatum in uicina loca eunt, opprimi uidet, accerſiſito Georgio quodam ſummo ingenio homine cuniculis actis turrim deiecit, oppreſsis & Hiſpanis: & quibuſdam cuniculorum miniſtris. Ad Neapolim ingraueſcente annona, multæ ad Lautrecum fiebant tranſitiones: Hiſpani tamen undique excurrentes inopiam ſubleuabant. Hos etiam in Appuliam excurriſſe aiunt: eoſdem Pontificis Melphitani ſuppellectilem, & mercatorum quorundam, qui ad Gallos tranſibant: & ad Auelinum procurrentes Pontificem eiuſdem loci, direptis auectisq́ rebus multis, cum multis hominibus captiuum abduxiſſe ferunt. Eſt locus quem uulgo Podium Regale incolæ uocant, quem ſepſerant Galli; dum ſcalis multis allatis eum ſe intercepturos Hiſpani ex urbe progreſsi exiſtimant, pluſquam ducentis cæſis, multis uulneratis, magna clade accepta in urbem compulſi ſunt. Nec longè Gallicæ aberant copiæ, eo fiebat, ut uarijs quotidianisq́ decurſionibus utrinque certaretur. Erant molæ circa Magdalenæ locum, quæ una die quinquies nunc ab Hiſpanis, nunc à Gallis occupatæ tandem Gallis ceſſere. Duo faſeli quibus ſtipendia Gallis aduehebantur, parum abfuit quin adcurrente hoſte interciperentur: ſed Italo ſerius occurrente bolus is ereptus ex hoſtium faucibus. Calendis ſextilibus, dum temerè hoſtes irriſa Gallorum ſocordia, in uineas proximas dilabuntur, adcurrentib. Gallis multi fatigati, pauci capti: ſed fugientibus ſuis Hiſpani opem ferentes, fugam cohibuerunt. Addunt alij decem Gallos equites captos: ita permutatione inita captiuos utrinq́ receptos. Impleuit Chaloniũ ſuſpicione eques unus Italicus captus, qui Fabritium Maramum affirma-

affirmabat, Lautreco recepiſſe librum introitum, ea parte quam præſidio ſeruabat. Cùm appareret indicium falſum eſſe, Fabritius qui captus fuerat liberatus eſt, uerè an falsò accuſatus incertum. Camillus fruſtra per dies aliquot Manfredoniam oppugnauit, Petro Aluigo Farneſio, cum Cæſarianis acriter urbem tuente. Referunt quoque exteri ſcriptores pluribus uerbis claſsis Neapolitanæ direptionem, cuius ſuprà meminimus: & Doriæ ad Cæſarem tranſitum, cuius tranſitum uelant, & ob Sauonæ libertatem in Genuenſium damnum tributam: & ob alij præfecturam maris à Ludouica deſtinatam: & ob illuſtres homines captiuos à Rege, à Philippo Doria repetitos: interim tamen fatentes Alphonſi, Vaſtij, Dauali, & Aſcanij Columnæ captiuorum ſuſurris & pollicitationibus pellectum Doriam in Cæſarianorum partes. Narrant ijdem, cum Lautreco, fœtore & corruptione aquarum orta peſte, occubuiſſe Michaelem Angelum Salutianum, & Aluigum Piſanum, qui Venetorum copijs præpoſitus erat. Egreſſum è Neapoli Fabritium Maramum: à quo multæ urbes à Gallis captæ, receptæ ſint. Poſt cladem Gallorum, Bernardinus Baleritanus celeriter adcurrit ad Clementem Stangam, qui Regis nomine toti huic præfecturæ à Lautreco præpoſitus fuerat. Is è Betonte (quod & Bituntum uocant) mouens, diſsimulata clade, quaſi Lautrecus Neapoli recepta potiretur, uana ſpe omnes implebat: Bariletoq́ munito ſe continebat, (id alij paſsim Barolum uocant) certioremq́ clàm facit Camillum Vrſinum Manfredonia abſtineat, eoq́ ad ſe contendebat. In Calabria Comes Burellus Cæſarianis uariè collectis occurrit Simoni Romano: congreſſusq́ tumultuaria pugna hominem fugat. Huic occurrere auxilium laturi cum Gallorum Venetorumq́ turmis aliquot Boutierus & Federicus Caraffa: hi quoque incolumes diſsimulata clade Bariletum contendebant. At rumor uires die acquirens, peruaſerat in oppidanorum aures cladis acceptæ: ita illi introitu urbis excluſi. Hos Stanga inſimulabat, quaſi parum conſtantes, ſparſos ab hoſte rumores dictitans: mox ſibi diffidens arce ſe continebat. Eandem aluerat diſsimulationem Vrſinus Camillus, & Tranium peruenerat. At Stanga irritatus Bariletanorum contumacia, clandeſtina porta reliquos excipiens è caſtro impetum in oppidanos facit: direptisq́ rebus omnibus & captiuis abductis, ingenti præda ſuos pauit. At Boutierus Cruceus & Federicus Caraffa, captiuos remiſſo pretio liberos reddi iuſſerunt. Cùm miles Italus non pareret, Gallicus cum Boutiero Italisq́ue proceribus multos obtruncauit. Interea Stanga, Boutierus, Caraffa, Simon Romanus, Morettus, Calaureſus, Angelus Calaureſus, Nicoletus Corſus, Iacobus Boſus Corſus, Carbo Aquitanus Vaſſariorum ſuppræfectus, de ſumma rei deliberant: conſtituuntq́ quando difficile

B eſſet

eſſet cum his copioſis hoſti occurrere, direptis fanis & alijs locis, præda abacta, inde ſeſe clàm proripere. Multa fana expilata: ab Antonij fano temperatum, quaſi is igne tutus ſeſe uindicaturus eſſet. Interea Borellus auctus Cæſarianorum copijs è Calabria mouit, & Rubos & Quadratam peruenit. Rentius Gallorum collectis reliquijs Bariletum peruenit ad Stangam: locoq; munito quiduis paſſurus uidebatur antequam deditionem faceret, eò ex Andria peruenerat Borellus. Is dum incautius equo uectus, intuitus qua parte commodius urbs obſideri poſſet, machina ex urbe emiſſa occubuit: relatuſq; eſt Andriam magno Cæſarianorum deſiderio. Alarco interea in Borelli locum peruenit, Bariletum obſeſſurus. At Caraciolus, Caraffa, Simon Romanus, & plerique alij in Canuſium procurrentes, pecore multo abducto, urbem laborantem commeatu ſubleuârunt: Quadratamq; idem Simon obſidere cœperat, ni paratiores Cæſarianos nactus, ſoluere obſidionem coactus eſſet. Interea Veneti claſſe inſtructa, Gallis qui ad Bariletum cum Rentio ſedebant, auxilium tulere. Erat cum Veneta claſſe Ionas Nauarchus Gallus: cui ipſi uni, tot nobiles eruptiones, dum obſidet Maſsiliam Borbonius, quas alij Stiſaco, alij Barbeſiano adſcribunt, acceptas Maſsilienſes ferunt: huius hortatu ſoluit Veneta claſsis è Barileto: ubi & Dominicus Bembus adfuit, aut certè claſsis eius. Hi Molfetam oppidum maritimum progreſsi, moxq; irruentes in muros, erectis ſignis Gallicis oppidanos perterritos fudere: partaq; præda & multis captiuis abductis potiti ſunt. Deceſsit tamen ea in oppugnatione Federicus Caraffa: uulneratus alter quoque magni nominis Ionæ Comes, quem à patria & corporis exiguitate Vaſconem paruum uocabant. Regreſsi deinde Bariletum ijdem Nardi nomine loca inſignita depopulati ſunt: atque ibi claſsis Gallica cum auxilijs Gallicis præſtò fuit: quo factum eſt, ut uicina loca undique in Gallorum uenerint ditionem. Id intuitus Alarco, conſcriptis copijs mouit ex Andria circa Tranium. Ioannes Conradus Vrſinus & Simon Romanus Brunduſium claſſe obſidebant: urbeq; potiti, direptis paſsim omnium fortunis, ſunt. Arx munitior uidebatur, nec priore alteróue impetu expugnari potuit. Id intuitus Simon Romanus, pergit ad locum cōtemplandum. Dum incautius diſquirit, qua parte collocari aptius poſsint machinæ bellicæ, breui machina emiſſa proſtratus eſt: immatura morte à Gallis iuxta ac Venetis deploratus. Interea Orengius mittit cū ualidiſſimis copijs Ferdinandum Gonzagam: hic è Quadrata uarijs excurſionibus Gallos & Italos qui ad Bariletum & Tranium ſedebant, fatigabat. Eò tādem cōtendit ipſe Orengius cum Alphonſo Vaſtio, Daualo, Fabritio Maramo. Rentius & Galli urbem acrius munierunt. Id illi intuiti, oppugnatione abſtinuere. Erant Bari-

leti

leti multæ Gallicæ & Aquitanicæ cohortes, ſed longis uigilijs attenuatæ, & ad paucitatem redactæ. Corſi, Veneti multi, cum Rentio Cerro, Ioanne Veturio, Stanga, Caraciolo, Camillo, Conrado Vrſino, hoſtes in Grauinam & Matteram ſeſe recepere: uidebanturq; Galli duce Cerro latius euagari, ni Venetorum ſocietate amiſſa, qui cum Cæſare redierant in gratiam, acceptis maritimis aliquot oppidis rurſus compulſi eſſent Bariletum. Ibi exagitatus eſt Corſorum ſeditione Rentius; cùm ſtipendiorum ſolutionem tumultuoſiſsimè efflagitarent: ut iam in ſeditioſos machinas aliquot emitti Rentius iuberet, ni prudenti cunctatione eius qui tormentis præpoſitus erat, dilata re, tandem iræ ſedatæ eſſent. Fuitq; Rentij laudata conſtantia, qui urbem pulſis undique Cæſarianis eò uſque tutatus ſit, donec iuſſu Franciſci Regis literis acceptis de pace inita cum Cæſarianis certior fieret. Hæc ab exteris ſcripta referre libuit, quando quibuſdam noſtratia omnino ſordeſcunt. Addunt ijdem, dum Nauarrorum Regis frater cum Rupiſocaldio claſſe uectus eſſet in caſtra Gallica ad Lautrecum, ſalutatione utrinque reddita ingemuiſſe Lautrecum: rogaſſeq; adoleſcentem, quis eum laniſta ad talem lanienam emiſiſſet. At quo tempore pugnatum eſt ad Landrianum, Itali ſcriptores initium fugæ à Germanis & Gallis ortum uolunt: culpa planè liberare Paulinum, qui parum ſolicitus fuerit de hoſtium aduentu, nemo poſſet. Sed Galliæ omnia in deterius audita, Regem angebant: & liberorum captiuitas & belli tædium utrunque principem ad mitiora inclinabant. Feruente adhuc bello, nobiles aliquot aulicos, qui formandæ pueritię liberorum regiorum dati erant, procul ab his Cæſar amandauit, pleroſque ferreis uinctos compedibus in triremium ſuarum dedidit remigia: ex quibus quidam, captis his triremibus à Mauris, Tunete oppido à Cæſare recepto, ſtipem mendicantes in Galliam rediere. Cauſam prætexuit Cæſar, quòd didiciſſet Iacobi Belliuultij coniuratione tentata redeundi in Galliam conſilia. Ea indignitate motus Rex, captos aliquot ex Hiſpanis, triremibus quoque ſuis addixit: nec uerò prius liberauit, quàm liberata parte ſuorum qui manus Maurorum euaſerant. Abhorrebat Cæſar à pacis conſilijs, Burgundiam ſemper petens. At Mercurinus Cattinarius, unus è purpuratis põtificijs libero homo ingenio, Sequanorumq; expoſtulationibus admonitus, qui belli calamitate oppreſsi uidebantur, hac oratione Cæſarem ad pacem accendit benigniſsimè auditus. Ego niſi ſcirem quali modeſtia Cæſarem admonendum ſuſcepi, non hoc uterer dicendi genere, quod neque tua, neque mea modeſtia ſatis dignum eſſe uidebatur. Me tu perlongo interuallo propè memoriæ, primum hominem nouum iuriſpræfectum, quiq; ſacro illo tuo ſcrinio præeſſet deſignaſti: atque ita deſignaſti,

ut tantus honos, uirtute potius oblatus, quàm ullis precibus efflagitatus uideatur: Id ego tam illuſtrè tuum beneficium Cæſar, cùm ad ingenij mei tranquillitatem duxi ſemper eſſe permagnum, tum ad curam diligentiamq; multo maius. Verſantur enim Cæſar in animo meo multæ & graues cogitationes, quæ mihi nullam partem, neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impartiunt, & tuendæ tantæ dignitatis, & officij decorisq; tanta dignitate digni conſeruandi. Ac cætera neglecta tueri poſsim, caſum, imprudentiam, neceſsitatem afferre: fidele conſilium niſi dederim, & te ipſum Cæſar decipio, & meipſum indignum tali magiſtratu aſtringam notæ ſempiternæ. Video te abhorrere à pace. At Sequani tui iam quæruntur exhauſtos ſeſe tributis: Hiſpani ingemiſcunt ad collationem: Italia propè direpta. Hybreas olim, Aſiæ cum M. Antonius duplicaret tributa, Si potes ait, M. Antoni, duplex tributum uno anno exigere, id quoque æquiſsimum fuerit te poſſe: ac ſi poſsis, Aſiæ impertiri, duplices ut uno anno æſtates, duplices quoqe autumnos illa habeat: Talentûm multa millia Aſia pependit. Quæ ſi non acccepiſti, exigito à quæſtoribus tuis qui acceperunt: ſin cùm expenſa tibi fuerint, iam profuſa euolarint, ecquid cauſæ eſt, quin tot pecunijs exhauſti pericrimus? Valentinianum Cæſarem narrat Ambroſius ſacer author, ſi quid hoc ad rem pertinet, cum admoneretur, noua indiceret uectigalia prouincijs, hæc reſpondiſſe: Præterita nequeunt ſoluere, noua quo pacto ſuſtinebunt? An tantum honoris mihi ideo delatum, ut quo iure, qua iniuria, unus ego fiſco tuo locupletando ſtuderem? Vnus ego diripiendos tibi Sequanos tuos, uexandas omnium fortunas conſulerem? Certè iam expilati ſunt: iam negant fortunas ſuas talibus tamq; crebris indictionibus ſatis eſſe. Ne here, ne Cæſar committe, ut quem patrem illi aſciuerunt, quem principem, ipſi expilatorem ſentiant, & quiduis potius quàm cuſtodem. Summa illa fuerit: Locupletes Sequanos cum habueris, ſatis ipſe locuples eris: ſin exhauris illos, periculum eſſe, ne Gallicum illi dominatum, quo tot annis carent, ultrò optent. Liberalitate illi proauorum tuorum recreati, ſi iam à te uexantur, milite, exercituq; fretus, coercere potes corpora, ingenia non potes: Itaque ſi me audis, uel minus iuſtam pacem æquiſsimo bello præferes. Exhauſti cum eſſent ambo pecunijs, ad pacis conditiones reditum eſt: ea compoſita eſt ſoluta ingenti pretio pro liberorum redemptione. Remiſſaq; à Cæſare Burgundiæ petione, Cameracíq; ſancita, eò conuenientibus Margareta Cæſaris amita, & Ludouica Regia matre. Poſt multum tempus procraſtinantibus Cæſarianis redditi Regij liberi pecunia illis Baionæ appenſa. Regij liberi, cum prope Fontem Rapidum ueniſſent, inde retrò perducti ſunt, ita iubente Vclaſco magiſtro equitũ Caſtulonenſi, ut mul-

tum

tum Annæ Mommorantio laborandum fuerit in his celeriter recipiendis, cauſante Hiſpano uel nummos minus fideliter appenſos, uel retractum ex itinere Hiſpanum fœcialem ad Regem miſſum. Ducta in Galliam Eleonora Cæſaris ſoror, abſenti Regi dederat prius Cæſar ſponſalia, miſſo in Hiſpaniam legato Regio Franciſco Turreo Regio Turenenſium, Rex Burdigalæ, diutius cùm liberorum reditum expectaſſet, ægrè tulit Cæſarianorum procraſtinationes. Vbi audijt Baionam appuliſſe, obuiam profectus, non longè à Monte Marſano Aquitaniæ oppido, apud Verienſe cœnobium Veſtalium, quas à diuæ Claræ ſacris uocant Clareas, uxorem nocte celebratis nuptijs duxit. Bononiam cùm eſſet profectus Cæſar ad inſulas imperij accipiendas, Gallicum fœdus iterum renouatum eſt: aliquotq; annis Galliam pace frui contigit, quibus nihil admodum memorabile geſtum eſt: niſi quòd interea adnitente Gabriele Grandimontano cardinale Clemens Pontifex Maſsiliam magno comitatu ad Regem peruenit. Ibi multa inter Pontificem & Regem agitata dicuntur. Nupſit tandem Catharina Medicea ſummæ indolis puella Henrico Aurelioſum Duci, uni è Regijs liberis. Regnum is poſtea feliciſsimè eſt moderaturus & humaniſsimè. Rex præter cœnobia aliquot pontificijs attributa, annuas quoque penſiones conſtituit: & gemmam nobilem, quæ pretium omne ſuperabat, quæ Tholoſæ in eccleſia diuo Saturnino ſacra aſſeruabatur, Pontifici peteti dedit. Pontifex in eius gratiam Claudium Giuſium & Stuardi fratrem Scotum, & Oddonem Collignium Caſtellioneum adoleſcentem ornatiſsimum, deditum optimis ſtudijs, & Ioannem Venatorem Lexouiorum antiſtitem, ſumma hominem innocentia & pietate, cui & commiſſa eſt Regiæ munificentiæ, & in egenos erogationis diſpenſatio, purpuratorum cardinaliumq; numero adſcripſit. Romam reuerſus Pontifex liberam donationem epiſcopatuum, cœnobiorum, aliarumq; præfecturarum eccleſiaſticarum Regi ſublatis electionum priuilegijs, prærogatiuiſque conceſſit. Lutetiæq; multi interea uiolatæ perſuaſionis damnati ſunt, uiuiq; exuſti: Cæſarque per ſuos apud Germanos inuidiam conflans Regi, diſsipârat in multos è Germania animaduerſum: contendereq; cœperat, ne Gallica legatio Germanico conuentui intereſſet. Itaque ſcriptis literis Rex ſuſpiciones diluens, neque in Germanum ullum animaduerſum, neque obtrectatoribus ſuis fidem habendam oſtendebat. Interea Clemente pontifice non ſine ueneni ſuſpicione extincto, Alexander Farneſius, qui ſe Paulum tertium dici uoluit, Pontifex deſignatus eſt. Atque is, Rodolpho Pio ad Regem, & Gaſpare Contareno cardinale in Germaniam ſæpiſsimè miſſo, fidem faciebat futurum, uti mox concilium ſacroſanctum toties à Germanis petitum indiceretur. Indixitque

primùm ad Mantuam, inde & Veronam, poſtremò multos poſt annos ad Tridentum. Sed uel Regibus, Cæſareq; ipſo, uel ipſomet Pontifice, purpuratiſq; diſsimulantibus, hactenus irrita omnia fuere. Atque is ab omni diſſenſione cùm ſemper abhorruiſſet, Columnenſes tamen tot bellis attriuit, auitis ut caſtris oppidiſq; eis cedendum fuerit. Idem in Peruſinos ſeuerus & acer, edoctus tenere ſuſpenſos legatos principum, abundans uerbis ſui negocij bene gerens. Reliqua quæ pertinent ad Pontificatum, prudenter adminiſtrans: ſeduluſq;, ſi quis unquam, in principum diſsidijs componendis. Paulò antea fato functa eſt Ludouica Sabaudia mater regia, ex morbo qui multos annos eam torſerat. Accidit uerò, ut Ludouica ſpei plena eſſet, ob pollicitationes Brailloni medici magni nominis: itaque etſi graui morbo, æſtu, febríq; iactaretur, minus intenta uidebatur ad ſuprema munera exequenda. Margarita Valeſia filia, hanc admonuit ſpem aliò collocaret: illa Braillono inclamato, & alijs qui Regem à ſe abduxerant, animum ab omni alia cogitatione ad Deum placandum traduxit. Et poſt aliquot annos Antonius Pratianus iuriſpræfectus, uel cancroſo ulcere, uel igne ſacro deceſsit, cui nondum animam agenti pecuniam ſupellectilemq; omnem auream atque argenteam Rex aſſeruari iuſsit. conceſsit tamen Pratiani liberis oppidorum aliquot fructus maximos & opimos, donec quicquid id eſſet æris alieni, diſſolutum eſſet. Anno quoque milleſimo quingenteſimo triceſimoquinto, Lugduni plebs ad ſeditionem proruit. Iubebat Rex uti propugnacula urbis munirentur. Quærebatur ratio, qua ad nummos peruenirent. Exquiſitis multorum ſententijs placuit eorum conſilium, qui in ſingula uini dolia tres nummos Gallicos imponendos ſuadebant, in certum uſque tempus. Plebs percita annonæ caritate, irruit primum in Campegij domum: direptaq; ea in Marini & Gimbri mercatorum opulentorum. Pomponius Triuultius cùm magiſtratibus iram plebis permulſit, comitem ſe eis profeſſus futurum ad undique eruendum triticum: circunductus is à plebe in ſacra loca, & priuatorum domos, ubi fœdè quædam patrata. Interea clàm decreta quæſtio in ſeditioſos. Admonitus Rex tota de re Boutierum eò miſit, qui de ſeditioſis ſupplicium ſumpſit. Frãciſcus Sfortia Carolum Meruelium regium apud ſe legatum comiter admiſſum, tandem occidi indicta cauſa iuſsit, agitata conſilia in ſe proponens. Quo ſcelere Rex & indignitate contumeliæ percitus, diu hac de re apud Cæſarem expoſtulauit. Henricuſq; Angliæ Rex, ob diuortiũ cum Catharina uxore à Põtifice negatum, illi apertus eſſe hoſtis cœpit, palamq; inſtituta maiorumq; ſanctiones reijcere, Thoma Moro & Ioanne Roffenſi, qui decretis eius æquum eſſe negabant obtemperari, necatis. Atque is eo tempore male apud ſuos acceptus

cum

cùm eſſet, gliſceretquè iam popularium ſeditio, popularium motus ſedauit. Parabat interea Cæſar claſsem & robore copiarum & omni apparatus genere inſtructiſsimam: nec regijs legatis unquam aperire uoluerat, quò proficiſceretur. Quæ cauſa fuit uti Rex conſilia agitata crederet de Maſsilia intercipienda Barcinone diu in anchoris cùm ſtetiſſet, mox cum ingenti apparatu ſoluit: rogauitquè Regis legatum, admoneret Regem ut abſenti ſibi fides eius & amicitia perinde ut præſenti conſtaret: nec quicquam rerum interea in Italia moliretur. Cæſar cum tantis copijs primùm in Baleares inſulas, inde Leonis Giro ſuperato Sardiniam peruenit. Ex ea profectus ad portum Phari, quem Farium uocant, appulit: mox in Goulletam locum munitiſsimum: quem locum tribus locis quadraginta continuos dies oppugnauit, uix & ſuis & hoſtibus reſpirandi ſpatio. Nam Itali parte una, parte alia Hiſpani, mari autem Andreas Doria cùm claſsis robore & tormentis emiſsis, & omni oppugnationis genere obſeſſos terrebant: tandemquè poſt quadrageſimum diem ui perrumpentes munitiones, ſimulatione extractis è propugnaculo barbaris, locum cæſis eis occuparunt: ibi octo dies cum refeciſſet exercitum, Tunetum peruenire parat: id nouem millibus à Goulleta abeſt. Qua ad urbem peruenitur, hinc ſtagna & aquæ: inde oliueta: medio itinere inter oliueta & aquas pergunt Cæſariani. Ariadenus Aenobardus qui regnum ſuperioribus annis inuaſerat, ad aduentum Cæſarianorum copias contraxerat, ut multitudine, ita robore Cæſarianis impares: ratus tamen ſiti Cæſarianos fatigatos, medio ſe in itinere intercepturum, ad eum locum quo putei aliquot ſiti ſunt, illis occurrit. At illi ordine pergentes, nihil aduentu hoſtium perterriti ſunt. Numidæ nunc cedere, nunc aduerſis equis congredi, implicare & perturbare Cæſarianos parant: illi ex oliuetis machinis leuibus emiſsis fortiſsimum quemque è barbaris proſternere. Ita hoſtes poſt breue certamen in loca ſe munita recipiunt. Cæſar circa puteos hos pernoctauit. Sequenti die inſtructis copijs Tunetum proficiſcitur. Erat ipſe in prima acie cum quatuor millibus Hiſpanorum ueteranorum, cum totidem Italorum ueteranorum millibus equeſtribuſquè copijs è ſua familia comitatuq;. Media acies è quatuordecim millibus Germanorum conſtabat: qui & ipſi calones, lixas, reliquaq; caſtrorũ impedimenta aſſeruabant. Extremã aciem cum ſexdecim Hiſpanorũ, quorũ maior pars è tyronibus conſtabat, ducebat Fernandus Daluadus Toletanus Dux Albæ, cũ duobus millibus equitum, quibus Regulus Bondegarus è familia Mendoſarum præpoſitus erat. Eratquè dies ſacer Magdalenæ, cum repentè obuiam ciuibus uenientibus, intellexit Cæſar Aenobardum fuga ſibi conſuluiſſe: caſtrum à Chriſtianis qui captiui aſſeruabantur teneri. Itaque in

urbem peruenit; & Alizachenum Tunenſem Regem (quem & Muleaſemum uocant) admonuit, nihil eſſe quod urbem diripiendam militi daret: ſe curaturum ut aliquot ſtipendijs ſolutis ſalua urbe illi eſſet conſultum. At ille uel ſuorum rebellionem ulturus: uel per ſpeciem belli potentiorum opes directurus, orare cœpit Cæſarem, urbem militi prædæ daret. Ita immiſsi Cæſariani oppidanos cædere, prædam undique auertere: ſi qui in manus uenerant, obtruncare: direptaque urbe arcem recipere. Altzachenum in regnum Cæſar reſtituit. Inde Goulletam rediens quam ſibi, uolente eo, retinuit, præſidioque firmauit, uictor in Siciliam appulit. Ex eo prælio, & quod ſuperioribus annis ad Viennam profectus erat, Solymanumque obſidionem ſoluere coegerat, cæſis etiam multis ex eius exercitu, magna gloria apud omnes fuit. Cùm interea Cæſariani Regem apud exteros traducerent, quòd Solymani legatos liberaliter honorificeque excepiſſet: ipſeque uiciſsim ad eum legationem miſiſſet: quodque cum eo fœdus ſanciſſet. Ad quæ Rex reſpondebat, accepiſſe item & miſiſſe legatos ad Turcam & Cæſarem & Ferdinandum: ut mirum ſit quod ſibi licere putant, cur in ſe uelint reprehendi. Cùm uideret Cæſarem id agere ut fortunis omnibus eum euerteret: cùm uideret ſe à Solymano ita urgeri, ut differre non poſſet, quin uel ſe illi pacatum fore promitteret, uel hoſtem experiretur, adactum eſſe neceſſitate cum Solymano placabiliore hoſte depaciſci inducias. Verùm iſtas inducias ea ratione ſe depactum, ut quoad eius fieri potuit, Chriſtianis in uniuerſum conſuleretur. Sed magis antea irritatus Cæſar putabatur, quòd Ferdinando Cæſaris nomine bellum in Huldaricum Vuirtembergæ Ducem gerente, Huldaricum pecunijs Rex iuuiſſet: nam aureis nummis Gallicis militi ab Huldarico perſoluta ſtipendia didicerat. Quæ ipſe ita refellebat, quaſi emiſiſſet ab Huldarico Montis Pellicardi comitatum fiduciaria uenditione. Quem porrò in uſum uerteret nummos, ſua nihil interfuiſſe: & antiquo fœdere, quod cum Germanis intercedat, ſi ſpoliato homini ſuccurriſſet, non protinus uiolat cum Cæſare poſtea inita fœdera. At Rex interea ſeptem legiones in Gallia conſcripſit: quibus luſtratis, belli iam conſilia agitare cœpit. Et planè malè ſimulatam amicitiam diſſui apertè æquius fuerat, erumpereque cōcoctas diutius odij inter utrunque faces: dum continuum inter æquales diſcordia malum utrunque ad ueteres ſimulationes reuocat. Sed occultiora Cæſaris odia & conſilia: Gallica conſilia priuſquā res adornatæ eſſent, ipſi Cęſari notiſsima. Arx eſt Lumea quę non longè abeſt à Maſerijs & Cedano. Lumeus olim Gallo amicus ad Cæſarianos tranſierat. Rex iubet obſideri arcem, accitis etiam machinis è Remis: At Lumeus Marchiani opera, reconciliata cum Rege gratia, Cedanum uenit ad eum ſalutandum, poſtea tamen irritatus poſterio-

poſterioribus bellis apertè Cæſari fauit. Mortuo interim Franciſco Sfortia, in Carolum Sabaudianum belli procella uerſa eſt: quem ſoror conſanguinitate mutua Gallo, uxor Cæſari affinitate deuinxerat. Atque, ut interim uxorum moribus dediti ſunt uiri, totum ſe à Galli amicitia iampridem auerterat Sabaudianus, Cæſarem ſequutus, uicarius imperij deſignatus fuerat: ipſeque Cæſaris amicitia cùm fœderibus omnibus ſibi cautum eſſet, ſeſe ſecurum putabat. Eius belli hæ cauſæ relatæ ſunt. Fuiſſe Amædeum primum Ducem Sabaudiæ: huic Ludouicum, Ludouico Amædeum alterum, Amædeo huic Philippum ſucceſsiſſe: nupſiſſe Philippo Margaretam Ducis Borboniorũ filiam, ea lege matrimonio adiecta, ut qui ex eo naſcerentur, ſi contingeret Amædeum Philippo ſuperſtitem eſſe, hi Philippi patris loco Amædeo auo ad eas ditiones reſque peruenirẽt, ad quas Philippus ſi uixiſſet, ſucceſſurus erat: ex Philippo natos Philibertum, qui ſine liberis deceſsit, Carolum qui eo tempore Sabaudiæ imperabat. Ludouicam Franciſci Regis matrem, quæ Margaritæ matris una hæres ex lege matrimonio adiecta, Philippi patris loco Amædeo auo ſuccedere debeat, in omnia quæ cenſeantur eo iura ut diuidi poſsint inter hæredes, & cadere poſsint in fœminas: quæ omnia cum uindicarint Carolus, iure matris iuſtè repetijſſe Regem. Ad hæc: Niceam & Villanfrancam & Taurinorum oppida in fide Comitum prouinciæ fuiſſe: quę omnia Sabaudiani occuparint: ut & arces & uicos complures ex Salaſsiorum principatu, qui Delphinatus Viennenſis eſt in clientela. Eam Rex ſibi fuiſſe belli cauſam proponebant. Sunt qui putent quo tempore Clemens Pontifex Maſsiliam uenit, uoluiſſe Regem cum eo ad Niceam conuenire: ſed recuſante Sabaudiano, dilatum conuentum, translatumque in Maſsiliam: unde Rex exarſerit iracundia auerſiſsimoque ſemper poſtea ab eo animo fuerit. Narrant & Pium II, Pontificem Romanum longo antea tempore diris execrationibuſque obſtrinxiſſe Sabaudiani familiam, quo ex tempore peſſum pedetentim ierint res eorum. Id ut uano rumore diſsipatum eſt, ita ut fama eſt interdum uerinuntia, originem ſumpſiſſe potuit ex eiuſdem Pij ſcriptis: Is enim ſcriptum reliquit, cum apud Mantuam conuentum ageret, Regeſque hortaretur ad bellum Turcis indicendum, Sabaudianum Ducem, qui multa promiſerat, inter primos repertum fuiſſe, qui ſpem auxilij præcideret. Eius filium adoleſcentem Ludouicum ea arrogantia uſum, cùm eſſet Mantuæ proximus, ut nollet inuiſere Pontificem, ita à ſe prædictum, ut & ille regnum Cypri dotale amitteret (quod & paucis poſtea menſibus accidit) & fruſtra quoque pulſus opem ab alijs peteret, quàm pater Reipublicæ Chriſtianæ negaſſet. Alij, quòd ſe Carolus Sabaudianus totum ab eius amicitia ad Cæſarem tranſiens auerterat: accidebatque

ſæpe u.

ſæpe ut Gallis è Mediolano redeuntibus iniuria inferretur, potiorem eam cauſam belli referunt. At Cæſar eo animo & conſilio Regem in Sabaudianum mouiſſe aiebat, ut hoc adumbrato, maiora cōſequentis belli momenta tegeret: et Allobrogum & Taurinorum agros, Inſubrium finibus coniungeret: commodioremq́ꝫ & ad inuadendos Inſubres expeditionem, & ad receptos tuendos facilius præſidium haberet. Rex Diuione agens, poſtea quàm morbo graui liberatus eſt, huius belli conſilia Philippo Chabotio tribuno maritimorum impellente iniijt: Heluetiorum etiam opera uſus, qui Geneuates male Sabaudiano placatos, ad ſe iam pelliciebant. Miſſus eſt ad Sabaudianum Gulielmus Poietus eo tempore præſes ſenatus Pariſienſis, qui res maternas, Niciam, aliaq́ꝫ oppida repeteret. Atque is feroci oratione uſus, cum Sabaudianus negaret ſeſe rebus à maioribus ſuis longiſsimo tempore poſſeſsis ceſſurum, nec eſſe cur Rex iudicem ſibi aut recuperatorem ferret, apud quem ſecum interdicto contenderet, nec ex iure manu conſertum uocaret, ſibi mox ferro res repetens ueterem amicitiam renuntiaret, potius uero arbitrum æquum ex amicorum albo ferret: proinde libenter compromiſſo ſe curaturum in Pontificem aut alium quemuis minime ſuſpectum, uti Regi ſalua eſſent ſua iura, maxime Sabaudianum turbauit. Eo enim digreſſo mox Chabotius cum multis equitum peditumq́ue millibus adeſſe nunciatur, uix ut Sabaudiano fugiendi locus, indeq́ue ſeſe proripiendi daretur. Is itaque & Cambrienſes, & Sabaudianos reliquos ubique præſidijs impoſitis recepit. Mox in Taurinos profectus, Thurinum, Foſſanum, ac pleraque alia oppida ditione tenuit: Pedemontanamq́ꝫ omnem regionem quæ Sabaudiano parebat exceptis Vercellis. At Antonius Læua, qui Cæſaris iuſſu Mediolano præerat, dum hæc parari uidet, repentè Vercellis leue imponit præſidium, Cæſarem tota de re admonens: proinde pacis conſilia ſimularet, donec contractæ eſſent copiæ. Contractis copijs & Vercellas & Mediolani principatum ſartum ſe illi tectumq́ue præſtaturum. Cæſar ad Paulum Pontificem ſcribens, arbitrio ſe eius pacis cum Rege de Mediolano reddendo initurum conditiones recepit. Proinde mitteret è ſuis fideliſsimum unum aliquem interea ne quid miles in ullas Mediolanenſis agri urbes graſſaretur. Ea cùm celeriter ad Regem eſſent perlata, miſit ille Ioannem Lotharingum Cardinalem ad pacis conditiones recipiendas. Interea Chabotius copias Vercellis admouebat. In eius caſtra miſit Læua qui denuntiarent ei, Vercellas antiquum eſſe patrimonium Mediolanenſium principum: dum ineuntur pacis conditiones, iniquum eſſe in agrum Mediolanenſem impetum fieri. Ita Lotharingi conſilio factum, uti à Vercellis copiæ Regis reuocarentur. Nā is interdictum à Rege aiebat, ne quid Galli quod in re aut

poſſeſsione

poſſeſsione eſſet, Cæſaris attingerent. Alij aiunt Chabotium ſu opte uſum conſilio, copias à Vercellis reuocaſſe: ob quę poſtea in odium Regis grauiſsimum incurrerit. Nam Vercellis receptis (quod alij ei facile, alij difficile tunc uolunt) ad Mediolanum reci piendum facilior patebat uia. Heluetij etiam perculſo Sabaudia= no ad eius ſpolia detrahenda aduolauerunt: Geneuateſque in li= bertatem factioneſque ſuas aſſeruerunt. At Cæſar de Mediolano reddendo conſilia cum regijs legatis iniens, nunc uni ex liberis Re gis eo ſe ceſſurum aiebat. Nominatoq́; à Rege Henrico Aurelio rum tunc principe, uſumfructum eius principatus cedi ſibi à Re= ge uolebat: ac ne quidem ſibi, at ei ex liberis cui daretur. Quæ cum Rex reciperet, contractis iam à Læua copijs, cùm admonitus eſſet nihil inſtare periculi, totus repentè auerſus eſt à pacis tandiu ſimulatæ conditionibus. Ipſe etiam Læua Franciſcum Salaſsio= rum principem, quem fama erat ad Regem proficiſci, uti poſtea Taurino præficeretur, in ſuas iam partes pellexerat. Atque is Lug dunum poſtea profectus, redeunte iam Chabotio cum imperio, circa Foſſanum miſſus: ſed adiunctis alijs multis æquali cum im= perio. Cæſar è Neapoli Romam profectus magnificè excipitur, diuq́; concoctum odium malè diſsimulans tandem effudit. Nam cum Pontifex & reliqui omnes patres exiſtimarent eũ à pacis non abhorrere conditionibus, repentè nihil niſi prælia ſeſe meditari o= ſtendit. Conuocatiſque patribus & legatis principum & popu lorum ſi qui adfuerunt Romæ, acerba hac oratione & fucata in Re gem, qui iam ſpe in Mediolanum peruenerat, uſus eſt. Cum plera= que, Pontifex Maxime, Patres conſcripti, à maioribus noſtris pru
» denter decreta ſint, tum nihil laudabilius, quàm quod uos ipſos
» & ſacris DEI OPTIMI MAXIMI, & Romanæ quo
» que urbis moderatores eſſe uoluerunt: ut nobiliſsimi & integerri=
» mi uiri ſacra piè ſancteque tractando, & rempublicam hanc opti=
» mè gerendo, imperij decus honoremque tuerentur. Ac maio=
» res quidem noſtri, rationes ſemper coniunctas cum uobis habue=
» runt: ſibi id perſuadentes, quantuſcunque eſſet imperij decor, per
» uos magnificentiorem reddi: uoſque ad parem curam imperij tu=
» endi & augendi hortantes. Quod ſi ullo tempore factum eſt,
» hoc quidem certè faciundum fuit. Scitote enim hodierno die ſtatu
» endum uobis eſſe, utrum poſthac uiolentos alienorumq́; princi=
» patuum inuaſores hortari ipſi debeatis, ad uiolenter occupatas re
» ſtituendas res, an etiam ſacrorum iſtorum ueſtrorum autho=
» ritate tueri malitis. Etenim ſi illi funeſta illa ſua arma, propa=
» gandorumque finium immenſam cupiditatem, quam legi=
» bus noſtris defendere non poſſunt, ſacroſancta iſta ueſtra
» authoritate tueantur, alij ritus, alij Pontifices, alia ſacra quæ=
» renda: ad quæ confugientibus ne quiritandi quidem locus ſit reli

ctus.

ctus. Sin autem pro ueſtra dignitate & prudentia ea quæ ab alijs occupata ſunt reddi æquum cenſeatis, erit ratio cur decreta uetera patrum noſtrorum in ornatiſsimis hominibus, & ſanctiſsimis, ad pontificatum ſacraſquè dignitates præficiendis, iure & tueri & laudare debeamus. Atque equidem ſi eſt fortis Imperatoris, cùm omnia auxilia labefactari conuelliquè uideat, ferre opem reipublicæ, oppreſſos recipere, conſulere publicæ tranquillitati: eſt etiam ſanctiſsimorum atque integerrimorum patrum, quales uos omni tempore extitiſtis, intercludere omnes uiolentiarum uias: tollere faces ſeditionum & ſimultatum: hos, qui ſecus faxint atque legibus ueſtris in rite rebus repetendis ſtatutum eſt, uobis hoſtes decernere. Qua in re quem non moueat Caroli Sabaudiani exilium? qui ferro & armis & exercitus robore tot urbibus, tot caſtris, laribus etiam patrijs cedere coactus eſt? Quare labor in hoc uindicando ac tuendo ſit ille quidem meus: ſtudium uerò in homine nobiliſsimo reſtituendo commune mihi uobiſcum eſſe debet. Ita enim conſtituere debetis Patres Conſcripti, hactenus cauſam nullam neque grauiorem, neque magis afflictam potiuſquè à uobis ſuſcipiendam, neque ab Imperatore uindicandam ad uos eſſe delatam. Agitur uerò nihil aliud in reſtitutione Sabaudiani, Pontifex Maxime, quàm ut nulla ſit poſthac in imperio dignitas: in uobis nobiſquè præſidium contra arma funeſta: nullum perfugium, miſeris à potentioribus expilatis, pulſis, uexatis. Sed quando Franciſcum Galliarum Regem audio ſperare aliquem ſe aditum ad aures ueſtras eſſe habiturum: & quoſdam queri dum affinem unum ex meis tueor, potentiſsimum me Regem eundemquè affinem in me prouocare ruptis fœderis legibus, uiolataquè affinitate: reſpondebo non illius quidem uerbis, quibus ille nullis uſus eſt, ſed uiolentiæ factiſquè Rege indigniſsimis: Cuius equidem uiolentiæ exercitationem cum incredibili audacia, tum etiam perpetua ſecuritate muniuit: doceboꝗ ſemper ab hoc uno ruptas & fœderum & amicitiæ leges, à me uerò perſanctè hactenus cultas & conſtantiſsimè retentas. Atque ut incipiam ab initio, & extrema prioribus conferam: (omittam etiam quo aſtu in clientelam Ludouicus Rex à Maximiliano auo meo receptus ſit Mediolanenſis principatus, iniecta ſpe certiſsima matrimonij noſtri cum Claudia filia.) quis apud ueſtri ordinis homines de Franciſci Regis authoritate induſtrius: quis apud exteros ſæpius egit? quæ tanta contentio? quæ cum proximis ſimultas, quam ego non pro noſtra amicitia ſuſceperim? ſuſceptam reclamante etiam Maximiliano auo ad extremum perduxerim? Quis uerò ignorat, dum Heluetiorum bello ille implicaretur, & contenderet Maximilianus Cæſar auus re ipſa, dilectione pater, uti aliò per Galliæ fines exercitum in eum mouerem, conſtantiſsimè id me renuiſſe? Neque uerò

is ipſe

is ipſe negabit, quin audita eius Mediolanenſi uictoria, profligatiſquę Heluetijs gratulatus ei ſim de tanta uictoria: ut mirarentur familiares noſtri quid accepto uictoriæ nuntio tantopere lætarer, Henrico etiam Nanſonenſi Comite ad eum miſſo. Nec uerò temporaria fuit ea gratulatio: fœdera inuicem pepigimus arctiſsima, quibus ego filiam eius ſanè quàm libenter uxorem accipiebam. Atqui hanc totam coniunctionem conſpirationemquę noſtram certi homines calumnijs confictiſquę uanis rumoribus diremerunt: hortantes eum ad inſulas imperij Maximiliano defuncto nobis præripiendas, quas tamen Germanorum ope ad me deferri uidebat. Ita multis ad deprauandum paratis, ſplendore honoris obiecto, ſuſpicionibus, eorundem & confictis ſermonibus exacerbatus ille, totum ſe ab amicitia noſtra auertit. Iamquę ab eo tempore quo uterquę imperium ambiremus, inter nos obtrectatio quædam nata eſt: etſi legato apud me ſuo interea hanc honoris petitionem ſaluis fœderibus amicitiaquę noſtra futuram receperat. Videte ut facta uerbis reſponderint. Vbi uidet me
” cunctis ſuffragijs Cæſarem renunciatum, obſides à me flagitat pe-
” cuniæ nomine, quam curatores mei rectoreſquę adoleſcentiæ pa-
” cti fuerant regni Neapolitani ergò. Ac mox defuncta filiola,
” cum qua mecum matrimonium pactum fuerat, iniecit nouam
” mentionem de Renata uxoris ſuæ ſorore ducenda. Expectabam
” quorſum ea obſidum efflagitatio tenderet. His ne putatis eum con
” tentum? Imò uerò legatis miſsis in Germaniam illos quidem in
” me acuebat: illos ad libertatem uocabat: prorſus ut nouarum re-
” rum initium mihi expectandum fuerit, ni gliſcentem iam ſeditio-
” nem compeſcuiſſem. Quin & Robertum Marchianum eodem
” tempore in fines meos, & Henricum Alebreti principem, ſubmiſ-
” ſis ualidis equitum peditumquę copijs, in Nauarrorum regnum
” immiſit: coactus ſum tandem ab inſtituta mea cum eo amicitia de
” ſilire, & cum Leone Pontifice agere de meis finibus tuendis, uete-
” riquę imperij patrimonio recipiendo. Ita expulſis Gallis è Me-
” diolano, cum ille ipſe cui tantos ſpiritus adeſſe uidetis, captiuita-
” te mei iuris eſſet factus, nihil durius in hominem bello captum co-
” gitaui: at potius quo pacto reconciliata inter nos amicitia perpe-
” tua eſſet: captiuum in Galliam remiſi, pacta ei ſorore in matrimo-
” nium. Et fuerat quidem indicatum nobis antequam ipſe dimit-
” teretur, prædixiſſe eum, ubi liber ad ſuos rediſſet, nequaquam ſe
” fœderis leges ſeruaturum. Ita mox reuerſus, fœdera Madrilien
” ſia fregit: authorquę fuit fœderum Italicorum quæ ad me Italia pel
” lendum ipſe ille primus cum Pontifice Clemente, Franciſco Sfor
” tia, Venetis, Henrico Britanniæ Rege inijt: contractiſquę quan-
” tum nunquam antea copijs, Lautrecum in Italiam miſit: qui & ple
” raque Mediolanenſis principatus loca recepit, & Genuenſes ſub-

egit,ſpequé iam deuorans Neapolitanum regnum,uirum fortiſsimum Neapolim miſit: ubi quæ ſtrages Gallorum fuerit, ipſi recordamini. Admonitus tandem & bello feſſus, fiſciqué inopia coactus reſipiſcens,rurſus noua fœdera propoſuit: quæ & ipſa à me recepta ſunt Samarobrinenſi conuentu. Reſtitutiqué ei liberi obſides:quibus receptis renouatiſqué fœderibus apud Boňoniam, cum Gabriele Grandimontano eius apud me legato. Cùm Viennam Solymanus obſideret,ego autem in communem hoſtem noſtræ perſuaſionis expeditionem pararem,pro ueteri reconciliataqué noſtra amicitia petij,iuuaret me nummorum parte qua poſſet: quod ille tam præciſe negauit, prorſus ut exulceratum eius animum agnoſcerem. Neque uerò clanculum à rebus « nouis abſtinuit. Scitis enim ipſi Marauillium legatum eius, quòd « nouis rebus ſtuderet,Mediolani cæſum:totaqué Germania ſubmiſſos qui uariè in me homines extimularent. Nam bellum quidem Vuirtembergicum ſuo ære geſtum,ne ipſe quidem negare ſolitus ſit,Hactenus audijſtis ab illo in pace bellum, in bello pacem quæſitam: uidiſtis hominem,in uado ſolicitum,in rebus lætis obnunciatorem,& qui quamlibet ratum auſpicium omine incommodo dirimere ſolitus ſit.Præterea quod grauiter me tuliſſe non inficior,aliquot ex meis bello captos,triremibus addixit, nec prius ſoluit quàm ego multos liberarem,quos ipſe querebatur remigijs meis addictos. Per Dinteuillanum quoque Italicos aliquot principes ſolicitauit:nihil opinor aliud captãs,quàm ut uos libertate per me parta priuaret. Iam uerò quid commemorem Sabaudianum affinem meum,propinquum eius,in mei contumeliam « fortunis omnibus ſpoliatum, nullo iudicio, non ritè repetitis « rebus? Cùm tamen eum ipſum non ignoraret fœdere Sa- « marobrinenſi adſcriptum. Ferebam ego te iandudum Franciſce « Rex,ferebam: aliquando animum commotum ad ulciſcendas tu- « as iniurias reuocabam ipſe & reflectebam. Cedebam amicitiæ: da- « bam multa affinitati: tribuebam omnia publicę tranquillati: diſtra « hi me nolebam è bello Turcis inferendo. At ubi uideo nullum ti- « bi te ſtatuere modum, urgeri me ſentio ad conatus tuos compri- « mẽdos. Sabaudiani iſthæc principatus occupatio,quorſum tẽdat « agnoſco,ut facilior uia pateat ad Mediolanum recipiẽdum. Quid « ille ſperet,& quò animum intendat apertè intueor,diffluentem co « pia rerum omnium,& ſeſe ignorantem,ut retunderem iandudum « admonitus ſum. Sabaudiani ditionem occupauit, ut ad Mediola « ni principatum inter nos controuerſum hoc corollarium addere- « tur. Verùm hoc quod iandudum factum decuit, certis de cau- « ſis ut facerem adduci non potui. Nunc denique obuiam tibi eun- « dum eſt, cum tandem neminem eſſe uideam quin agnoſcat fœdera « omnia à te uiolata, iniuſtè affinem meũ tot urbibus oppidiſqꝫ ſpo- « liatum.

liatum. Atque ego quidem ita exiſtimo, patres conſcripti, ſi de pacis conditionibus inter nos non conueniat, e re eſſe Chriſtianæ reipublicæ, noſtras ut lites controuerſiaſque ſingulari ipſi certamine dirimamus. Nec tamen in eam partem hæc accipi uelim, quaſi nulla ſit ſpes inter nos concordiæ. Ego quidem contendam atque enitar, ne quis publicæ paci defuiſſe me queratur. Nam Regem ipſum expletum Sabaudiani miſerijs, ad æquas fortè uenturum pacis conditiones non deſpero. Quòd ſi neglexerit, cùm & uetera & noua omnia fœdera ruperit, cùm nullo iure Sabaudianum inuaſerit, cùm iudicio animi certo perpetuum ſe hoſtem imperij declararit, ſpero futurum uti repreſſos eius conatus audiatis. Vos quidem facta noſtra comprobare æquum fuerit: reuocare hominem ab inſtituto ueteri aliorum opprimendorum. Ego quantum cura, diligentia, uiribus contendere potero, enitar ut libertatem ueſtram tuear: afflictamque fortunam affinis mei uindicem. Hæc ille cùm dixiſſet, Pontifex hortatus eſt eum ad pacis conditiones ineundas: ſibi perſuaſum dictitans eſſe futurum, uti æquis conditionibus acceptis, ab armis Rex diſcederet. Cæſar præcidit omnem ſpem pacis, ni Allobrogica oppida & Subalpina nuper occupata, Sabaudiano redderentur. Eam Cæſaris in ſe orationem cùm intellexiſſet Rex, longo poſtea interuallo miſſis ad Pontificem legatis, has literas dedit quibus ſeſe purgabat illi, Cæſariſque orationi reſponderet. Eas cùm ſciam à Rege ipſo dictatas, malui hiſtoriæ ueritatem ſecutus huc adſcribere, quàm nouas ipſe rationes orationeſue comminiſci. Sunt autem hæ Regis literæ. FRANCISCVS GALLIARVM REX PAVLO PONTIFICI MAXIMO, CARDINALIBVS, LEGATIS, SENATVIQVE ROMANO. S. Maximè uellem, beatiſsime Pater, ampliſsimi Cardinales, & diuerſarum gentium clariſsimi Legati, tum præſenti mihi adeſſe contigiſſet, quum iſtic Carolus Cæſar, ea quæ illi mecum interceſſerunt, longa oratione uobis commemorauit. Commodius enim ad ſingula capita reſpondiſſem, neque ſuſpenſa nūc iudicia ueſtra tenerentur, oratione tantum alterius percepta. Sed quoniam id mihi non licuit, exiſtimaui mihi eſſe ſcripto ſatisfaciendum, ad ea duntaxat, in quibus non tam res mea, quàm honos agitur: quò uos rei ueritate ante oculos propoſita, facilius in quo totum contineatur iudicium, intelligatis. Quanquam id ipſum quoque, quàm mihi ſit futurum difficile, non ambigo: quòd quum neque Cæſar legatis apud ſe meis, illius ſuæ orationis exemplum tradere, neque legatus eius, quæ de ſcripto mihi recitauit, eorum mihi deſcribendorum copiam facere uoluerit: ego ad ea tantum reſpondere poſſum, quæ uel ipſe memoriæ utcunque commendaui uel meorum ad me literis ſunt perſcripta. Sed me in ijs difficultati-

bus,tuæ me,beatiſsime Pater,æquitatis,rectiſsimique iudicij perſuaſio,& quam de illo ueſtro ampliſsimo conſenſu opinionem cõcepi,planè recreant ac reficiunt:magna ut me ſpes teneat fore ; ut nudæ ueritatis cauſa,etſi ob has difficultates iniquo imprimis loco conſtituta,tamen aditum ad omnium & ſingulorum aures omnium affectuum uacuas inueniat. Ac ne diutius expectatione uos teneam: Sanè Cæſar, dum quæ à ſe faciunt,amplificare oratione: contrà quæ à nobis,aut ſubterfugere reticendo,aut obſcurare dicendo uoluit:mihi eius quam texendam ſuſcepit hiſtoriæ dimidiam tantum partem attigiſſe uiſus eſt,atque ex tota cauſa,id quod ſibi commodum eſſe iudicauit,elegiſſe. Veluti (nam & ego omittam uanam ſpem nuptiarum cum Claudia iniectam,quam & ille ſibi omittendam putauit) dum ab eo exorditur loco: quòd quum ego primum ad regni hæreditatem ſum uocatus, illuſtriſsimum uirum Anaxonenſem Comitem ad me miſerit,retinendæ firmandæque inter nos amicitiæ gratia,ſimul meminiſſe debuit, ſe à nobis reiectum eo tempore non fuiſſe,quo potiſsimum hæc amicitiæ inter nos conciliatio , magno ſibi futura erat (uti certe fuit) præſidio:ut ſcilicet (quod maximè omnium rerum cupiebat) è manibus ſe ſubduceret Margaritæ amitæ ſuæ,& ab aui Maximiliani (qui tum eius tutelam ingrati & inuiti adminiſtrabat) poteſtate atque imperio ereptum aſſereret. Atq; dum adijcit (id quod ego etiam tum ex legati apud ſe meis literis intellexeram) ſe acceptis de uictoria mea,deque receptione Inſubrum nuncijs, non minorem cepiſſe animo uoluptatem,atque ex alia quacunque re fuerit accepturus: cur me ſperare non debuit, ſi par illi ſucceſſus contigiſſet, eodem in ſe beneuolo futurum animo? qui quàm illi eius rei memoria obſtrictum eſſe me ſentirem, nunquam præ me diſsimulanter tuli. Sed hoc meo iudicio ſubijcere non debuit, ſe tum auo Maximiliano morem non geſsiſſe,à quo ſcilicet,ut dum ego eo bello implicitus eſſem,aliunde mihi bellum inferret,urgeretur. Nanque ut hoc ne aggrederetur, obligatum ſe iuriſiurandi atque exiſtimationis periculo intelligebat. Adde,quòd eodem ipſo illo tempore,ego egregiam illi,& ex animo nauabam operam : neque mihi antea eſſe conquieſcendum putaui, quàm ut ille Hiſpanias omneis (quæ non adeò lubentes illum Regem accipiebant) dicto ſibi audientes habuerit. Nec cuiuſquam ego quam ipſius ſtare uelim teſtimonio, quid tum ego, quid legatus meus à me ita iuſſus, ex ipſius commodo utilitateque ſuſceperit atque perfecerit: fauorque meus & authoritas quantum rebus ipſius opis atque incrementi attulerit. Addit ſubinde , pacti ſibi cum altera filiarum mearum matrimonij mentionem. Ego uerò perſanctè me aſſeuero,quum ad me de obitu earum allatum eſt, non maiorem ex patrio ſenſu dolorem cepiſſe, quàm quòd ereptam mihi hanc uidebam ar-

„ bam arctioris cum illo amicitiæ conciliationem : At quum
„ ſubdit, eo tempore quo ego & illi ad imperij dignitatem unà uter=
„ que aſpiraremus, ſubortam primum inter nos fuiſſe quandam ue
„ luti obtrectationem, & ſimultates ſubinde natas: quanquam ego
„ tamen eius apud me legatos ſæpenumero profeſſus eram me per
„ inde hanc honorum petitionem exiſtimare, atque ſi eandem uter=
„ que puellam ambiremus: meque adeò (utcunque res caſura eſſet)
„ in eadem uelle cum ipſo amicitia integra inuiolataq́ permanere.
„ Ego proculdubio ijs me uerbis apud eius legatum uſum eſſe non
„ negabo, neque non orationi meæ uoluntas conſentiebat. Quod
„ uerò quæritur, ubi Cæſar fuit renunciatus, me obſides ab eo flagi=
„ taſſe, non contentum ad amicitiæ noſtræ firmamentum ſuperio=
„ ribus fœderum uinculis: ad hæc nouam illi matrimonij mentio=
„ nem cum Renata meæ uxoris ſorore inieciſſe: nihil diſsimulanter
„ fateor, à me omnes eſſe initas rationes, ut hæc nobis amicitia ſan=
„ cta eſſe poſſet atque ſempiterna. Atque adeò, ſi cùm filiarum mea=
„ rum natu maior mihi fato erepta eſſet, altera tam tenera ætate, ut
„ nuptiarum expectatio diuturnior eſſet futura; ego nihil mihi hu=
„ manarum rerum prius agendum eſſe iudicaui, quàm de renouan=
„ da (nam ea res noua non erat) cum Renata matrimonij mentione:
„ perſpicuum ne hoc facere Carolo potuit, me quacunque poſſet fie
„ ri ratione, retinendæ eius amicitiæ ſtudioſiſsimum fuiſſe? Nec a=
„ liò ſpectant, quam hic ipſe obiectat, obſidum efflagitatio. Ete=
„ nim quòd annua centena nummûm aureorum millia, quæ mihi
„ ex fœdere Neapolitani regni ergò pactus erat, diutius quàm par
„ erat debebantur: Ego, ne concidente fide ob dilatam multorum
„ annorum penſionem, amicitiæ quicquam decederet, obſides aut
„ potius prædes eſſe mihi flagitandos duxi: quos utique petiturus
„ non eram, ſi ad conſtitutam diem mihi Carolus nomen diſſoluiſ=
„ ſet, poterat enim id nomen expūctum eſſe multorum fide, qui ex=
„ promiſsores ſe offerebant ultro, quò fidem eius liberarent. Cuius
„ procraſtinatio tametſi paulo mihi diuturnior uiſa eſt, non adeò ta
„ men ex ea commotus ſum, ut (quod ipſe quiritat) ego uel in Ger=
„ mania quicquam aduerſus eum per legatum meum ſolicita=
„ uerim, uel Robertum Marchianum ulla ratione in eum concita=
„ uerim. Mandaueram equidem legato meo, ubi ſacri Ro=
„ mani imperij ordines, quibus cùm me tum peruetus amicitia,
„ tum principatus Mediolani ratio ſociarat, per occaſionem mi=
„ hi ſalutaret: meque oſtenderet non ignarum eſſe, quænam mea
„ eſſe deberet, & cum illis ſocietas, & erga illud ipſum ſacroſan=
„ ctum Romanum imperium obſeruantia. Et legatus quidem
„ ille meus in comitatu etiamnum agens meo, ſanctiſsimè deierat, ſe
„ præterea nihil quicquam in Germania molitum eſſe. Quòd ſi
„ aliàs feciſſe conuincatur, proculdubiò nec uolente, nec ſciente me,

necimpune laturus, id fecerit. In Robertum autem, ego Caroli "
oratori etiam auxilium ſi rogarer ex fœdere, me laturum obtuli: & "
militem quem Robertus in regno meo inſciente me conſcripſerat, "
ſtatim ubi ad aures meas permanauit, grauiſsimis edictis reuoca- "
ui, nec id ſine magno Roberti incommodo, qui præter ſpem ab eo "
milite nudatus, haud ignobiles arces non ita multo pôſt ui ac dedi "
5 tione captas amiſit. Nauarrorum autem Regi Henrico quòd tule- "
rim auxilium, mihi hoc criminoſum eſſe minimè poteſt. Etenim "
ijs fœderibus, quæ Carolo mecum intercedebant, diſertè hoc ex- "
ceptum erat, niſi certo præfinitoqúe tempore illi cum eodem Re- "
ge conueniret, ego quæ alio ex fœdere Henrico debebam auxilia "
rogatus ferre poſſem: idqúe etiam fide in Carolum integrâ & in- "
uiolatis quæ inter nos icta eſſent fœderibus. Itaque auxilia Henri "
co tuli, ſed Carolo præmonito: atque ita tuli, magis ut mihi ueren- "
dum ſit, ne Henrici conqueſtio, quòd ſerius, quàm Caroli accuſa- "
tio, quòd tulerim, improbitatis ſit maculam allatura. Cùm tot "
fuerint cauſæ quæ me ſaluis etiam cum Cæſare fœderibus, ut ei "
opem ferrem impellere & potuerunt, & uerò debuerunt. Qui- "
bus ex rebus, beatiſsime Pater, uoſqúe ampliſsimi Cardinales & "
clariſsimi legati, ſatis (mea quidem ſententia) intelligitis, nullius "
6 nos culpæ ex hoc priore bello affines dici aut haberi poſſe. De fœ "
dere autem Madrilienſi, quod uocant, apud Mantuam Carpeta- "
norum icto, iam toties ac tam abundè à nobis dictum eſt, ut tam "
ſæpe dictum dicere, mihi eſſe ſuperfluum uideatur. Tantùm "
hæc conſtanter affirmabo, uirum bello captum (id quod apud "
omnes conſtat) ſi poſtea quàm de redemptione pepigit, adhibita "
cuſtodia obſeruatur, liberandæ fidei reum non eſſe. Ego uerò "
non modò toto itinere, ex quo id fœdus ictum fuit, ſed etiam ad "
Fontem rapidum, quo primum ex loco ſum liber dimiſſus, etiam "
maiore quam dum eſſem Mantuæ, præſidio ac diligentia obſerua "
bar: adeò ut obſtrictam illis fidem habuiſſe, qui diligentiæ ſuæ po "
tius quàm fidei meæ confidebant, nullo iure condemnari poſsim: "
imò liber & cum libertate fidei, atque ſine ulla obligatione, me ad "
meos receperim: multum me ijs debere arbitratus, qui plurimum "
operæ ſtudijqúe ad conficiendum reditum meum contuliſſent. "
Quare quod addit Cæſar, fuiſſe ſibi antequam ego dimitterer, in- "
dicatum, ex me pleroſque audiuiſſe non ſeruatum iri eius pacis & "
fœderis cõditiones: ego id me dixiſſe non diſsimulabo: uidebam "
enim eiuſmodi eſſe conditiones, quas ſeruare neque ſi poteram, "
debuiſſem, neq; ut uellem, potuiſſem. At fœderis Italici ſocietas, à "
7 qua ſibi ut liberos mihi meos reſtitueret, denunciatum fuiſſe in- "
quit, eò contracta fuerat, ut per eã Cęſar ad ęquiores adduceretur "
conditiones, & redemptionis meæ pretio contentus eſſe uellet. "
Lautrecanam uerò expeditionem, ſicut omni aſſeueratione confir "
mo ad

„ mo ad liberandum captiuitate Pontificem initio ſuſceptam fuiſſe,
„ ad quod maiorum meorum exempla me inuitabant: ita fateor me
„ liberato eo, & Cæſare ita pertinaciter omnes recuſante conditio-
„ nes, omnis ut ſpes pacis iam ſublata eſſet, opportunitatem hanc,
„ ex adornati iam exercitus occaſione, amplexum fuiſſe. In quo
„ bello, ſi quod obiectat Cæſar, occubuit Lautrecus dux fortiſsi-
„ mus, imò (quod diſsimulare nequeam) bona pars exercitus fœ-
„ dè periit: tamen negare non poterit, quin ſi Deo Optimo Maxi-
„ mo uiſum fuiſſet, ita meum exercitum à peſtilenti clade, ſicut ab
„ hoſtium ui adhuc fecerat, defendere, aliò atque inclinauerit, rem
„ omnino inclinaturam fuiſſe. Porrò Samarobrinenſis conuentus,
„ indictus quum fuiſſet, ad ea mitiganda, quæ in Madrilienſi pa-
„ ctione iniqua nimis, neque tolerabilia uiderentur, non modò ni-
„ hil mitigatum eſt, ſed adiectæ aliæ præterea non minus iniquæ
„ conditiones: quas ego tamen accipere ſum coactus, quòd me tæ-
„ deret indignæ ac diuturnæ liberorum captiuitatis, quorum cala-
„ mitas ex dulciſsima commendatione naturæ, mea mihi calamitas
„ eſſe uidebatur. Quod uerò me ille facit in uado ſolicitum, & ueluti
„ dirarum obnuntiationem: Vtinam uerò accidat reſipiſcerent, ut
„ tandem quibus ego obnuncio eò conatus eius ſpectare, ut liberta-
„ te omnium conculcata, dominationē ſibi ille immenſam per alio-
„ rum ruinas compararet, cuius rei iam ab adoleſcentia dedit ille docu-
„ menta maxima, eruptura aliquando in perniciem eorum, quorum
„ ille uiribus aduerſus nos abutitur. At mihi prius omnia Deus O-
„ ptimus Maximus eripuerit, quàm illud iudicium quod non mo-
„ dò Cæſari conceſſerim, ut Regia aliquid maieſtate indignum pa-
„ trans, faſces illi ſubmiſiſſe uidear: at ne patri quidem meo, ſi reuiui-
„ ſcat, ut patientē me Gallicam maieſtatē minuat. Ego quidē is ſum
„ qui contumeliam tam grauiter feram, quàm diligenter caueo iniu-
„ riam ne cui faciam. Quæ igitur præclarus ille uindex libertatis, ſer-
„ uitutem omnium expectans hactenus molitus eſt, in eam partem
„ accepi, ut mirabiliter offenderer. Auxit dolorem fœdus clande-
„ ſtinum cum multis Italię Regulis ipſoq; Sabaudiano, qui uicinum
„ mihi mallet Cæſarem, quàm ſe ipſum propinquum meum. Inſta-
„ bat ille acrius, perfecitq;, ut niſi de uetere mea ſententia depelli
„ mallem, & exiſtimationis meæ, & ſalutis curam abieciſſe uiderer.
„ Saluti meæ conſului. Vicinum inimicum, delicias Cæſaris, ad Cæ-
„ ſarem compuli. Incluſum illud odium multarum in me contu-
„ meliarum effudi. Miſſus eſt contumeliæ ſanguis: nihil poſtea re-
„ ſiduum apparebit. Ac quanquam multis artibus ita eum conualuiſ-
„ ſe uidebam, ut nunc Reſpublica ad reſiſtendum imbecilla eſſet,
„ ferebam tamen. Quæ cum ita ſint, nunquam uel in maximis rei
„ gerendæ opportunitatibus, ut à pactione diſcederem, aut in eam
„ quicquam offenderem, abductus ſum. Immò uerò, quo tempore

Turcarum exercitus bellum in Auſtriam circumtulit, (ad cuius me rei mentionem Cæſar reuocat) ego Balanſono, qui ab eo miſſus, cataphractos equites & pecuniariū à me flagitabat ſubſidium, quanquam de pecunijs quidem non aſſenſi, quòd nummularius non ſim, à quo pecunias flagitare Cæſar debeat, cui tum ſatis eſſe oportuit, quòd uicies centena millia nummûm aureorum à me recens accepiſſet, tamen obtuli liberaliter. Quod maiores mei, quibus nihil unquam eſt præſcriptum, ubi de ſuo aduerſus hoſtem religionis ageretur officio, præſtare ſunt ſoliti, id me perlubentem eſſe Chriſtianæ reipublicæ præſtaturum: ut copias ſcilicet meas omnes (etſi multæ mihi tum proponebantur à bello quieſcendi occaſiones) tamen ipſe præſens, uel ad tuendam Italiam, cui tum etiam Turca imminebat, uel aliò quouis, & quæcunque rei poſtularet neceſſitas educerem: ita tamen, ut Cæſari nihilominus principem, ea in expeditione locum non grauarer ex officio cedere: ac ne ſuſpectæ cuiquam eſſent uires meæ, potiorem exercitus mei numerum ex milite Germanico conſcribere. Quòd ſi eò uocatus fuiſſem, eo proculdubio deſcenſurus eram apparatu, bonam ut partem eo ex bello accepturus fuerim, uel gloriæ uel periculi. Iam quod attinet ad Bononienſe fœdus, atque Marauillij cędem, mei apud Franciſcū Sfortiam legati, non uideo quare Cæſar horum mentionem facere hoc loco uoluerit. Nam Bononienſe quidem fœdus quem ad finem ictum fuerit, planè omnes recordamini. At Marauillij cædes, etiam ut ille quicquam aliter molitus ſit, atque illum decuerit, (id quod minimè mihi perſuadeo, certè nullum à me huiuſmodi habuiſſe mandatum ſcio) tam indigna tamen fuit, tam ſceleris & nefandi flagitij plena, ut antea nunquam exiſtimauerim Franciſci factum à Cæſare probatum iri: qui quo amplius atque latè patens habet imperium, eo plurium legatorum opera, atque apud plures ut indigeat, neceſſe eſt. Quanquam (ut uerum ingenuè fatear) ubi me intellexi de tam immani ſcelere apud ipſum Cæſarem, affinem ac fœderatum meum, Franciſci uerò dominum, à quo tam atrocem acceperam iniuriam, fruſtra querimoniam detuliſſe, commotus ſum ſanè: neque diſſimulabo, nihil quicquam unquam mihi accidiſſe tam improuiſum ac inopinatum, quàm hoc turpiſsimum Sfortiæ facinus laudatorem Cæſarem habuiſſe. Quod ſubinde Cæſar obiectat, à me præter Samarobrinenſe fœdus, quædam aduerſus eum in Germania eſſe conſtituta, atque inita conſilia, maximeq́ bellum Vuirtembergicum meo ære fuiſſe geſtum: Primùm hoc iterum profiteor atque agnoſco, me in Germaniam legatos ſæpenumerò miſiſſe. Nam & ego, & maiores mei, cōiunctas ſemper habere uoluimus cum Germanis principibus & ciuitatibus rationes. Etiam noſtra memoria uiſum eſt, quamuis inter ſe Cæſares & Galliarum

Reges

Reges bello contenderent; Germanicæ tamen & Gallicæ natio-num amicitiam, ac ſocietatem non ideo fuiſſe diſſolutam. Tum à me pecunias eſſe Vvirtembergæ Duci numeratas, nunquam inficiatus ſum. Ex eo enim Montis Pellicardi oppidum emeram, quod is tamen anno uertente (ut inter nos conuenerat) refuſa pecunia redemit, atque recepit: me non perlubente profectò, qui oppidum illud quàm pecuniam mihi maluiſſem: in quos autem uſus ille pecuniam eſſet conuerſurus, nunquam ad me pertinere arbitratus ſum. At hoc magis miror, non fuiſſe hoc loco à Cæſare prætermiſſum, de quo ego quàm honeſtè queri poſsit non uideo; aliquot uidelicet ditioni eius ſubditos homines, bello à meis captos, diutius fuiſſe in triremibus aſſeruatos. Simul enim meminiſſe illũ oportuit, quàm indignè meos triremiũ ſuarũ addixiſſet remigijs, præter æquum & honeſtum, ac per ſummam iniuriam, à liberorum meorum obſidum famulatu comitatúque ui abſtractos. Simul ſuos cùm fateatur ſtatim meis ab ſe miſsis, per me quoque fuiſſe liberatos, ignorare non potuit, à ſe ipſo moram fuiſſe, quo minus ipſe ſuos quoque maturius ex me reciperet. Quod adijcit in ſe quoſdam ex Italia principes uiros, à me fuiſſe per Dinteuillanum ſolicitatos: Ego id mihi certè non facilè perſuadeam, cum quòd nullum à me Dinteuillanus mandatum ea de re acceperit, tum quòd nullum mihi cum Cæſare bellum intercederet. Quòd ſi mihi aliquot inſignes ex Italia nobilitate uiri mereant, haud uideo quemadmodum Cæſar initorum in ſe conſiliorum, aut uiolatorum fœderum inſimulare me hoc prætextu poſsit. Qui ſi uoluerit, dum tam creber eſt in commemoranda libertate Italię per ſe reſtituta, hoc interim Italicæ nobilitati iugum imponere, ut ab eo cùm receſſerint, mortalium nulli dare nomen audeant: hoc certè fuerit libertatem eorum ſimulatione propugnationis expugnare, ac re ipſa ſeruitutem, mentito nomine libertatis imponere. Atque ut iam ad Mediolani principatum ueniamus: ſæpe mihi Cæſar per legatos ad me ſuos ſignificauerat, niſi fidem ipſe Franciſco Sfortiæ iam obſtrictam habuiſſet, eum ſe principatum mihi omnino traditurum fuiſſe. Itaque mortuo Franciſco, ſublatoq; eo excuſationis prætextu, quum ueniſſe tempus uiderem, deeſſe mihi ea in occaſione nolui. Miſi, qui eum principatum mihi à Cæſare repeterent. Significauit ille, ſeſe uni ex filijs meis æquiore animo traditurum. Aureliorum ducem nominaui, in quem ut ego potius quàm in aliorum quemuis hunc transferri principatum cuperem, multæ me & magnæ rationes inuitabant: quas quoniam ego non ad regni mei pacificationem tantummodo, ſed ad totius etiam Chriſtianæ reipublicæ pacem, ocium & quietem pertinere maximè arbitrabar, Cæſari explicandas & commemorandas curaui; etiam atque etiam rogans & obſecrans; ut quæ

ſua eſſet

ſua eſſet ea de re mens, animi ſtatus, & cogitatio, mihi apertè & ingenuè indicare uellet: quemadmodum & ego mea omnia conſilia candidiſsimè, citràque omnem diſsimulationem eius oratori expoſueram. Tandem poſt multas ultrò citròque nuntiorum & literarum miſsitationes, orator eius acceptis (ut aiebat) ea de re mandatis, Cæſarem mihi aſſeuerauit, poſtulatis meis aſſenſiſſe, tantùm ut principatus eius uſufructu cedere, quem deberi mihi contendebam. Nolui hanc unam reliquam uſusfructus controuerſiam retinendæ, inter nos amicitiæ moram ullam afferre. Ceſsi, renunciaui, Cæſarem animi ac ſenſus mei certiorem feci, planè ut iam nihil uideam, quod pacem inter nos & amicitiam impedire poſsit, modò quæ legatus eius eſt pollicitus, ea duntaxat præſtare Cæſar, & caueri ſibi æquis tantùm & honeſtis conditionibus uelit, quemadmodum eo ipſo tempore, quo hæc inter nos tractabantur, ſe facturum affirmabat: atque ſi alias proponeret, ſatis ſigni ſe daturum, ſe nullo omnino ut inter nos conueniat. Igitur dici nõ poteſt, à me ſtare quo minus pax inter nos fiat, quum in eaſdem ipſas conditiones, quæ mihi ſunt ab eius legato propoſitæ deſcenderim: à quibus ipſe ſi deceſſerit, omnis in eum neglectæ pacis culpa, nulla in me reſidebit. Ego enim retinendæ pacis tam ſum & fui ſtudioſus; ut etiam ſuperiori tempore, quo nec mihi Cæſar, nec liberis meis Mediolani principatum reſtituit, nihil aduerſus eum molitus ſim. Immò quo tempore Turcicus exercitus in Auſtriam mouit, non modò à bello quieui, ſed copias etiam meas (ut nunc dicebam) obtuli. Et cùm Cæſar expeditionem adornaret in Africam, ego (ut ipſe uoluit) cum omnibus pacem colui: & quod facere tum poteram minore (quàm nunc obtinente Italiam Cæſare) impendio meo & periculo, à repetendis & recuperandis mei abſtinui, nec conuellere ea uolui, quæ tum facilè potuere commoueri, cum multi ex Italiæ proceribus oppreſsi, illius iugo iam extollere caput, & aliquando iniecta ſpe aduentus noſtri recreati, ſe erigere inciperent. Contudi hac parte animum & fortaſſe uici, ſi per Cæſarem liceat. Qua in re tuam in primis conſcientiam Paule Pont. Max. implorare mihi libet. In cæteris uerò omnibus, quæ ad Chriſtianæ reipublicæ quietem & commoda pertinent, nulli concedere uelim Chriſtianorum principum, ut ea maiore quàm ego, perſequatur affectu ac ſtudio, cuius mei inſtituti eſſe poſſunt indicia, ſolida ſatis & expreſſa, Gallorum meorum mores ac diſciplina. Quamobrem, beatiſsime Pater, uosque ampliſsimi Cardinales, & clariſsimi Legati, ea ſatis omnibus nota patientia, qua mihi factas iniurias huc uſque tuli: hæreditaria mea filiorumque iura, iam tandiu per alios me ferente occupata: interdictum, ne quid mei, quod in re aut poſſeſsione Cæſaris eſſet, attingerent; copiarum mearum à Vercellis de medio

quaſi

» quaſi iam deſponſæ ac deſtinatæ uictoriæ curſu reuocatio; & ſta-
» tiuis in caſtris, ne quid tumultus excitaretur, collocatio: conſti-
» tuendæ pacis ampliſsima & libera facultas Cardinali Lotharingo
» permiſſa: uſusfructus, de quo memini, ceſsio; ſatis omnia decla-
» rant, pacè ne an bello iura mea obtinere maluerim. Neque uerò
» ſanctitati tuæ mirum hoc loco uideri debet, ſi quod ſentio liberi-
» us profiteor. Nam ſi occupator alieni quiritari audet interim
» ac dolere: ego quid facere debeam, qui tam ampla patrimonia
» uideam mihi ac liberis meis per iniuriam auferri, & noſtra cum
» ignominia retineri? Quod uerò ad Sabaudiæ Ducem pertinet,
» nõ uideo qua ille ſe tueri aut defendere ratione poſsit, apud quem
» toties expoſtulatum ſit, à quo toties flagitatum, rationem ut inire
» mecum uellet de ijs rebus, & quas à maioribus ſuis nullo iure oc-
» cupatas, meo damno poſsidebat, & quas hæreditario iure perti-
» nere ad matrem meam, ambigere non poterat: quas quum ipſa
» dum uiueret, ſæpe ad eum certos uiros repetitum miſerit, cum
» mandatis (ut ſororem decebat) humaniſsimis. Ego item ab e-
» ius morte, uiros meorum iurium peritiſsimos, quiq; ijs diſcepta-
» toribus qui ſunt illi à conſilio, ea ſingulatim exponerent, ſæpe mi
» ſi. In quo ego quum tandiu nihil profecerim, neceſſariò mihi ue-
» niendum ad arma fuit. Qua in re uerò nihil à me peccatum eſt in
» ea fœdera, quæ cum Cæſare mihi intercedunt: quibus etſi prohi-
» berer, ut ne cum ullo Italico principe aduerſus illum conſilia com
» municem, non uideo qua ratione bellum iſtud Allobrogicum ad
» ſe ſpectare Cæſar arbitretur, uel ad eam cauſam ullo modo perti-
» nere: quum interim exercitus meus (uti nunc dicebam) nihil ea-
» rum rerũ nè attigerit quidem, quę ab eo reſciuerint, quo iure quà-
» uè iniuria poſsideri: atque ut ne id facerent, diſertè à me fuerit o-
» mnibus interdictum. Neque enim ſi fœdere Samarobrinenſi Sa-
» baudiæ ducis mentio inter Cæſaris fœderatos iniecta eſt, ideo ta-
» men earum rerum quas is ad me pertinentes occuparet, ius in e-
» um eſſe translatum intelligo. Nam neque is eo in fœdere, ue-
» lut qui cum iniretur, intercedit: neque uox, de rebus meis quæ ab
» illo tenerentur, ulla in eo conuentu miſſa eſt. Itaque ex ui eius
» fœderis, neque cedi, neque renunciari potuerunt. Atqui ego &
» antea ſperaui ſemper, & nunc etiã ſpero fore, ut Carolus pro ne
» ceſsitudine affinitateq; noſtra, meã potius iure ac legibus nitentẽ,
» quàm iniquam Sabaudienſis cauſam ſibi eſſe ſuſcipiendam du-
» cat. Quanquam hoc ego tamen uideo (quod ſatis mirari non
» poſſum) cæterorum, qui & ipſi armis in Sabaudienſis bona inua
» ſerint, factum à Cæſate non reprehendi, duntaxat reprehendi
» meum, qui cum illo ſim maximis uinculis & propinquitatis &
» neceſsitudinis coniunctus, & ea tantum recuperare uelim, in qui-
» bus luce clarius ius habeam; & non niſi ritè repetitis rebus ar-
ma ce

ma ceperim. Atque adeò beatiſsimè Pater, paratus ſum ſanctitati tuæ, ſi hoc ita libuerit, iura mea omnia ex tabulis authenticis explicare: ut quæ dico nihil penitùs à uero diſcrepare intelligat. Quòd ſi ille in animum induxerit ſuum, quæ mea ſunt, mihi reddere, ego uicißim ſi quid à meis præterea occupatum eſt, non grauabor illi reſtituere. Quare deſinat aliquando Cęſar nobis præſcribere, quid moliri audeamus: deſinat noſtra fœdera cum Sabaudiano communicare: deſinat, ſi quæ ab illo occupata ſunt repetimus, de ſuo aliquid detractum opinari. Deſinat ſperare nos Mediolanum repetentes à progreſſu arcere, à reditu refrenare, occupatis Salaſsiorũ ipſiusq́ Sabaudiani oppidis, & arcibus, quas iam ſpe hauſerat. Non ſuccumbam eius conatibus, experiarq́ & tentabo omnia, neque deſiſtam abſtrahere à ſeruitio Cæſaris regnum noſtrum. Eſt mihi tanti huius inuidiæ falſæ tempeſtatem ſubire, dum modò à Francis meis huius nefariæ ſeruitutis periculum depellatur. Iam quod Cæſar inquit, ſi de pacis inter nos retinendæ conditionibus non poſsimus conuenire, è re atque commodo fore Chriſtianæ reipublicæ, noſtras ut controuerſias ſingulari certamine dirimamus: Ego quum hactenus, ſi quis uitæ meæ ſplendori notam ullam allinere tentauerit, abundè mihi ſatis feciſſe uidear: & quum hæc duelli à Cæſare commemoratio, uoluntatis tantùm declaratio, non etiam prouocatio eſſe uideatur, aut decoris atque honeſtatis noſtræ oppugnatio: Ego, inquam, breuiores eſſe noſtros enſes exiſtimo, quàm ut congredi tanto interuallo diſiuncti poſsimus. Quòd ſi nos propius occaſio aliqua ſtiterit (id quod credibile eſt omnino futurum, ſi res ad arma redierit: egoq́ ut ita accidat ſanè quàm lubenter dabo operam) atque ſi tum Cæſar eandem retineat, quam nunc ſe habere oſtendit decertandi mecum uoluntatem, meq́ tum ad certamen prouocauerit, non recuſo, quin ſi exiſtimationis meæ defenſioni defuero, probi me atque graues uiri, inter profligatæ famæ homines repudient: id quod mihi acerbius futurum eſſet, quàm certamen ipſum formidoloſum: A' qua ſententia ſi me abduci uideat Cęſar, ab eo ſponſione me laceſsi non inuitus audiam, iuſto eum ſacramento mecum eo nomine contendere, manumq́ ex iure conſerere tabellis obſignatis uolo, eiq́ hic uadimonium polliceor, quod lubentiſsimè obibo. Sed quod ſubinde Cęſar declarauit nihil accuſandi, aut ſuggillandi mei cauſa ſe dixiſſe: neque dicta ſua ita uelle à quoquam accipi, quaſi omni pacis ſpe ſublata, iam claſsicum ueluti cecinerit: Ego uerò non minimam ea ex re uoluptatem me cepiſſe profiteor. Porrò hęc ſunt, beatiſsimè Pater, ampliſsimi Cardinales, & clariſsimi Legati, quæ apud uos commemorari uolui, nõ accuſatoriè, aut lædendi cuiuſpiam animo, ſed purgandi mei cauſa: utqúe omnes intelligant, quàm ego in publicæ pacis ſtudia,

» ſtudia, commoda reipublicæ, propenſiſsima ſim uoluntate, atq;
» omnem ad arma cum Cęſare deueniendi culpam à me ſemper ab-
» futuram, ſicut adhuc abfuiſſe perſpiciant: id quod omnes ſine ul-
» la dubitatione iudicaturos ſpero & confido, quicunque ſecum di
» ligenter reputauerint, ad quas ego me continendæ pacis ſtudio
» demiſerim conditiones. Ferunt Ioannem Bellaium legatum Re-
gium, cum exprobraret Cæſar Regi fœdera cum Solimano inita,
multis uerbis libere ei reſpondiſſe, fregiſſeq; ſummo Purpurato-
rum ſilentio Cæſaris faſtum. Illuſit deinceps nimia imperij pro-
pagandi cupiditas Carolo Cæſari. Exceptus Neapoli & Romæ
magnificè, incitatusq; Italorum uocibus, iam ſpe Galliam hauſe-
rat: triumphos Iulij Cæſaris meditabatur. Augebant ſpem un-
dique plaudentes Italiæ urbes. Nanque è Roma decedentem Se-
nenſes omni honorum genere profuſo exceperunt: atque eo loco
obuium habuit Ioannem Lotharingum Cardinalem, qui ad ſedã-
das controuerſias ad Pontificem mittebatur, atque is cum Cæſa-
re collocutus, non alienum à pacis conditionibus putabat: præ-
ſertim qui non ut purpuratum unum è multis, ſed ut Regem ab eo
ſe exceptum uideret. Inde Florentiam Cæſar perueniens ab Ale-
xandro Medice Florentinorum Duce, Florentinaq; omni nobi-
litate hilariter exceptus, Lucam peruenit. Vbi iterum è Roma re-
deuntem Lotharingum (quippe mutatis ſæpe iumentis redierat)
obuium habuit. Cæſar Forum Nouum, ille claſſe in Galliam
redijt. Ex Foro Nouo accito iam Germano milite, Hiſpanoq; in-
ſtructo exercitu pergere cœpit: Placentiam peruenit, obuiasq;
habuit Sabaudiani & Sfortiæ nuper fato functi uxores. Sabau-
diana mariti exilio ſuoq; mota, uariè in Gallum accendit Cęſarem.
Inde Mediolanum perueniens, conſilia omnia belli init, miſſo
Antonio Læua, qui Foſſanum urbem occupatam, ualido Gallo-
rum præſidio oppugnaret. Ipſe interea Aſtæ commoratus, op-
pugnationis euentum expectabat. Antonius Pratius Cardilacus,
cui Mompeſatio cognomen, Foſſanum præſidio ſepſerat. Læua,
immiſsis militibus, emiſsis ex urbe æneis tormentis, oppugna-
tionem eo deſerere die coactus eſt: admotis machinis ſequenti
die, cùm ſtrata muri parte facilem aditum ſuis putaret, maiore ui
opus uidens, diſtulit oppugnationem: interea tamen per ſtrages
iacentium, urbem ſeſe introiturum iactitans. Sunt qui addant (ſed
incerto authore) cùm iterum refecta mœnia ſtrauiſſet, ac ingenti
multitudine lignorum faſciumq; è uirgultis contracta, foſſas re-
pleuiſſet, Gallos ex urbe pice ſulphureoq; igni uirgultorum faſ-
cibus immiſſo luſiſſe eam oppugnationem: ſimul Mompeſatius
ad omnia intentus, globis æneis uariè Cæſarianos infeſtabat.
Læua ubi uidet uim fruſtra eſſe, ad pactiones uenit: liberum e-
xitum pactus cum omnibus ſarcinis prædaq;: quod Mompeſatio

D non

non placebat. Sed multi ſpe prædæ conſeruandæ; ad hæc nobiliſsimus quiſque ſibi ob ignauiam metuens, recipiebat eas conditiones. Etiam his conditionibus urbem Cæſariani recipiebant, niſi Sabaudiani uxor, quæ gratia apud Cęſarem multum ualebat, parentandum ſuis cæde Gallorum uoluiſſet. Quid enim, ſi alieni principatus inuaſores, qui primi oppugnati ſunt, præda onuſti in Galliam redeant, non auſuros eos in poſterum? ita iuſſus iterum Lęua urbem oppugnare. Etiam annona urbem deficiebat: & ſulphurei pulueris copia. Sed cùm edicto Mompeſatij ingens pretium addictum eſſet eis, qui ſulphureum puluerem in urbem inferret, repentè illatus in urbem ingens numerus; Quo factum eſt, ut Læua oppugnationem non tentârit: ad Cæſarem ſcripſerit, niſi his conditionibus urbem reciperet, futurum uti nunquam ea potiretur. Nam Capillatus quidam natus ex urbe, cui Villario nomen Tholoſæ proxima, ueluti transfuga exceptus, penuria annonæ non ſe quidem transfugiſſe, (nam ea abundare Gallos ſimulabat) ſed ob patratum facinus in Gallijs ſimulârat, quę cauſa fuiſſe uiſa eſt multis, uti mox Cæſar deditionis leges acciperet. Miſſo à Mompeſatio ad Læuam Ioanne Santiaſterio, cui cognomen Sanctimartino, qui & ipſe perbellè ſimularet; ad Frãciſcum ſe miſſum Salaſsiorum principem, ſciſcitatum uerène ad Cęſarem transfugiſſet: quę enim cauſa tot rebus Foſſano inſtructo? Vnde factum eſt, ut Læua ante Cæſaris aduentum cupidus urbis recipiendæ, pacis æquas conditiones propoſuerit, receptis tantùm equis maioribus, qui ipſi ut deditionis lex ſeruaretur menſi ſunt, intra octauum diem. Sed Læua in Mompeſatium & Gallicos multos proceres ea humanitate uſus eſt, equos ut his etiam maiores ſeruaret. Multi intra octo dies tritico frumentoq; equos maiores affatim pauerunt, detracto potu aliquot dierum. Cæſariani ignari doli, cum equis receptis potu eos ſatiari non uiderent, primùm admirati ſunt: mox fœda ſtrage multis potu nimio necatis, dolos ſenſere. Ad Cæſarem quidam profecti ſpirantem Galliæ excidium nacti ſunt, quippe aut ſeſe unum è Germanis miſerrimum, aut Franciſcum Regem unum è Gallis infimum futurum iratus dixerat. Suadebat Læua Cæſari, Taurinos oppugnaret. At Cęſar iam Galliam ſpe uorans, ſciens urbem munitam, neque Gallo paratas adhuc copias, in prouinciam Narbonenſem per Niceam ſibi properandum putauit. Ita pergit ualido inſtructoq; exercitu qui ex Germanis, Hiſpanis; Italisq; conſtabat: nihil ut neque ualidius, neque inſtructius noſtra ætate uiſum periti rerum æſtimatores contendant. Primam aciem ducebat Fernandus Toletanus Dux Albæ: ea robore Germanorum & Hiſpanorum conſtabat. Mediæ aciei præfectus fuerat Alphonſus Daualus. Equites cum flore nobilitatis ſequebantur duce Antonio Pymentelo proximo Cæſare.

Cæſare. Extremum agmen ducebat Ioannes Fernandus Mauricus: uelites excurſoresque attribuit Ferdinando Gonzagæ, qui magna celeritate copias prætergreſſus, infeſta omnia iam Gallis reddebat. His tantisque Cæſaris copijs ſeſe adiunxit Andreas Doria, cum ueteranis Italis aliquot militibus, è Genua profectus, unà cum Salernitano: hi Antipoli urbe prouinciæ expilata, Maſsilienſem oram infeſtabant. Ferunt Hiſpanos ceu ad certam prædam contendentes, Galliam ingreſſos, obuolutos genibus Cæſaris, proſtratosq; inuicem gratulantes uiſos Cæſari, qui agros Galliæ feracißimos uberrimosq; eis attribueret. Quaſi ſummo in imperio id eſſet æquius, quòd potentius. Et quò certior eſſet Galliæ inuaſio paratiorq; Cæſari: uno eodemq; tempore ea dum à Cæſare parantur, actis raptim multis Burgundionum Germanorumque millibus, Henricus Nanſous in Galliæ Belgicæ parte, quæ Cæſaris imperio parebat, Peronam urbem inuadere cœpit: ea capra Lutetiæ admoturum ſe copias iactitans, uel ſolùm cũ uictore exercitu, uel adiuncto Cæſare: cui uictori adiuncturum ſeſe copias palà ferebat. Simul eodem tempore cum Franciſcum Salaſſiorum principem ad Cæſarem transfugiſſe hoſtes uiderent, nihil niſi Galliæ excidium expectabant. Cæſar inſtructo exercitu properans obuiam neminem habuit, donec peruenit ad turrim, cui Domine cognomen. Ibi caduceatore præmiſſo qui denunciaret, ni ſe dederent extrema paſſuros, id tantùm audijt, deditionem ne expectaret: denique, pro fide ſeruituros. Itaque admotis machinis pediteq; Hiſpano, qui turris occupandæ curam receperat, toto die continuata oppugnatione, multis Hiſpanis cæſis, in quibus fuit Garſilaſſus Larzegus, homo rei militaris peritißimus, tandem arx ui recipitur. Qui in præſidio relicti erant, ferè omnes in oppugnatione necati, pauci atque hi ſaucij ſupplicio affecti. Inde uentum ad Aquas Sextias, eum locum attribuunt multi Aquenſi ciuitati, quam deſtitutam à Gallis Cæſar ingreſſus eſt. Rex apud Viennam conſilio de ſumma rei habito, ſalutaria eorum audiens conſilia, qui expectandos Heluetios & peditem Aquitanicum aiebant: ad quem ſcribendum Henricus Rex Nauarræ iampridem miſſus fuerat. Dum parantur copiæ, trahendi belli conſilia probauit: atque ut à tergo tuta omnia relinqueret, Franciſcum Marchianum & Philippum Dammartinum Comitem præfecit Peronæ, excepturos Nanſoum. Cæterùm imminens ei cura de Cæſare erat, quem nondum Auennionem Druentiamq; tranſijſſe ſciebat. Anna Mommorantius ſummæ rei præficitur. Ioannes Paulus Rentius Cabellionem mittitur, cum delecta equitum peditumq; manu. (hunc locum Cabelliorum coloniam ueteribus fuiſſe prodidere.) Ianus Caraciolus Melphitanus princeps, & Ioannes Boneuallius Arelatum: Antonius Pratius Mom

 peſatius,

peſatius, & Antonius Rupiſocaldius, cui Barbeſio cognomen, Maſsiliam. Caſtra non longè ab Auenione poſita: ubi & Heluetiorum & Germanorum, & Aquitanorum cum Franciſco Calmontio Lauſuno, Narbonenſium Gallorumq́ plus quàm triginta peditum millia, equitum lectiſsimus numerus appulit: Summo ordine à Mommorantio locatæ copiæ. Caſtris locus is delectus, quem neque Cæſar ut expugnare, & ſitus munitione & militum robore deterritus, neque eo à tergo relicto latius uagari audebat. Igne ferroq́ prouincia uaſtata à Mommorantio: ſi quid uſui hoſti eſſe poſſet, corruptum: ſterile ac inops ſolum & uacuum relictum: ficus & uineas aiunt ſummo conſilio minimè corruptas famelico & egenti hoſti, ut ad cibum in præſens collaturas, ita expleto ac ſub dio recumbenti parum ſalubres. Quòd ſi Cęſar nondum accitis à Gallo auxilijs Auenionem occupaſſet, multo omnia Gallis duriora futura creditum eſt. Accidit, ut Monteianus & Boyſius & Ioannes Boneuallius, qui paulò antea miſsi erant, ad ludificandos hoſtes, uariè Cæſarianos exciperent. Ferdinandus Gonzaga, cum mille quingentis leuibus equitibus Tranſium arcem occupans, cum Monteianum & Boyſium uico quodam proximo excubare audiret, eò mox aduolans, & Boyſium, & Monteianum multis necatis captos abduxit. Boneuallius uicum ſciens, parum aptum ad hoſtem repellendum, eadem nocte longius ſeceſſerat. Interea Cæſar ad aquas Sextias rationem inibat, ſi quo tandem pacto pontem ædificans Druentiam tranaret. Sed cum obnoxium ſe Gallorum incurſionibus uideret, conſilium abiecit. Et paucis poſt diebus, cum molas circa Druentiam ædificaſſet, ob tantas copias alendas, Paulus Rentius è Cabelione cum delecta Gallorum manu prodiens, molas deiecit: iamque aduentante Gallico equitatu, prodeuntibusq́ Hiſpanis, aliquot horis, uarijs excurſionibus decertatum eſt, non ſine hoſtium cæde, multis etiam Hiſpanis captis. Ante aliquot dies Turnone occubuit Franciſcus Valeſius unus è Regijs liberis, maximus natu, regno ſucceſſurus. Veneno ſublatum multi credidere, idq́ paſsim tota Gallia uulgatum. Rex ipſe literis ad Germanos ſcriptis, tam execrandi facinoris adminiſtrum fuiſſe Sebaſtianum Monticuculanum Comitem ſcripſit. De eo ſupplicium apud Lugdunum ſumptum eſt: isq́ ab aulico concilio damnatus eſt. Hunc prodidere in ipſo articulo ſupplicij, & priuatim & publicè profeſſum, authores ſibi fuiſſe patrandi huius facinoris Antonium Læuam & Ferdinandum Gonzagam: ſeq́ue primùm à Ferdinando multis oneratum promiſsis, quò tollendos uiros aliquot primarios ſuſciperet, ad Cæſarem eſſe intromiſſum: à Cæſare eſſe rogatum de regij cibi & potus ratione: ad Antonium Læuam, ut quæ ille imperaret exequeretur, miſſum: Læuam ut Regem primum,

& ex

& ex ſuis aliquot ueneno tolleret mandaſſe. Cæterùm Cęſarem nihil grauius toto eo bello accepiſſe aiunt, quam huius facinoris in ſe relationem: palàmq́ꝫ conteſtatum, maluiſſe ſe toto prius priuari imperio, quàm uel leuiſsimam rationem talis ueneficij adornandi inire. Franciſco adoleſcenti tollendo ecquid ueneno opus fuiſſe, qui grauiſsima æſtate è Turnone longiſsimè uagatus, æſtu ſitiq́ꝫ exagitatus, medioq́ꝫ in itinere identidem hauſtu aquæ refrigeratus fuerit, qui & aulicarum amore arderet: alioqui magnæ indolis, ingenijq́ꝫ ad rem militarem paratiſsimi. Cæſar interea Arelatum obſidere parabat: ſed diſſuadente Læua dilata oppugnatio. Ibi inter oppidanos & milites ingens orta ſeditio, quam multi à Ioanne Arſaco Aquitano excitatam uolunt, ob coniectos in carcerem aliquot gregarios milites, qui Italos aliquot Regi militantes obtruncârant: uix à Ioanne Carmalio, cui Fuxeo cognomen, Aquitanorum peditum præcipuo ductore milites temperarint. Vincti impetu facto liberati ſunt: ob quæ parum abfuit, quin de milite ſeditioſo ſupplicium ſumeretur. Arſacus & plerique alij ni fuga ſibi conſuluiſſent, malè mulctati fuiſſent. Eodem loco idem Fuxeus igne ex ſulphureo apparatu temerè concepto peruſtus, magnum adijt periculum: uixq́ue tandem obiecta chlamide, beneficio militis ſeruatus eſt. Iam Cæſarianos annona deficiebat, fœda lues ſtragesq́ue hominum & equorum: id Cæſar intuitus Maſsiliam obſidere cœpit. Egreſſo è caſtris Cæſare, obuiam undique Gallici equites excurrentes, acriter cum Cæſarianis pugnam inierunt. Sed acciderat priori die, ut egreſsi aliquot Gallici equites, in quibus fuere Gaſpar Polignacus Regius, Philippus Lanus Roccechalius, Gaſto Riuerius Aquitani, excepti ab equitatu Cæſaris circuirentur. Itaque uulnerato Philippo Lano, dum ſeſe noſtri recipiunt, mixti hoſtes in urbem ferebantur, ni & Galli portis excluſi fuiſſent. Lanus paucos poſt dies ex uulnere obijt. Sed Cæſar, qui ad Fanum Lazari properabat, cùm emiſſa ex urbe machina proſtratum, unum è pueris ſuis aulicis uiderent, ne uiſa quidem urbe, obſidionis conſilium ſepoſuit. Interea & Margareta Valeſia Regina Nauarræ, & Rex in caſtra peruenêre, acclamante milite educeretur in hoſtem. Et planè conſtat, non alias inſtructiores uiſas copias, non paratiores ad dimicandum. Tot exteræ nationes ea concordia fuere, nihil ut auditum, ſi quod ullum commoueret: niſi quòd inter Aquitanos & Heluetios, ob uina intercepta leue certamen, ſed prudentia ducum mox ſopitum. Veritus Cæſar ne inſtante iam hyeme opprimeretur: ad hęc conſternatus Antonij Læuæ morte, admonito raptim milite, uaſis minimè conclamatis, pręmiſsis antea machinis bellicis maioribus, inde ſeſe per Niceam & Villamfrancam proripuit. Ipſe è Villafranca Genuam contendit. At

dit. At Ioannes Carbo, cui Mompeſatio cognomen, & Ioannes Paulus delecto equitum robore extremum agmen carpebant. Multis quos metu fugientes morabatur, necati, excepti multi uiarum ignari, ſauciorum multi à ruſticis ipſis obtruncati: maior tamen pars exercitus ſalua redijt. Ex eo tempore Mommorantius ſumma gratia apud Regem flagrare cœpit: aliquot poſt menſes Magiſter equitum à Rege renunciatus. Quò Cæſar celerius abiret, factum eſt etiam Regis prudentia. Nam is ad Cæſarem Fulgoſum ſcripſerat, daret operam collecta quanta poſſet militum manu, res Genuenſium tentaret: ita apud Mirandulam à Guidone Rangonio collectis hominum octo millibus, quibus adiuncti ſunt Canis Gonzaga, Fedcrici Boij Gonzagæ nepos, & Fulgoſus, latè agros Cæſarianorum populati, non longè ab Alexandria illi perueniunt. Ergo fugam meditans Cæſar, ad Fulgoſum opprimendum pręuerti commodius ratus, leuem armaturam pręmiſit, naualesque copias Doriæ, ut improuiſæ hoſti ſuperuenirent. Iam Fulgoſus Genuam oppugnabat, iam uexilla Gallica fixerant mœnibus ferè occupatis, cum repentè aduentu Doriæ & Cæſarianorum, partam ferè urbem deſerere coactus eſt: admonitus etiam à Gallis inſtare Cæſarem cum totis copijs. Ita & Canis Gonzaga & Fulgoſus cum Rangonio obſidionem ſoluerunt. Cæteri proximos montes occupare, nequicquam ſequentibus Cæſarianis. In multos Genuenſes, qui conſcij putabantur urbis Fulgoſo regio nomine tradendæ, uariè quæſitum: multi damnati, multorum bona publicata. Sed & Fulgoſij & Canis aliorumque diſcordia, magno impedimento fuit ad res accelerandas. De Franciſco Salaſsiorum principe, qui hoc bello pro transfuga à Gallis traductus eſt, uariè proditum eſt: at duces Gallici initio ſuſpectam eius fidem habuere: & Michael Antonius Salaſsiorum princeps, fratris iunioris animum à Gallo auerſum ſæpe conquæſtus eſt. Is Cæſare in Gallos aduentante cum Iohanne Villebono, Mompeſatio, Tiercelino, Ioanne Sanctiaſterio deliberat, adueniente Antonio Læua, commodius ne ſit, uel Ceuilanum, uel Conium, uel Foſſanum præſidio immiſſo tueri: quippe diſtrahi copias inutile uidebatur. Placuit deligi Foſſanum: nam & arx urbem mutiorem reddebat, & propugnacula quædam. Decretum eſt uti Mompeſatius, Villebonus, Franciſcus Salaſsiorum princeps, in urbem introeant. Sequenti die cùm hi introijſſent, excepto Franciſco, de quo iam illi dubitabant, miſſus eſt ad eum Ioannes Sanctiaſterius, is cuius ſuprà meminimus, cui Sanctimartino cognomen. Hic ad eum perueniens, meditantem altaque ſuſpiria trahentem nactus, ſe miſſum ait à Mompeſatio ecquid placeret Foſſanum, uti decretū erat, tueri, paratos reliquos, multū ſpei in eius aduentu conſtitutum. Ille attonito ſimilis, Mihi uerò ait com-

„ ait commodius, ſi Conium tueamur. Sed hæc preſens mox doce„ bo: Nec plura locutus, ſequenti die ad Cæſarem ſe proripuit. Ab Antonio Læua ad quem poſtea dum Foſſanum obſidetur, Sanctiaſterius miſſus eſt, apertè ſibi renuntiatum aiebat, toto prius biennio quæſiiſſe Salaſsiorum principem occaſiones ad Cæſarem tranſeundi. Alij indignatum, quòd pro regis nomine abrogato, Cabotio parère cogeretur: ſimul ſeductum à Læua, qui ei nuptias conciliabat, per quas Monferratenſem principatum Cæſar ei redderet, ad Cæſarem aiunt tranſiiſſe. Quo tempore Cæſar relicto Thurino per Niceam in Galliam inuaſit, Thurino præerat Claudius Ennebaldus prælatus à Philippo Cabotio Monteiano, qui & ipſe urbis cuſtodiam affectarat: prudenſquè fuit conſilium Cabotij, qui ubi Lotharingum ad Cæſarem proficiſci uidit, ad pacis tentandas conditiones, mox Thurino muniendo quà propugnaculis extruendis, quà foſsis, quà aggeribns totus incubuit. Ibi Liſtenaius uulnere accepto, & brachio comminuto in excurſione militari, poſt aliquot dies deceſsit, qui magnam ſui concitarat opinionem. Cæſare Genuam reuerſo, tentatæ ſunt pacis conditiones, at fruſtra. Is deinde in Hiſpaniam redijt, relicto Alphonſo Dauałlo Mediolani. Is mox collectis Hiſpanorum Italorumquè copijs, nouas res moliri cœpit. Principio Quierſium urbem oppugnare fruſtra cœpit: mox auctis copijs rediens, urbem deditione facta recepit: inde Daluam peruenit, quam & recepit. Id Galli intuiti, parte alia aliquot & urbes & caſtra expugnauere. At Daualus ſuos hortatus Queraſum obſedit: præerat oppido Cæſar Fulgoſus. Poſt aliquot dierum oppugnationem, multis cæſis, in quibus fuit Liuianus Bartholomæi Aluiani filius, Fulgoſo inde cum ſuis omnibus ſaluo emiſſo, urbs ab hoſte recepta eſt. Nec ceſſabat interea Salaſsiorum princeps Franciſcus, qui nuper ad Cæſarem transfugerat: iſquè Quarayum interea Gallis extorſerat: atque ita utrinque accenſi ſunt, ut media hyeme acrius bello urbibuſque oppugnandis incumberent. At ea æſtate qua Cæſar in Galliam peruenerat, in Belgica Gallia minus ei ex animi ſententia res cecidere. Nanque Henricus Nanſous, quem Anaxonenſem Comitem uocabant, cum uiginti quinque hominum millibus, ſex equitum millibus, qui ex Menapijs ac Cliuenſibus contracti erant, cum Cæſari uictoria circa Lutetiam occurrere ſe putaret, falſus eſt. Id Regis induſtria factum, qui antequam Cæſari occurreret, ualidis præſidijs omnia loca ſepſit, adhibitis ubicunque ſtrenuis hominibus. Circa Morinos Bernulienſem Canaplium è Crequiorum familia: ad Montrolium ipſum Crequium: ad Dompierrum Mihernam: ad Dourlanum Bouchanneum, conſtituerat: Borbonio Vindocinenſi, & Claudio Lotharingo Guyſio ſumma imperij tradita: uiderent, agerent, ne quid toto eo tractu, cui Picar-

diæ & Campaniæ nomen inditum eſt, hoſtes nocerent. Sed hi cum exiguis copijs occurrere hoſti non poterant, tantum extremum agmen carpentes uariè eos infeſtabant. Nanſous inſtructo exercitu gradiens ubique prædam abigebat: incendijs omnia fœdabat: Tupignium arcem, cæſis qui in præſidio erant, recepit. Arcis cuſtodem (quando locum extra militarem diſciplinam aſſeruarat, nam ita militari diſciplina uolunt cautum, quaſi ceteræ res parum gratæ in bellis ſint aut piæ) ad portam arcis necauit. Ad Guyſiam mox urbem perrexit, (ea eſt hodie munitior) deſertam urbem occupauere expilatis omnibus, ut & Ribemontium. Mox ad Fanum Quintini peruenit: (id alij Sancto quintinum uocant) nactuſque ſitum urbis & audaces oppidanos, & qui intus in præſidio erant ad Peronam perrexit. Lacus parte una ingens urbem alluit: urbs modica, arx paruula, turris potius quam caſtri nomen retinens: ſed cincta mœnibus ſatis ualidis, quæ foſsis quas aquæ alluunt, cinguntur. Expugnata Perona non difficilis uia ad Lutetiam patebat: idq; Rex intelligens, Marchianũ & Philippũ Bolãuillieriũ, cui Dãmartini comitis nomen paſsim inditũ, homines probatę fidei & rei militaris peritos urbi prępoſuerat, cum duobus peditum millibus, quibus Sarcuſus & Saiſſeuallus præerant. Sæpe hoſtes poſt quaſſata mœnia in urbem irruerunt ſemper pulſi: ut pluribus locis cum impetũ facerent, multum laborandum fuerit ducibus, ne quid urbi accideret. At oppidani ipſæq; mulieres ultrò militum munere fungebantur, murus deiectus: latè multi tormentorum impetu diſcerpti, ut accidit Taſteo Burdigalenſi. Nanſous ubi uim malè uidet ſuccedere, cuniculis caſtrum tentat adoriri. Sed ea in re contrarijs actis cuniculis opera & induſtria Dammartini, inanis eius fuit conatus: exitioſaque nimia induſtria & cura Dammartino, qui intra ipſos cuniculos proruens, magnum ſui deſiderium reliquit. Ita poſt longum tempus ſoluta obſidio eſt. Ciues ob ſtrenuam operam, tributis in aliquot annos à Rege liberati. Laudatur ea in obſidione uirtus & ſcribæ Peronenſis, & lanij cuiuſdam, qui Cæſarianorum impetum ſoli ſuſtinuerunt aduerſus innumeros, dum interea Gallici milites imparati adcurrunt. Sed & commendatur Claudius Lotharingus Guyſius, qui cùm omnes aditus armati hoſtes obſediſſent, trecentis militibus immiſſis obſtupefactos ac perterritos Peronenſes recrearit: equites quidem Franciſci, ſtrato muro, corpora negauere ſeſe obiecturos hoſti: Itaque ciuibus ipſis hæ partes ſuſcipiendæ fuere. Eodem tẽpore Domirius unus è Cæſarianis, ex multis copijs quæ Hiſdini erant, apud Cæſarianos lecto fortiſsimo quoque Fanum Requierij uicinum intercipere conatus eſt. Intromiſsi mox ibi centum pedites: ſed hoſtis recens parum aberat quin ui perrumperet. At mulieres ipſæ pice aquiſque calidis & feruentibus admotis,

mœnia

mœnia ſcandentes uiris admixtæ, ita uirorum officio functæ ſunt, ut re infecta multis cæſis redire coacti ſint. Sed & à mulieribus uirili habitu dimicantibus, extorta hoſti duo uexilla. Alter ex Cæſarianis Regnauillus, cùm in Bononienſem agrum uicinum incurriſſet, Deſuernenſem uicum cum caſtro expugnauit. At Odoardus Bieſius qui Bononiæ præerat, acceleratis nocte itineribus, cum lectiſsimis copijs aduentans, ſepſit recumbentem cùm ſuis Regnauillanum. Itaque cùm locus eſſet inutilis ad uim experiendum, admouerenturque machinæ, qui ſe uictorem crediderat uictus eſt: ipſeque captiuus cum ſuis omnibus Bononiam abductus eſt. Cognita hoc bello Bieſij uirtus, quem & Rex prius in conſilium uocarat, deliberaturus quo pacto Cæſari occurreret, atque is poſt aliquod tempus tribunus militum deſignatus eſt. Eadem hyeme, qua ſuprà Daualum multa moliri docuimus, Iacobus Scotorum Rex in Galliam ueniens, magnificè exceptus eſt. Data eſt ei in matrimonium Margareta Regis filia: quæ poſt aliquot menſes in Scotiam perueniens, inſigni mulier uirtute, extincta eſt. Nuptiæ Lutetiæ ea pompa celebratæ, quaſi una ea cura Regem maneret, cùm interim in Pedemontanorum finibus Daualo occurrendum potius fuiſſet. Sunt tamen circa id tempus Centrones, quos Tarantaſios uocant, è Franciſco Borbonio Paulino Comite, & Gulielmo Fuſtembergo ui expugnati, prædaq; ingens abacta: ubi etiam Federicus Fuxeus Candalius Comes adfuit. Fuerant autem Gallici equites ab ijs ſæpe direpti, in quibus & aliquot ex alis Maugironi. Conflanum eorum oppidum tum miſerè incenſum. Sunt & apud eoſdem duo fana, Fanum Petri Moſterij Fanum Iacobi Montani. Poſterius hoc fanum, quod & oppidi nomen retinet, munitum poſtea eſt à Gallis: quo & lacus uicinus & amnis præterfluit. Conflanenſes in Maugironi militum ferociam, quaſi fuiſſent omni diritate teterrimi, multa poſtea effudere. In eius loci oppugnatione laudata eſt ſolertia Zachariæ Caſtetiaci, qui in lacum mento tenus progreſſus, hoſtes globulis fiſtula ferrea emiſsis feriebat. Carolus Conſius Aquitanus ex Santonum nobili familia, tum Thurino præerat: huic Burio uulgarius cognomen eſt. Certior factus Caſale minus diligenter aſſeruari, incitatuſque ciuium aliquot promiſsis, qui ægrè Mantuanum in urbem tum aduentantem excipiebant, frequentes milites ſilentio noctis educit. Galli, ſigno dato, celeriter occupant urbem: ut Hiſpani cuſtodes qui caſtrum munitiſsimum præſidio tenebant, uix ſe è Gallorum manibus eriperent. Salui tamen caſtrum, quod ab urbe ſeparatum eſt, urbeque ualidius, ingreſsi, per Mantuanum, Daualum, qui tum Aſtæ militem reficiebat, certiorem de urbe capta faciunt. Is integra nocte cùm ſeptem aut octo hominum millibus, nec uẽtis nec imbribus deterritus, eò

mox aduolat: ſenſere Galli hoſtium aduentum, ex urbe ne prodirent deliberatum eſt: nam auxilium expectare ſe Burius aiebat ab Guydone Rangonio, qui author urbis intercipiendę fuerat. Committitur tota urbe prælium ipſo Burio acriter dimicante, leuibuſque aggeribus ut tempus poſtulabat diductis; Poſt longum certamē uicti Galli; multi capti; ex captis multos aiūt liberaliter dimiſſos. Ipſe Burius captus, eo prælio fortitudinem militis, & prudentiam ducis oſtentans. Nam ſi perculſis Gallis Daualus inſtitiſſet, haud dubiè Thurinum in ſummum uertebatur diſcrimen. Diuerſo euentu à Cæſarianis parte alia pugnatum. Nam cum Franciſcus Salaſsiorum princeps Carmagnolam urbem intercipere pararet; etſi numero Cæſariani ſuperiores erant, loco tamen freti Galli, irruentes multis cæſis depulere: Rauellum quoque tentantes, pleriſque deſideratis inde ſeſe proripuere. Ea urbs ſita eſt loco plano: arx eo tempore non admodum munita: ipſe cum duabus machinis qua parte ſitæ ſunt arcis portæ cum murum ſterneret, & minus aptè uideret tormentorum magiſtrum ictum dirigere, tormentum ipſe ſuo loco diduxit, directurus ictum quà commodius uidebatur. Dum hæc tentat, pila plumbea circa humeri partem ſuperiorem ictus concidit, haud ita longe à materna domo. Annus agebatur milleſimus quingenteſimus triceſimus ſextus, cùm ad Ambianum contractis lectiſsimis copijs, ubi cum decem Germanorum millibus Gulielmus Fuſtembergus Comes adfuit, & Anna Mommorantius: deliberauit Rex in Belgicam Gallicam progredi: adfuerunt pluſquàm triginta peditum millia, equitum ſeptem. Cum his copijs Rex progreſſus; Auchium mox expugnauit, deditione uoluntaria loco recepto. Inde Hiſdinum contendit. Vrbs mox impetu facto, cum Cæſariani deditionem recuſarent, expugnata eſt & direpta. Cæſus tamen in oppugnatione Dunchius, & Helius uulneratus, ambo rei militaris habiti non imperiti. Cæſariani ſeſe in arcem uicinam recepere ſanè quam munitiſsimam. Admotæ machinæ nihil proficiebant: rari inueniebantur, qui ſe ad eam inuadendam accingerent, ob perpetuum ſtrepitum hoſtilium machinarum, à quibus multi paſsim proſternebantur. Vnus tamen inuentus Brondaſius Cauderoto uico Aquitanico in Vaſatium præfectura natus, qui conſtantiſsimè murum ſubiēs, impetitus pluſquàm mille leuibus machinis ſaluus redierit, & ui expugnari poſſe locum docuerit: ob quæ à Rege multis mox ſit donatus muneribus. Circa prata uicina erat turris ingens arci imminens. Iam multos dies fruſtra Rex conſumpſerat: aderantquè à Britanniæ Rege legati qui eum admonerent, locum eſſe naturâ inexpugnabilem, ob quę iam rumor percrebruerat totis caſtris ſoluturum Regem obſidionem. Redibat tum è captiuitate Cæſarianorum Carolus Coſſius, cui

Burio

Burio cognomen: atque is à Petro Nauarro edoctus, in cuniculis agendis multum ſolertiæ comparaſſe uidebatur. Huius conſilio, ea turris, quam diximus cuniculis actis, proſtrata eſt aliqua ex parte. Simul per biduum admotæ machinæ ad aliam turrim, quæ diui Chriſtophori nomen retinet. Quæ dum Cæſariani uident, ac iam apertum ad irruptionem locum, diffidere ſibi cœperunt. Caſtrenſis qui à Rutio miſſus loco præerat, ad Regem de deditione acturus uenit cum alijs Cæſarianis. Conuenit uti ſaluis omnibus & rebus & impedimentis illi abirent. Ita locus receptus munitiſsimus: quem quidam ui expugnari primum potuiſſe, alij, niſi ſibi hoſtes diffiſi uoluntariam deditionem feciſſent, inexpugnabilem uolunt. Receptus autem eſt menſe Aprili milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo. Rex arci Sarcuſum præfecit, & Pienneum, attributis ei duobus peditum millibus & aliquot equitibus. Comes Sanxerrius iunior in eius oppugnatione cæſus eſt, & Pombrianus Spurius. Inde ignobilibus aliquot locis receptis, Fanum Pauli ab hoſte relictum Rex munire cœpit: id paſsim Sanctopaulinum uocatur: loco munito Ioannem Toteuillanum, cui Villebono cognomen, cum Moyencurtio præfecit: his attribuit peditum duo millia, eorum qui militabant ſub Martino Diuetotio, Renato Sanctiaubino, & Salleo. His ita conſtitutis, cum Bethuni oppugnatio, uicinarumque aliarum urbium difficillima uideretur, Rex in Galliam diſſoluto exercitu redijt. Interea Cæſariani inſtructo exercitu (cui Comes Bureus, Darſcotus, Aurengius filius Anaxonenſis Comitis, Deſpinogus, Rentius interfuere) cum triginta peditum, ſex equitum millibus paſsim uaſtare Galliæ fines cœpere: & uidentes Fanum Pauli parum munitum, eò mox adcurrerunt, toto triduo admotis machinis quaſſatæ ſunt munitiones: impetus ſæpe in urbem factus. Gallici duces occurrere, modò hoſtem pellere, modò tanta multitudine fatigati, loco parum fidere. Tertio die eo impetu hoſtes in urbem irruere, ut poſt aliquot horas ui loco potiti ſint. Moyencurtius cùm diutius impetum eorum ſuſtinuiſſet, unà cum fratre multiſquè alijs cæſus eſt: Salleus ita uulneratus, ut poſt paucos dies occubuerit: Villebonus captus eſt. Hoſtes, Fano pauli direpto, Hiſdinum ueniunt, ueriti tamen loci munitionem, Montrolium contendunt. Canaplius è Crequiorum familia maior natu, eò mox miſſus eſt cum aliquot equitibus, & ſexcentis peditibus: urbs uaſta maiorem numerum deſiderabat. Illi inſtare, admouere machinas, excidium urbi minitari. Itaque deditione facta, conuentum uti ſaluis omnibus urbs dederetur. Leges fœderis hoſtes uiolantes, & expilarunt Gallicos milites, & urbem diripuere: nec contenti, urbem igne paſſim tectis immiſſo deleri uoluere. Ita urbs fœdo incēdio conſumpta. Tētauere hoſtes Dampierreū arcem, cui Miherueus præerat expugnare:

expugnare: at fruſtra multis amiſsis rediere, uico prius expilato. Rex interea ad nouas ſcribendas copias Henricum filium, & Annam Mommorantium Ambianum miſit: ubi quotidie nouæ copiæ conueniebant. At Cæſariani Morinorum urbem Tarauennam adorti, ualde in expugnanda laborabant. Præerat Morinis Bernulienſis Crequius è Canapliorum familia: iam quaſſata parte mœnium irruptionem minabantur. At Crequius ubique occurrere, lapſa reficere, aperta aggeribus factis, admotiſque uirgultorum faſciculis, & ſulphureo puluere, ita hoſti obſtare, nihil ut minus quàm de irruptione cogitarent: & machinæ bellicæ ita emittebantur ex urbe, ut ſtrages hoſtium non leuis fieret. Et iam obſeſsi integrum menſem obſidionis incommoda pertulerunt, nihilominus fatigati: tantum Bernulienſis Delphinum, qui apud Ambianos erat, admonuit, ſulphureum puluerem omnem iam conſumptum: daret operam ut in urbem intromitteretur, alioqui periculum eſſe ne hoſtes ui loco potiantur. Diu deliberatum eſt quid agendum eſſet. De conſilij ſententia Claudius Ennebaldus cum lectiſsimis equitum turmis, peditibus trecentis, quibus Brandaſius præerat, curam ſibi ſumpſit cum ſacculis breuibus ſulphureo puluere onuſtis, quos ſinguli & equites & pedites ferrent, in urbem introeundi. Nec mora, ut deliberatum eſt, fruſtra hoſte iter impediente, in urbem peruenit. Recreati eius aduentu oppidani, præſertim cùm à Delphino maximas quotidie ſcribi copias oſtenderet, quæ ſoluere hoſtes obſidionem cogerent. Brandaſius cum ſuis in urbe relictus eſt. Hoſtes ignari eiuſce expeditionis, arbitrati id quod erat futurum, ut redirent in caſtra Gallica, qui eò contenderant, diligentius uias ſepſere: quod in tanta multitudine non difficile illis fuit. Itaque redeuntem Ennebaldum cum ſuis intercepere, captiuumque abduxere, cum Honorato Sabaudiano, Pienneo, Hugeuilleo, Ludouico Præpoſito, cui Senſaco cognomen, & multis alijs. Interea cùm Delphinus cum lectiſsimis copijs adeſſet, actum de concordia. Ea ad Bomium inita eſt, uſque ad decimum menſem, non tamen ut commearent utrinque mercatores: tantùm ut utrinque interea bello abſtinerent. Ita è Morino illi abiere. Ennebaldus deinceps gratia apud Regem multum ualuit: deſignatuſque tribunus militum, liberatuſque è captiuitate. Hunc ſaluum redire potuiſſe alij aiunt, cùm è Morino profectus eſſet, niſi adoleſcentes aliquot rei militaris ignari, ultro hoſtes excitaſſent, occaſionemque ſequendi dediſſent. Ioannes Bertrandus præſes Pariſienſis, cum prius in Germaniam miſſus eſſet, tunc in urbes Allobrogum ſeditionum incendijs flagrantes. Regio nomine ueniens, humanitate ſua flexit, reuocauitque ad officium ruentes. Sic enim imperium temperabat, humanitatem grauitati miſcens, ut illis non ingratus dominatus Franci-

cus ui-

cus uideretur. Hæc ideo adſcripſi, quando ſemper illud M. Catonis probaui, qui præclarius ſcripſit manſuetudine & innocentia imperatoris, quàm ui militum prouinciam conſeruari. Paulò antea in aulam perferebantur quotidie triſtiores rumores de Frãcis pulſis: qui quanquam ſine authore eſſent, non deerant tamen qui mox eos exciperent, & ſcriptis ex aula literis undique diſsiparent. Id edicto coercitum, latiuſque Rex fuerat prohibiturus, ni à Petro Caſtellano ueteris hiſtoriæ fuiſſet admonitus, quà id prohibentes Amyclæ ſilentio feruntur periſſe. Ipſum Bertrandum eodem tempore factione quorundam ad Cambreium Allobrogum urbem narrant ab hoſte unà cum urbe interceptum. Sed cùm aduentare copiæ Regis narrarentur, placatis etiam & emiſsis hoſtibus, induſtria illius & liberalitate, ſeruatam urbem. Circa ea tempora Humerius Albam in ditione Monteferratenſi hoſti ademit, & Cheraſcum. A Buſco oppido ſubmotus eſt, ita repente ut panico terrore oppreſſum multi crediderint: alij id in Conij oppugnatione accidiſſe aiunt. At Alphonſus Vaſtius, quem & uocant ab auunculo Daualum, interea in Pedemontanorum finibus, poſt Quierſium expugnatum, multaque alia loca ut ſuprà oſtendimus, paſsim agros populari cœpit: unde annonæ inopia laborare Gallos erat neceſſe. Et quando Humerium, qui è Thurino in Galliam peruenerat, redire cum expeditis copijs fama erat, itinera ita ſepſit, aditu ut urbis prohiberetur. Id Boutierius intuitus, cùm progredi arduum, & tueri urbem ſalutare uideret Galliæ, priuato conſilio cum delecta militum manu Thurinum ingreſſus eſt: ciuiumque animos ob annonæ inopiam territos, ſolatus eſt. Irritus erat Dauali labor in oppugnando Thurino, & Pignerolo: itaque tentabat fame ad deditionem urgere. Rex à ſuis admonitus quo ſtatu res eſſent, contracto ingenti exercitu, præmiſſo prius Henrico Delphino & Anna Mommorantio, expeditioni ſe adcinxit. Hoſtes eius aduentum ueriti, Suſam mox urbem reliquere, quam occupabat Cæſar Neapolitanus. Vaſtius inde Moncalerium peruenit, deliberans eo loco Regem expectare. Rex Taurinum (quod uulgò uocant Thurinum) profectus, magnificè excipitur. Caſtrum quoque Vilanum, quod ingenti præſidio Cæſariani munierant, ui expugnatum eſt: multis dum Burius agit cum præfecto de deditione, parte alia irruente à Gallo receptum. Inde Moncalerium pergit: eius aduentu non expectato, urbe hoſtis ceſsit, omni re inſtructa: ac urbes finitiſsimas præſidijs munijt. Dum Quierſium ſe recepit Vaſtius, ſequentibus Gallis ita dimicatum eſt, ut Rex pugnam expectarit. Sequenti die actum de inducijs: hæ à Rege in tres menſes conceſſæ: inſtante hyeme, cùm ſciret & Quierſium & uicina alia loca egregiè munita. Vaſtius pactis inducijs, ad Regem ſalutandum

profectus, amiciſsimè excipitur: eiq́ue omnem ſuam operam detulit, in perpetuæ pacis conditionibus cùm Cæſare ineundis: quæ iam apertè utrinque tractabantur. Hyeme quæ ſecuta eſt, conuenere Regum oratores ad Leucatam: nec tamen pacis conditiones utrinque placuere. Tantum dilatæ ſunt in æſtatem proximam cùm Pontifex Niceam uenturus eſſet. Menſe itaque Iunio, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, cùm Cæſar non longè à Villafranca ueniſſet, Pontifex autem Paulus cum cœtu purpuratorum Niceam, Rex ad Pontificem uiſendum profectus, benigniſsimè excipitur, parata extructaq́ temporaria domo quæ in ſpeciem caſtri nobiliſsimi eſſe poſſet. Eò Rex cum Pontifice uenit, comitatus aulicorum turba, & Gulielmi Fuſtembergi militaribus Germanicis turmis: iterum ad Pontificem atque iterum etiam profectus. Ad Cæſarem qui intra myoparones ſuos bellicos, ripæ proximos deſidebat, Eleonora Regina ſoror, cum turba aulicarum profecta, ponticulo fracto riſum mouit Cæſarianis, qui aulicas aliquot repentè conſternatas ipſi aquis circunfuſi metu liberarunt. Hoc eodem anno menſe Nouembri annonæ caritate uexata Aquitania, & grauius propoſito edicto Regio, quo genus id nummi, quo Aquitania abundabat, uelut parum iuſti ponderis ſublatum eſt: uulgus id genus nummi uocabat Vaccas Biarnenſes: percutiebatur enim ad Morlanum oppidum, & alijs Biarnenſis præfecturæ locis. Inſigne huius nummi Vacca, gentilitia inſignia Biarnenſium & Fuxeorum procerum, qui tum illis imperabant. Multi qui ſinceros nummos è Burdigala, totaq́ue ipſa Gallia exportabant, inde quæſtum ingentem nacti, relatis nummis minus probis iudicio ſenatus damnati: & coacti ſincera, iuſtiq́ue ponderis pecunia enumerata plebeculæ, quæ hiſce Vaccis abundabat, nummos alios permutare. Tot propoſitis edictis Regijs, nummaria res nunquam conſtitui potuit, ut nobis quidem Francis Mario Gratidiano opus ſit, quem C. Plinius Romæ inſtituiſſe ſcholam probandi nomiſmatis ait, ut ægrè fallere poſſent adulteratores nummi: tam iucunda plebi lege, uti Mario uicatim ſtatuas dicarit: quanquam ſunt apud nos & collegia huiuſce rei, & iudices innumeri. Principio huius belli cum Georgius Monlucus ſcripſiſſet, pedites educturus eos in hoſtes, fratriq́ue educendos commiſiſſet, ij in oppidum Albigiorum, cui inſula nomen, peruenientes, cum moleſtè ferrent aditu ſe oppidi à ciuibus arceri, in oppidum peruenere: Libidine matronas uirgineſq́ue polluêre. Vnde proſcripti omnes poſteà à Rege, cum & iunioris Monluci precibus nullis adduci potuiſſent, quin ſecus atque in hoſtico prędarentur. Sic exitu poſterioris belli à Bernardo Deueſo conſcripti pedites, ad Monrauellum uicum Petrocoriorum, in ruſticos graſſati ſunt: palamq́ue acta omnia & quæſtiones in

nes in reos decretas exuſſere, uexauereq; ſuos hoſtili ferocia. Hæc ut geſta eſſe narrant Gallici annales, bona fide appendimus. Cæterùm exteri fere ſcriptores in rebus præſertim Subalpinis, eadem & preſsius & diligentius & fidelius quoque multis retuliſſe uidentur: quæ nos quoque operæpretium facturi uidemur, ſi ut ſimpliciter prodita ſunt, ſcripſerimus. Ordiuntur illi à Cæſaris in Narbonenſem prouinciam irruptione, qui Andreæ Doriæ maritimum omne imperium, Subalpinum Salutiano decreuerit, Salmonem peditatui præfecerit, Cæſarem claſſe uectum, ſtipatum cœtu nobiliſsimo, & Tuſcorum cohortibus appuliſſe Veizuinum: ubi conuenerant terreſtres copiæ omnes duce Læua, & Vaſtio Dualo, & Ferdinando Gonzaga. Proceſſerat tamen longius cum leui equitatu Gonzaga, circa caſtrum duobus miliaribus proximum Verſui. Ibi pluſculos dies cùm ſediſſet Cæſar, concilio de ſumma belli habito, mox Gonzaga imperat Ioanni Chiaciaro, prępoſito alis leuium equitum, exploret quid moliantur Galli, longéque procurrat. Is diligenter mandata curans, cum quinquaginta equitibus, nactus eſt Monteianum & Boyſium. Ducebant hi centum cataphractos equites, octingentos pedites, qui iam agros urebant, ne prædæ eſſent Cæſari. Hæc ille Gonzagæ renunciat. Ille ſummo diluculo pergit Gallos inſequi, eductis ſecum duobus Germanorum millibus, mille Italis, cum infinito numero leuis equitatus. Fixit caſtra in oppidulum uicinum, quod tribus miliaribus diſtabat à Gallis, excitatiſque ſuis prima luce, & inſtructis relicto peditatu, educit ſexcentos equites, & in Gallos contendit. Medio itinere erant qui ſuaderent ne iter acceleraret, accerſeret robur peditum. Alij diſſuadebant, interpoſita mora elapſuros Gallos dicentes. Viſum eſt commodius futurum, ſi ad extremum locum prope Breignollum oppidulum ſitum inter duos monticulos ſeſe collocarēt; haud longè ab hoſtibus, & reuocarent eo loco pedites. Sequenti die Chiaciarus & Paulus Luzaſcus, uixdum illuceſcente aurora, acrius præcurrerunt cum leui equitatu. Repenteq; ſuperuenerunt excubijs Gallorum matutinis imparatis: tumultumq; miſcentes, effecere ut apud Gallos tumultuoſè ad arma conclamaretur. Nec deſunt qui prandentes interceptos putent: alij malunt ſtertentes adhuc. Multi oppido egreſsi, celeriter in aduerſos hoſtes incurrunt. Illi Gallicum impetum non tulere: celeriter ad ſuos ſe recipiunt. In Gallos longius progreſſos inuectus eſt mox Gonzaga cum omni equitatu, incitatus maximè oratione Chiaciari, & Valerij Vrſini, cum multi expectandum peditem cenſerent. Pugnatur utrinque acerrimè: æqualique marte dimicatum eſt aliquot horis: Multi ex hoſtibus cæſi, in quibus fuere Stephanus Dapnius Parmenſis, & Polecanus Bononienſis. Procedente pugna, cùm ferre ultrà noſtri tantam uim hoſtium non

um non poſſent; qui imparati cum paratiſsimis congreſsi erant,
cedebant Galli, inſtabant Hiſpani cum leui equitatu. Ita undi-
que cæſis Gallis multi ſeſe proripuere. Monteianus & Boyſius ca-
pti. Sequenti die Læua ſe coniungit cum Gonzaga: deinde cum
robore copiarum Cæſar, à quo comiter capti excepti ſunt. Inde
peruenit Cæſar ad Fanum Magdalenæ, tandemq; ad Aquas Sex-
tias peruenit, caſtris in planicie fixis: ibique duos menſes deſedit,
captans aliunde occaſiones commodiores, quibus Gallia potire
tur, quam iam ſpe hauſerat. Iunio peruenerat ad Aquas Sextias.
Menſe Auguſto cupido eum inceſsit Maſsiliæ uidendæ. Vbi erū-
pentibus Gallis uariæ uelitationes factæ, cū uideret fruſtra à ſe ur
bem tentari, uaſtatis omnibus agris, uſque ad foſſas Marianas &
Arelatenſes: clam ſe (ut ſuprà proditum eſt) cùm prius ad Aquas
Sextias rediſſet, ſubduxit, cùm undique rumor percrebuiſſet ad-
uentare Regem cum florentibus copijs. Eodem tempore quo Cæ
ſar erat in Gallia, parte alia Taurini oppugnari cœpti à Medehino
regulo Muſo, quem & Muſonium uocant. Is cum duodecim ho-
minum millibus, urbe ſe potiturum ſperabat. Ei aderant Scalen-
gus, Cæſar Neapolitanus, Petrus Comes Belioſus. Præerat Tauri
no Regis nomine Claudius Ennebaldus, cui aderat Carolus Con
ſius Burius Aquitanus, Marcus Antonius Cuſanus, Ludouicus
Biragus, Lælius Marinus, & plures alij è nobilitate Gallica & Ita-
lica. Vrbs obſidebatur: utrinque erumpentibus Gallis magnis a-
nimis certabatur. Interea Thomas Picus Mirandulanus, cum duo
bus Germanorum millibus, & quingentis Italis, uaſtatis agris Mi
randulanorum, copias ſuas Muſonio iungit. Galli nihil eius aduē-
tu commoti, crebris eruptionibus caſtra hoſtium infeſtabant. Cu-
ſanus decoris auidus impetrat ab Ennebaldo ut ſibi liceat cū ſuis
Lælijq; turmis urbe egredi, futurum ut Seuilanum locum munitiſ
ſimum imparato hoſti extorqueat. Probatur conſilium. Egreſſus
urbe cum mille quingentis militibus, dum Seuilanum tentat, para
tiora omnia quàm putarat nactus eſt. Fortiter impetum illi ſuſti-
nuere. Is ſe deiectum ſpe uidens, populatus agros, in eccleſiam ui-
cinam, ubi Cæſariani telorum armorumque ingentem multitudi-
nem congeſſerant, ignem immittit, qui ſecundo uix die extinctus
eſt. Non latuit Muſonium Cuſani audacia, ſuſpicioneque aſſecu-
tus, infectis rebus inde moturum, Scalengo imperat eductis duo-
bus peditum millibus (quorum maior pars è ſclopetarijs conſta-
bat) locum deligeret medium inter Taurinum & Seuilanum: un-
de in inſidijs ſuos locans, in regredientem Cuſanum impetum fa-
ceret, ac intercluſos Gallos Italoſque exciperet. Redeunt Cuſa
niani, ſed maiore ordine quàm Scalengus putarat: nec tamen ua-
nus omnino hoſtium conatus. Vbi proximi fuere hoſtibus,
Scalengus emiſsis leuioribus machinis cædem edere incipit. Res

eo erat

eo erat durior; quòd illi rurſus in nemora ſe proripiebant. At ubi pedipes utrinque collatus, ancipiti certamine acriter dimicatum eſt. Sed Scalengus procedente pugna inferior, antequam maior clades acciperetur, refugiebat ad caſtra: dum inſtat acrius Cuſanus, confoſſus uulneribus corruit. Birago tamen urgente paſsim hoſtes aut cæſi aut diſsipati, in ſua caſtra perfugere. Cæſi ex hoſtibus ducenti, ex Gallis Italiſque centum & quatuor. Biragus & Lælius, Cuſani corpus pompa Taurinum retulerunt. Ennebaldus illius morte commotus eſt, cùm & ſumma prudentia eſſet, & intrepidus ad obeunda pericula. Interea Muſonius certior factus, obſeſsis iam ad inopiam uenientibus, ſubſidio mox affuturum Guydonem Rangonium cum lectiſsimis copijs, ſoluta obſidione peruenit Carignanum: inde in Aſtenſem agrum profectus. Quo hæc agebantur tempore, parte alia Guydo Rangonius Cæſari infeſtior: quòd neque Proſpero, neque Fernando Daualo, aut Carolo Lanoio mortuo præfecturam ullam accepiſſet, qua digniſsimus habebatur ob multa fortiter geſta, operamque Cæſari ſuperioribus bellis datam. E Venetis profectus Mirandulam contendit, literis regijs inuitatus ad Italicarum copiarum ingentem numerum conſcribendum. Ioannes Teus cum ſexcentis Gallicis equitibus eò quoque uenerat, atque unà cum Galeoto Pico Mirandulano facilè Thomam Picum Mirandulanum & Tamiſum, qui Cæſaris nomine deliberabant de Mirandula intercipienda expulere. Illi (ut oſtendimus) uaſtatis agris ad Muſonium peruenere. Excitati multi ex Italica nobilitate Gallico nomine, certatim nomina dabant militaturi ſub Rangonio ueterano duce. Superuenere codicilli regij cum legato regio, qui ſummam imperij detulerat Rangonio. Hunc ſequebantur Galeotus Picus, Teus Sanctocelſus, Ioannes Thurinus Sanſepulchrus, Rauelus Concordienſis, Caninus Gonzaga, Annibal Comes Nuuolarus, Cæſar Fulgoſus, Petrus Stroſius. Comes Berlingerius, Caldora Reamus ad decem peditum millia contraxere equitum duo millia, at non Gallico numero inſtructorum. Luſtrato exercitu, qui armis uarieq; contextis ſplendebat, peruenere Carpum: inde Rezum. Inde emenſi agrum Parmenſem & Placentinũ, Stradellam, mox Vogheram, & Tortonam, tandem & Genuam hortante maximè Fulgoſo. Miſſus caduceator qui ciuibus denuntiaret, redirent ad officium, ueterem Regem mitiſsimum, atq; Gallicum dominatum reciperent. Reſponſum eſt non defuturos qui Cæſaris nomine urbem tueantur. Rangonius ſequenti die Canino Gonzagæ, Berlingerio, Ioanni Thurino imperat, parata omnia ad obſidendum urbem habeant: parantur omnia: hinc Galli, hinc Itali urgent: admouentur uarijs locis ſcalæ. Cæſariani machinis, telis, haſtis multos iam conſcendentes deturbant. Binis horis

anceps fuit certamen. Baptiſta Farina qui urbi tum præerat, adeſſe ſuis, inſtare quà premi eos uidet, cum prætoria cohorte adcurrere: dum incautius ſe exponit, necatus corruit. Hector Neapolitanus, eo cęſo dum fortiter ſuos excitat, ipſe quoq; occubuit. Cùm parte alia nuntiatum eſſet, Auguſtinum Spinulam cum ſeptem hominum millibus ſubſidio Genuenſibus uenire, remiſſa eſt oppugnatio: Cæſarianis animi aucti. Ex Gallis eo die centum partim cęſi, partim uulnerati ſunt: ex Cæſarianis quindecim cæſi, triginta uulnerati. Cæſar, qui Rangonium non dubitaret Genuam oppugnaturum, prudenter eò præmiſerat Spinulam cum ualidis copijs. Eius aduentu, & quòd nihil mouebantur Genuenſes, cùm ille motum aliquem ex tam uaria ciuitate ſperaſſet, obſidionem quibuſdam diſſentientibus ſoluit: abactaqúe ex agris ingenti præda, incenſisqúe arcibus aliquot, mouere copias in agrum Aſtenſem. Cumqúe Aſtam uacuam uideret milite, inde panis cibarij ingentem numerum lucanicorumqúe adduxere, parte ſuis diuiſa, parte diuendita. Rangonius deinde Carignanum admouet copias: cingit locum obſidione, munitum illum quidem, at non talibus munitionibus quæ hodie excitatæ ſunt. Cæſariani cùm ſe tantis copijs impares uiderent, extremaqúe omnia ſemel oppugnato Carignano paſſuros, deditionem fecere. Ibi cùm ingentem ſimilæ copiam nacti eſſent, partem curarant Taurinis aduehendam, qui iam penuria tritici fatigabantur. E Carignano deinde Carmagnolam contendit, quam Salaſsiorum reguli nomine tuebantur Cæſariani: ſed & ea intra paucos dies recepta eſt, præſidioq; Gallico firmata. Hæc circa finem Septembris geſta ſunt anno M.D. XXXVI. Venit ille deinde Pinarolum accerſito Canino, Annibale Nuuolaro, Acciolo Romano, Antonio Maria Auerol-do: in hyberna eos cum ſuorum alis mittit ad Quierſium. Hi antea ea fuere arrogantia, ut neque Gallos neque Cæſarianos exciperent, tum libenter iugum ferre uiſi. Mittit deinde Cæſarem Fulgoſum cum mille peditibus & ducentis equitibus ad oppugnandam arcem munitam Raconam, ibi præſidio relictus fuerat cum ſex Italorum ſignis Annibal Brancaccius Neapolitanus, & Alexander Cribellius Mediolanenſis. Prima luce Fulgoſus ſubmiſsis ſuis acriter inſtabat, adcurrentibus undique Gallis Italiſqúe ſi quà irrumpere poſsint, aſsidue alijs ſuper alios irrumpentibus. Annibal & Cribellus & ipſi cum ſuis forti animo pro munitionibus pugnabant. At dum undique premuntur, antequam omnes opprimerentur, multi erumpentes fugêre, multi cæſi, multi capti unà cum Annibale & Cribello: ingens præda parta. Eodem terrore qui Seuilano præerant perculſi, deditionem fecere. Arcis cuſtodia donec Ennebaldus prorex conſultus eſſet, Lælio & Berlingerio commiſſa: eo conſulto, Petro Corſo & Ioanni

Ioanni Thurino. In hiſce excurſionibus laudatur ſolertia eius militis, qui plures ex hoſtibus baliſta feriebat, quàm multi qui leuioribus in machinis emittendis ſolertiſsimi uidebantur. Iam Ennebaldus in Galliam redierat. Thurini cuſtodia commiſſa eſt Carolo Burio, à quo menſe Nouembri ſequenti Caſale oppugnatum eſt, ut antea ſcripſimus, eiq́ poſtea extortum. Tantum addunt exteri ſcriptores, Ioannem Gulielmum Bandram authorem fuiſſe Burio urbis intercipiendæ, cum iam præmiſsi in urbem eſſent à Mantuano, cui eum principatum Cæſar addixerat, qui ea curarent, quæ ad eum magnificè excipiendum pertinerent. Addunt ſuperuentu hoſtium cæſum Chriſtophorum Aquitanici peditatus ductorem ſtrenuum. Iam inſtabant hyberni dies, menſe Ianuarij, anni M.D.XXXVII, hyems erat ſuma, tempeſtas perfrigida, imber frequentiſsimus. Reliqui omnes tectis ſe continebant, quibus frigorũ uim pellerent, aut lenirẽt curas & animos oblitos laborum. At non Rangonius, Teus, Boutierius Gallicarum copiarum ductores remittebant animos à curis bellicis. Idem accidebat Alphonſo Vaſtio, Daualo, Franciſco Salutiano, Pyrro Columnę, qui Cæſarianis præerant. Sedebat Vaſtius ad Pinerolum, ſubmittebat undique exploratores. Mittit Rangonius ad Rupem Caraiam Torteſanum Antonium cum duobus peditum millibus, & tredecim ſignis, qui locum hoſti extorquerant. Nec latuit id Vaſtium: ſubmittit ſuis auxilio cum ualidis copijs Franciſcum Salutianum: atque is celeritate uſus eodem tempore obſeſsis adfuit, quo aderat Torteſanus. Diu ſe utrinque globulis plumbeis emiſsis fatigauere, ubi multi & cæſi, & uulnerati. Oppidani loco egreſsi acerbo ululatu, Imperium identidem acclamantes (quæ uox Cæſaris imperij cupidos eos oſtendebat) unà cum Salutianis in Torteſanum irruere, ut cedere ille coactus fuerit: ita tamen, nihil ut fugæ ſimile uideretur. Id Salutianus intuitus, urget cedentes acrius: tum demum uera fuga facta, multi necati, multi diſsipati: ipſe Torteſanus cum paucis elapſus, ægrè ad ſuos peruenit: multi capti, inter quos Colla Squartus nobilis centurio, Zacharias Ariminenſis cæſus, quem & Zagecheſſam uocãt. Salutianus ad Vaſtium redijt cum opimis ſpolijs: ſummoque omnium plauſu exceptus eſt. Hoſtes autem incredibili celeritate uſi, parum abfuere quin Taurinos interciperent: prodiderat enim ex Volpiano Ruffus Montanus, cum ſeptem peditum millibus nocte obſcura. Iamq́ illi propugnaculum, cui nomen Daugeum, occupabant, ni ex uigilibus unus inſidias breui emiſſa machina detexiſſet. Tum demum conclamatum undiq́ ad arma. Ipſe Boutierius cum paucis ſtipatoribus iam propugnaculo hoſtes potitos inuenit. Illi dum tardius ſuos in ordinem cogunt, ex turri proxima ſummo artificio dilapſa machina effectum, ut ſi-

Imp. iu.

mul occurrentibus undique Francis, pellerentur hoſtes propugnaculo: quo in periculo Taurinenſium ciues magis de Francis quàm de ſe ſoliciti uiſi ſunt. Vltro omnia ad depellendos hoſtes offerentes, ſed hæc poſtea accidere. Acceſsit Gallis altera clades menſe Februario. Cupiebat Rangonius à Cæſarianis Bargoſtum munitum pulſis illis uindicare. Annibal Brancaccius, quem ſuprà captum oſtendimus, elapſus è cuſtodia peruenerat ad Vaſtium: isq; cum trecentis peditibus Corſis, Sardis, Neapolitanis huic præpoſitus fuerat. Miſsi ſunt ad eam oppugnationem Cæſar Fulgoſus, Galeotus Malateſta, Petrus Stroſius, Annibal Nunolarus, Ioannes Thurinus, digni omnes qui imperijs ſummis preeſſent. Caſtra Bargeſo collata. Impediti Galli Italiq; munitionibus, multi pulſi uulneratiq; ſunt. Brancaccius ſuos hortabatur, memores priſtinæ uirtutis pugnarent: ita factum ut multis deſideratis ſatius uideretur ſuperſedere oppugnatione. Cæſus eſt ex ijs qui Regi militabant, Thomas Roncus uicarius alæ attributæ Nunolaro. Torteſanus angebatur, atque ardebat dolore uindicandæ cladis acceptæ ad Caraium. Re cum Boutierio communicata, obſeruabat momenta omnia temporum, ſi quo tandem pacto ulciſceretur iniurias ſuas. Tandem cùm obſeruaſſet preter centum Hiſpanos pedites, nullum ineſſe præſidium, Aquitanis, quos Boutierius cum Zacharia Caſtetiaco attribuerat, Italiſq; eductis, ſummo diluculo, ſumma ui infert ſuos in eum locum: ab hiſq; & oppidanis celeriter concurſum eſt, certatumq; ab Hiſpanis ita acriter, ut à uiris fortibus in extrema ſpe ſalutis certari debuit. Tandem refractis portis, atque intromiſsis Aquitanis atque Italis, ingens cædes facta. Hiſpani omnes conciſi, oppidani necati, ager eorum flamma omniq; contumeliarum genere uexatus, identidem acclamante Torteſano Italicæ cladis ſuperioris ſe ultorem: irent nunc oppidani, & imperij inſulas proferrent: inſultans miſeris, qui ſuperiori bello ſuperiores, pulſo eo imperij nomen acclamârant. Salutianus interea ardebat cupiditate ſuorum oppidorum recipiendorum. Iam Monteianus, qui perſoluto Cæſarianis precio, parum firma ualetudine redierat in Taurinos, urbi præerat. Hic Carmagnolæ præfecerat, cum cohortibus aliquot Italicis Stephanum Balium. Accidit ad Taurinos, ut quem uis hoſtilis ſæpe erumpentem nunquam potuerat intercipere, quiq; quam expectationem ſui concitârat ob robur ſingulare, eam ſuſtinere ac tueri poſſe uidebatur, Caſtelperſius Aquitanus ſeditione inteſtina nullorum occumberet, haſta ab uno perfidiſsimè uulneratus: cuius morte ita Aquitani commoti ſunt, ut niſi Monteianus de reis ſupplicium ſumſiſſet, res parum abfutura uideretur à ſeditione. Interea Vaſtius Salutiano robore copiarum attributo, cum Cæſare Neapolitano & Brunoro Comite permittit, oppida eum

ſua re-

ſua recipere, pollicitus, ubi accerſeretur, cum omni reliquo & peditatu & equitatu ſeſe adfuturum. Inſtabat tum Martij menſis exitus: dumq́ Salutianus machinas dirigit, quibus arx Carmagnolæ commodius euertatur, machina ex arce emiſſa necatus eſt. Hæc exteri prodidere ſcriptores: Nos certiora ſuprà ſcripſimus. Nec minus tamen Cæſariani commoti, dum acriter caſtrum oppugnant, loco, necatis multis, potiuntur. Stephano Balio iuſſu Vaſtij gula fracta eſt, reliqui captiui remis addicti: menſeq́ Aprili ſequenti à Comite Diepæ Normano interceptæ naues aliquot Cæſarianæ, ex Indica nauigatione redeuntes, refertæ mercibus laudatiſsimis. Menſe eodem miſsi ſunt à Rangonio Baptiſta Legus & Vincentius Stroſius cum ualidis copijs, duabusq́ ac tribus machinis maioribus, ad caſtrum cui Brachiraſco nomen, oppugnandum. Hiſpani cùm diu impetum eorum ſuſtinuiſſent, & iam multis cæſis periclitarentur, arbitrio uictorum res ſuas uitamq́ commiſere: quo factum eſt ut multi à Rangonio Maſsiliam mitterentur ad remos addicti, quaſi ulciſceretur contumeliam acceptam ad Carmagnolam. Interea Cæſar Fulgoſus & Ioannes Paulus Cerus in aulam profecti, à Rege humaniſsimè excepti ſunt: moxque mutatis ſæpe equis celeri curſu ad Rangonium rediere. Hos ille mox cum Boutierio lectiſsimisq́ copijs mittit cum Lælio Marino, Vincentio Stroſio, Baptiſta Lego, Galeoto Malateſta ad Bargelum arcem. Sedebat idem Annibal Brancaccius ad uim depellendam promptus, ad Gallos Italosq́ pellendos expeditus: ſed is fuit impetus Gallici Italiciq́ militis, qui ſe indignabatur pulſum ſuperioribus menſibus, ut quanquam hoſtibus fortiter dimicantibus, multis tamen cæſis locum expugnarent, ipſe Annibal Brancaccius fortiſsimè dimicans captus eſt: ingens præda parta. Lælius pila plumbea ſiniſtra ictus, poſt paucos dies occubuit. Giraldus quoque Camerinus, qui Regi militabat, circa caput altera pila impetitus, necatus eſt. Rangonius parum abfuit, quin iuberet Brancaccio gulam frangi, quaſi eius cæde parentandum uideretur manibus Stephani Balij & Lælij: ſed Boutierij aliorumq́ precibus reuocatus, incolumem ſeruauit. Bargelum Gallico præſidio munitum eſt: inde in Boneſum mouere Galli Italiq́: memoresq́ commilitonum ſæpe interceptorum, in multos acrius ſæuiere. Confecto bello, pacatisque his locis Regi, Rangonius in aulam ad Regem ſalutandum peruenit: à quo cultus eſt, ut eo ſplendore, dignitate, fortitudine ueteranum ducem decebat, diutiusq́ de reb. Italicis collocuti cùm eſſent, rumor percrebruit, quantum conniti animo poſſet, quantum labore contendere, tantum facturum Rangonium, ut Cæſariani Italia pellerentur. Ille ex Gallia in Venetiam regreſſus cùm eſſet, factum eſt, ut immaturo eius interitu ea conſilia perturbarentur: Eodem anno

anno menſe Iunio cum multis equitum peditumq́ millibus miſſus eſt Prætor regio nomine Humerius, quem & Dumerium uocant, cui ſe coniunxere Ioannes Paulus, Cæſar Fulgoſus, reliquique proceres Italici & Gallici, ad Puerinum. Ex eo loco infeſtis copijs in Vaſtium progreditur, pugnandi copiam facturum arbitratus. Ille imparem ſe ſentiens, retrò in Italiam peruenit: quo factum eſt, ut nemine obuio ingenti Galli præda potiti, arma undique circuntulerint: pelliq́ undique potuere hoſtes, ni Germani quos Humerius adduxerat, ad ſuum arbitrium omnia reuocantes, minus Humerij imperio paruiſſent: quo factum eſt, ut & illum in extremum penè diſcrimen inſolentia ſua perduxerint. Miſſi ſunt Centallus & Comes Berlingerius ad Buſchum oppugnandum, ubi præſidium inerant ſexaginta ueteranorum Hiſpanorum cum triginta ueteranis Italis. Et quanquam acriter Galli inſtarent, obſeſſorum tamen robore & conſtantia cedere coacti ſunt, cæſo etiam Marco Aſcocolo ueterano. Peruenit deinde Humerius in Fanum Damiani, & ex eo in Albam urbem, quæ reguli erat Monferratenſis. Qui abſumpta annona cum diffiderent munitionibus, deditionem fecere. Menſe Auguſto mittit Humerius Cæſarem Fulgoſum & Boutierium ad Cheraſcum oppugnandum: Septuaginta Itali, Hiſpanique totidem in præſidio erant. Cúmque à Gallis ſummo ardore oppugnaretur, qui in præſidio erant, contra telis, ſagittis ſubeuntes impigrè arcebant. Leuiorum tamen machinarum multitudine quæ à Gallis emittebantur, factum eſt, ut qui ſe conſpiciendum præberet, uulnere mox accepto excederet: ita exteriorem Cheraſci murum Galli ſubeuntes, loco potiuntur, multis cæſis. Rurſus Humerius mittit, qui Buſchum oppugnarent: ſed obſeſſi magno fortique animo temerè ſubeuntes depulere, multis etiam cæſis: in quibus fuere Annibal Nunolarus, & Gulielmus Finalis. Apparebat Humerium, non tam quid expediret cogitare, quàm frendentem indignabundumq́ ad ultionem accingi, cùm mox allatum eſt adeſſe Daualum Vaſtium cum lectiſsimis copijs ad decem hominum millia, præter recentes Germanorum copias, quorum non minor erat numerus. Ita mox diſpoſitis præſidijs uelut rumore panico conſternati Galli, ſe in loca munita recepere. Aderant cum Vaſtio Antonius Rangonius caſtrorum magiſter, Cæſar Neapolitanus, Brunorus Brixianus, & alter Vincentinus. Exitu Auguſti ad Quierſium caſtra ab hoſte fixa. Erant in præſidio Acciolus cum aliquot Italis, & Raymundus Bigorrus Aquitanus: ſtratiq́ cùm diutius eſſent muri, tandem hoſtes perrupere, multisq́ cæſis Acciolum & Raymundum captiuos abduxere. Vrbs ea ſita erat loco opportuno, facileq́ muniri poterat. Sed Rex adduci non potuit, ut impenſam in rem utilem faceret: hoſtes itaque munire, de-

re, deinceps ut Gallis deſperandum ſit eam ſe recepturos, niſi oc caſione oblata intercipere poſsint. Vaſtius, cùm abundaret co pijs, ita milites partitus eſt, ut patrem ad Moncalerium mitteret, patrem ad Pinarolum: ipſe cum robore ſtaret ad Cheraſcum op= pugnandum. Qui ad Moncalerium miſsi erant, admotis machi nis quatiunt muros, irruptioneq; facta oppido potiuntur, non magna tamen ſtrage facta: idque accidit circa initium Septem= bris menſis. Vaſtius ad Cheraſcum exercitu circundato, ſum= ma ui irrumpere nititur, maximè ſperans primo ſe acriq; ſuorum impetu caſum uictoriæ inuenturum. Cheraſco præerant Liui= us Vrſinus Bartholomęi Daluiani filius, & Cæſar Fulgoſus. Cùm ſtrata eſſet pars muri, ſigno dato undique concurritur; ingens clamor exoritur: alij ſuccedere, alij ſclopis Gallos impetere, pars eminus omni telorum genere pugnare. Contrà ea Liuius & Ful= goſus, & Galli qui in præſidio erant, ſubeuntes temerè depelle= re, aquam feruentem, picem uoluere: nec minor erat alacritas ob= ſeſſorum, quàm impetus obſidentium. Eo die re infecta, Va= ſtius multis cæſis in caſtra reuertitur. Sequenti die ſtrato quoque muro, Cæſariani parant irrumpere. Galli obuiam ire: undique clamor, uulnera, neces. Liuius, dum incautius ſe hoſti exhi= bet, circa pectus pila plumbea ictus, corruit. At pro diruto mu ro undique Fulgoſus nouum refecerat: quo factum eſt, ut uanæ hoſtium uires, uanus Dauali Vaſtij eſſet conatus. Sequenti die quingentos paſſus retrocedit Vaſtius: ſtat tamen ſententia, do= nec loco potitus ſit, nunquam ceſſurum. Fulgoſus, ſi annona il= lata in tempore fuiſſet, facilè impetus hoſtiles tuliſſet. Id reſcierat Vaſtius: itaque urgebat hominem: miſſus eſt Ludouicus Gon= zaga Rodolphi filius in oppidum: cum honeſtę conditiones pro= ponerentur, uiſum eſt è re Gallica futurum, ſi loco cedant. Pa= ctiones hæ initæ, abirent obſeſsi ſaluis omnibus impedimentis, equis, armis. Ipſe Fulgoſus, cum ſuis Pinarolũ ire permitteretur. Si Rex eò perueniret intra decimumquintum diem, machinę bellicæ omnes redderentur, ſin minus, Cæſari cederent. His pactis, ille cũ ſuis Pinarolum uenit, quo amiſſo maius damnũ paſſuri Galli uide bantur. Miſit deinde Vaſtius, qui Albam oppugnarent. Præpoſi ti erant urbi Iulius Vrſinus, Vincentius Strozzius, Carolus Arti gadius Aquitanus cum quingentis peditibus: uunicuiq; tãtũdem fuiſſe; alij uolunt peditum. Hi uel uim hoſtium metuentes, uel ſe impares tantis copijs agnoſcentes, ſaluis rebus omnibus & ciui= um fortunis, deditionem fecere. Vaſtius celeriter copias Thuri= no & Pinarolo admouet. Nec loca ea munita ſatis commeatu fue= re inſtructa. Tandẽ Henricus Delphinus cũ lectiſsimis copijs ſubſi dio obſeſsis aduenit, qui ad eam inopiam uenerant, ut equorum carnibus non abſtinerent. Huius uirtute pulſi hoſtes Alba, Qui= erſio &

erſio & Aſta munita oppidis ſe continuere, auidiſsimo Henrico pugnæ ciendæ. Tandem pactæ ſunt induciæ in decimum annum: interea bello capta uterque tueretur: niſi quod Sanctopaulinum Cæſar, cum quibuſdam alijs reddere debebat. De Mirandula diu diſceptatum cùm eſſet inter Galiotum & Thomam Mirandulanum, conuenit iudicium Rex inter eos reddi pateretur. Interea Mirandula, quo tunc erat ſtatu, eodem eſſet. Cum ea ita pacti eſſent Reges, neque tam proximi unquam collocuti eſſent, mirari homines, malè mirari de pace, ea in deterius rapere. At Cæſar, cùm in Hiſpaniam rediret, uel fiduciam oſtentans liberali Rege non indignam: uel (ut alij uolunt) metu aduerſæ tempeſtatis motus, ultrò ad Regem, qui ſedebat ad Aquas mortuas, quas & foſſas Marianas dicunt, miſit, uenire ſe ad colloquium, paratum dare fidem & accipere, non niſi datis dextris è re utriuſque ſibi uiſum ne abiret. Exceptus eſt itaque à Rege humaniſsimè, ſic ut cum paucis aulicis obuiam ei ueniens, in eius ſe Rex myoparonem coniecerit, abeuntem eodem pacto proſecutus ſit. Anno ſequenti defuncto Antonio Burgo ſummo iuriſpræfecto, deſignatus in eius locum iuriſpræfectus Gulielmus Poietus. Hic mox regio nomine conſtitutiones plurimas edidit ad componendas lites non inutiles, ſi nihil præterea molitus eſſet. Ceterùm dum fiſco augendo quo iure, qua iniuria attentus, omnium hominum ordines nouis edictis, auitis, ueteribusq́ prærogatiuis ſpoliat: dum ſalinarium uectigal inſulis Santonum, Oloronenſibus, Arueto, Bruoagio, Aquitaniæq́ imponere: dum regio nomine ſenatus omnes Gallicos traducere, in ordinemq́ cogere uult, flagrare inuidia apud omnes cœpit. Exciderat iam è Regis amicitia Philippus Cabotius tribunus maritimorum, Anna Mommorantio magiſtro equitum omnia adminiſtrante. Sed Regij liberi & Anna Piſſeleua hominem fouebant. Tandem delecti iudices è ſenatibus Gallicis dati ſunt Cabotio, qui poſt uarias relatas quæſtiones in eum more maiorum ſtatuerent. Volebat ille è iudicum numero reijcere Gulielmum Poietum iuriſpræfectum: idq́ poterat ob ſimultates ueteres. At is peruerſo exemplo, dum hunc ruentem uidet, & iam excluſum amicitia Regis: alterum uerò Mommorantium iiſdem ſe cauſis ſperat poſſe in eundem ſcopulum impingere, fronte ſimulans ſeſe maximè afflictis rebus Cabotij fauere, idque recipit Piſſeleuæ, id molitus eſt, ut ſuffragia in reum periculoſa ferrentur: ægrè ut tandem factum ſit, ne capite mulctatus uitæ periculum ſubiret. Cæterùm grauiſsimè mulctatus eſt, uix ut opes omnes ſatis eſſent mulctæ fiſco inferendæ. Acciditq́, ut erat Rex clementia diuina, uti remiſsis mulctis ex authorationeque omni, & reſtitutis bonis, quæ ita fiſco addicta fuerant, nunquam ut inde auelli poſſent, rediret is in Regis gratiam, nec minus quàm

quàm antea gratia apud Regem ualeret: & aliquot poſt menſes coactis rurſus patribus decerni iuſſerit, non ſe mulctatum aut damnatum ob ullum aut perfidiæ in Regem, aut maieſtatis crimen. Eo igitur in aulam reuerſo, Poieti res labare cœperunt. Nam Mommorantius, cautius & prudentius aulicis ſeſe rebus inuoluerat. Scio à Poieti aſſentatoribus temerè uulgatum, quaſi is à Rege condonationem omnium rerum impetraſſet, plura etiam adijciens, quibus ſibi conſcius non eſſet, nequando negocium ſibi eo nomine inuidi faceſſerent. Quos in eandem rem codicillos Poietum, dum ſigillo regio muniuntur, inſpectantibus omnibus palàm legi iuſiſſe, in odium Mommorantij. Sed hæc paulò poſt conficta apparuit, cùm ille Poieto undique quærente abſtinentiam ſuam probaſſet. Bohemi genus hominum uaga uolubiliq́ uita: ac potius fæx hominum Bohemorum nomen ementita, & Ægyptiorum furaces, & qui tenuiorum domos, & apothecas furaciſsimè ſcrutarentur, coniectorum nomine abutentes, coacti ex omnium nequam hominum colluuie, Gallia abire iuſſi: ni parerent, aqua & igni eis eſt interdictum. Agebatur annus milleſimus quingenteſimus triceſimus nonus, cum Gandauenſes queſti tributorum grauitatem, uinoq́ uendendo indictam collationem, ad ſeditionem omnia uertunt, parati etiam ſeſe Regi iungere. At is cauſatus pactas nuper cum Cæſare inducias, eorum fœdere abſtinuit. Cæſar, qui certior fiebat quotidie ſeditioſorum conatus augeri, periculumq́ eſſe, ne quid illi molirentur, in poſterum conſtituit, eò ex Hiſpania proficiſci: breuior & facilior uia per Galliam patebat. Erat Regis nomine legatus apud Cæſarem Antonius Caſtrinouanus Tarbellorum Pontifex: per hunc Mommorantium certiorem facit, ecquid placeret Regi, ſi per Galliam Gandauum peteret. Simul agit cum Caſtrinouano, uti à Rege oretur, ne alia uia quàm per Galliam eò contendat. Mommorantius ſperans congreſſum Regum toti Galliæ non inutilem, id perſuadet Regi. Ita ſcriptis literis & à Rege & liberis Regijs, proceribusq́ Gallicis, oratur Cæſar uti in Galliam ueniat. Rex tum ad Lochias æger ſedebat, peſsimo ulcere admodum intempeſtiuè uexatus: uerùm eo tandem aperto, medicorum eorum qui manu curant chirurgiæ opera conualeſcere incipiebat. Cæſari ad Baionam occurrere, Henricus & Carolus Regij liberi: parati obſides manere, ſi quid ille dubitaret, aut alios ex nobilitate Gallica, quæ frequens obuiam ierat, dare. Occurrit & Mommorantius. Cæſar obſidibus recuſatis unà cum eis Burdigalam uenit, magnificè ubique exceptus. Dum illi occurrunt Cæſari, multum ubique fuit querelarum: nam paſsim priuatorum equos ſumentes aulici inuitis dominis, ſtomachum multis mouerunt: atque ut in aula nihil non petulantiæ adeſt, ijs quidem qui minus liberaliter inſtituti

ſunt, multi abeuntes equos abduxerunt, nihil de pretio pacti. Cum Cæſaris uxor nuper fato functa eſſet, exiſtimabant multi affinitatem inter Reges nouam futuram. At illum alij antequam Galliam ingrederetur, diſertè cauiſſe aiunt, ne quid ſibi dum eſſet in Gallia, aut de matrimonio nouo, aut de nouo ullo fœdere proponeretur. Rex cùm ad Lochias Cæſari occurriſſet, ubique gratulationes, ſupplicationes, pompæ. Accidit Ambaſiæ, ut artifex quidam Cęſaris cubiculum, igne per aliquot loca immiſſo, odoribus uarijs implere uellet, gratiuſq; reddere: at fumus immiſſus in cubiculum errore artificis, ni ei reliqui occurriſſent, nocere potuiſſet Cæſari: qui eo ſanè nomine perturbatus eſt. Rex tota de re admonitus ſeſe Cæſari purgans; miſerum artificem rapi ad ſupplicium iubet. Cæſar artificis errore cognito, ueniam ei multis precibus petijt, ut de reo liberando uariè illi contenderent: niſi Rex Cæſaris motus precibus qui ſe non ueniſſe aiebat, ad ſupplicia repræſentanda, ſupplicium ei remiſiſſet. Lutetiæ quoque exceptus magnificè, nihil ut pompæ in eo excipiendo omiſſum ſit. Alter caſus Lutetiæ excepit Cæſarem: nam Poietus ſtipatus aulico conſilio, cùm ad eum iſſet ſalutandum, & ob ueſtis longitudinem feciſſet uti tabula lignea, quæ parata erat ob ignem excipiendum, caſu in Cæſaris caput impingeret, non leuiter omnes territi ſunt, attonito ob ictus grauitatem Cæſare, qui tamen mox diſſimulans continuato prandio, ſeſe poſtea ſecedens in cubiculum medico inſpiciendum dedit. Abeuntem Regij liberi ad Valentianum proſecuti ſunt, quos & ille magnificè eo loco excepit. De Gandauis quæſtione habita, multis proſcriptis, ſupplicium ſumpſit, caſtro etiam eorum ſumptibus ædificato. Tentatæ ſunt interea pacis conditiones per legatos. Cæſar ex Zelandia & Hollandia regno conſtituto, Mediolanum ſimulabat ſe Carolo Aurelicorum Duci, Regis filio redditurum, uſufructu tamen retento, ſi filiam ſuam uxorem acciperet: eaq; omnia liberis, ſi qui ex eo matrimonio ſupereſſent, addici uolebat: ſi liberi non ſupereſſent, ad ſuos redire. Ita Rex fruſtratus eſt ſpe Mediolani recipiendi, dum hæ conditiones per Peloſium à Cæſare miſſum, non placerent. Iamq; is malè conſultum uolebat, qui ſibi authores fuiſſent eius in Galliam recipiendi: qua cauſa abfuiſſe aula diutius Mommerantium ſuſpicati ſunt. Media in pace potentiores aulici alij alijs inſidiari cœpere, & iam Cabotius Poietum iuriſpræfectum Regi ſuſpectum reddiderat: ut ille ſibi metuens, cùm nihil minus homines expectarent, ſacris initiatus ſit. In Germaniam Cæſar ueniens, Sabaudiæ Duci legatis Regis accuſandi ob res ſibi ablatas, poteſtatem dedit. At Regius legatus Petrus Raymundus diſertè reſpondens benignè auditus. Paulò antea quàm Mommorantius aula excederet, celebratæ ſunt ſimulatæ illæ nuptiæ ad Ca-

ſtrum

ſtrum Heraldi; quod & Caſtrum Lerum uocant. Pictonum urbem inter Gulielmum Cliuenſium Ducem, & Ioannam Henrici Regis Nauarrorum, & Margaretæ Valeſiæ Reginæ Nauarræ regiæq; ſororis filiam, non ſatis ex animi ſententia & patris & matris; qui alias iampridem conditiones filiæ quærebant. Delira fuit fabula, exagitata tamen: inſcio Rege ab his actum cum Cæſare de ea paciſcenda Philippo Cæſaris filio: interceptum tabellarium à Carolo Grandimontano pontifice Burdigalenſium, opera ea in re utente Ioannis Tardi, qui arci Mauleacenſi præerat: miſſosq; faſciculos epiſtolarum ad Regem, unde illi in eum malè ſemper animati ſint; etſi amicitiam congreſſu & uultu ſimulantes. Cum enim eſſet Grandimontanus regio nomine uicarius Regis Nauarrorum, cui Aquitanica prouincia data erat regenda; intra paucos poſt menſes dederunt operam, uti in eius locum Carolus Conſius Burius ſubſtitueretur. Abhorret hoc à fide Regis Nauarræ in Regem, pietate ſororis in fratrem, beneuolentia eorum in Gradimontanum. Pergunt tamen illi narrare, quaſi cauſati ob ſacerdotium minus ei licere, quæ ad bellum pertinebant curare, tametſi ille aptiſsimus omnium ad eam eſſet prouinciam, uel ob familiæ ſplendorem, ingenijque huiuſcemodi in rebus acumen: uel ob multas cum Hiſpanis, qui malè in Cæſarem animati erant affinitates: quibus efficiebatur omnium ut mox certior fieret, ſi quid Cæſariani molirentur. At rectè ſapientiſsimi homines prodidere, Deum magna exempla in caput inuenientium regerere: ut iuſtiſsima patiendi uice, quod quiſque excogitarit alieno malo, ſæpe excipiat ſuo. Nam Margareta Valeſia Regina Nauarræ, etſi ingenij omnibus dotibus quæ Regina dignæ erant, abundaret, pudicitiæ laude inprimis excelleret, nihil illi maius, nihil antiquius diuino amore eſſet, ea haberetur probitate, diſcordiarum ut controuerſiarum, inimicitiarumq; ea iudice omnes uterentur: diuinarumq; literarum pio ſtudio flagraret: caſta mens, pius animus, pudor, religio ſemper cum illa eſſet: nihil ſibi ipſa concederet, quod quidem cùm omnes leges, tum certè homines nō conceſsiſſent: nihil proprium putaret, Reginæ præter uirtutem & humanitatem: alijs duceret ſe natam plus quàm ſibi: cultu literarum clara præſtantiaq; ingenia ſecum haberet: malè tamen eo nomine audiebat, uano quorundam rumore, quod locupletes filias patrum locupletum heredes, inuitis interdum parētibus regio diplomate impetrato, quibus uellet, aut his qui è ſua eſſent familia, aut alienis nubere iuberet. Id illi eo tempore à dijs repoſitum eſſe parum æqui rerum æſtimatores aiebant. Sed cuius non Regis, quantunuis innocentis, uita obnoxia eſt obtrectationibus hiſce ignarorum & ipſa maleuolentia ieiunorum? Illa quidem certè, etſi homo nata erat, idque una omnium optimè meminiſſet, ita uir-

tute prǫluxit reliquis Heroinis, exemplar ut habituræ ſint ad quod ſanctos mores componant. Fama eſt inuitam filiam his nuptijs conſenſiſſe: impetraſſeque matrem ob teneram ætatem & ualetudinem filiæ, uti Cliuenſis horis aliquot tantùm recumbenti ſimilis lectulo aſsideret, nec tamen attentaret illius pudicitiam. Quæ cauſa fuit, ut ruptis poſtea cum eo fœderibus, matrimonij fœdera; ſi quæ fuerint, rupta irritaque fuerint: conteſtationibus etiam prolatis, quibus metus clarè detegeretur. Quædam interea immutata Poieti conſilio. Datus aulico conſilio Præſes Vidus Bræleus; cùm uetere inſtituto præeſſent Libellorum magiſtri. Sed poſtea Poieto poſt aliquot annos damnato, Libellorum magiſtri in ueterem poſſeſsionem reſtituti. Prudenter & illud ſancitum, ne quis bona ullius antequam fiſco eſſent addicta, dono à Rege peteret. Si quis petijſſet, is indignus liberalitate omni Regia haberetur, priuareturque rebus omnibus quocunque pacto donatis: Ne iuriſpræfectus ſigillo Regio ea dona obſignaret. Huic donationi uelut contra bonos mores factæ, cognitor publicus interceſſor eſſet. Dum hæc in Gallia geruntur, ne reliquæ quidem orbis partes in tranquillo fuere. Nam Solymanus Turca ægrè ferens Caſtellum nouum (quę eſt Dalmatiæ ciuitas) ſibi non ita pridem à Carolo Romanorum imperatore ui ereptum eſſe: ſecumque reputans quanto ſuo cum periculo eiuſmodi hoſtem in ſuos fines irrepere, ac pedem figere pateretur: quantum uerò è re ſua foret, ſi pulſo ab imperij ſui terminis hoſte urbem recepiſſet: his rebus uehementer commotus, nihil ſibi antiquius eſſe duxit, quàm in eam expeditionem omnes ſuas uires, omnem induſtriam; omnesque animi neruos intendere. Quæ quidem cogitatio cum altius animo inſediſſet, Viſiris ſuis conſilium omne aperit. Illi cognita eius animi ægritudine, memorata interim iniuria quæ ei à Cæſare fieret, munitiſsimum locum occupante, ut quem nuper magna ui conſtruendum muniendumque curauerat, quemque munitiſsimum totius regni propugnaculum eſſe uolebat, nonnihil etiam eius rationibus permoti, magnas terra marique comparandas eſſe copias ſuadent. Itaque Ariademum Aenobarbum ipſe copijs maritimis præfecit: qui quidem breui oblata nauigandi occaſione, rebus omnibus recte conſtitutis, ſecundis uentis tandiu prouectus eſt, donec Ciſutès, homo rei naualis peritiſsimus, primo eius agmini (quod fere nauium uiginti ſeptem numero conſtabat) præpoſitus, Caſtellum nouum attigerit, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono, ad tertium idus Quintiles. Vbi dum Aenobarbum opperitur tardius inſequentem, quædam Turcarum cohors aquandi cauſa ſe in continentem proripit. oppidani per exploratores admoniti hoſtes ad fontem (qui ab oppido mille paſſus abeſt) inermes conſtitiſſe, portis egrediuntur, eoſque nec opinantes adorti

ad quin-

adorti ad quingentos trucidant, reliquis fuſis fugatiſq́;. Cuius cladis certior factus Ænobarbus, quàm maximis poteſt itineribus ad Caſtellumnouum, centum & nonaginta nauium claſſem ducit. Quò ut uenit, omnes ſuas uires omneſq́; copias ad obſidionem comparat. Oppidani eius aduentu nihilo commoti, mœnia conſcendere, uallum ac propugnacula tueri, ſe ad ciuitatem armis defendendam paratos oſtendere, ac hoſtem è ſuperiori loco facilè oppreſſuros non dubitare. At Ænobarbus, ex ipſa claſſe tormentis machiniſq́; depugnabat: cuius impetum oppidani par ui pendere, ſi ſibi res cum eo in mari tantùm eſſet. Sed per idem fortè tempus eodem contenderunt Ballibeches, Ollanbas, & Muſtaphas Sanguiachi, quos Byzantio abiens Ænobarbus terreſtribus copijs per Boſsynam ducendis præfecerat: ac ſingulos quindenis Ianizarorum millibus duces conſtituerat. Ad hæc acceſſerunt Molarcharum & Marthelotarum trigintaquinque millia, quos ſuis ipſe nauibus uexerat. Quæ omnis multitudo octoginta millibus armatorum conſtabat. Caſtra ad radices urbis facta, uallo & aggere munita: circunſepta exercitu mœnia. Cumq́; rari hoſtes apparerent, Turcis ſignum prælij quotidie dari placebat. Ænobarbus tamen (quòd niſi uirorum fortium morte parari uictoria non poterat) dandum non cenſebat: ſed quonam modo in ſuam poteſtatem uenire poſſet oppidum, doloq́; aut pollicitationibus ciues capi, tacitus animo uoluebat. Cùm uerò hac ratione confici res non poſſet, fœcialem cum his mandatis ad Franciſcum Sarmientanum Caroli legatum mittit: Ænobarbum, ſi oppido per eum potiatur, ſingulos oppidanos cum denis aureis incolumes dimiſſurum: ſin autem uictoriam ſuam expectet, omnia extrema paſſuros. Sarmientanus ad hæc reſpondit, facere munifici imperatoris liberalitatem, ſibi ſuiſq́; auro opus ne ſit. Enimuerò fidem dediſſe ſe, nemini in deditionem uenturum oppidum, niſi Carolo Imperatori, qui id iure belli poſsideret: qui ſi dedendum mandet, deditururn: ſin minus, omnes hoſtium impetus in defendendo perlaturum. Quod ideo reſpondit audacius, Lazaro Albano expeditorū equitum magiſtro, Ioanne Boſchayno, Marchino Monghiano, Roſcio, Sanza Friano, Oliuerio Burgundione, Mandoza, Lodoico Sādalio, Ariano & Maſcheſſa hominibus perſpecta uirtute & ſpectata fretus, quos Carolus ex omnibus Hiſpanis atque Germanis potiſsimum elegerat, qui ſingulis ueteranorum cohortibus præeſſent, urbemque omni obſidione liberarent. Atque his quidem Sarmientiani reſponſis cōmotus Ænobarbus, in continentem deſcendit locum urbis expugnandæ commodiſsimum, turribusque ac caſtellis, in quibus tormenta collocentur conſtruendis aptiſsimum explorat, omniáque aduerſa molitur, quibus oppidanos in ſuam poteſtatem cogat. His

ita conſtitutis, machinas murales claſſe educit ac mœnibus admouet, obſidionem inſtruit, oppidumq́ omni ex parte oppugnare cœpit. Interea ipſe animum ſuis addit, ac propoſitis ſignis ad omnia feliciter auſpicanda adhortatur. Et modò mœnia obequitare, exercitum obire ac luſtrare, quenque nomine compellare, ad uirtutem propoſita utilitate incitare: deniq́ omnia boni imperatoris munera exequi. Quod Sanguiachi cùm uiderent, tantis eum ſe periculis obijcere, ſibi ut ſuæq́ ſaluti parceret enixius rogabant. Ille nihilominus à laboribus ac periculis deterrebatur, ſed magis magisq́ oppugnatione ex omnibus urbis partibus moliebatur. At oppidani Turcas aſcenſu lapidibus ac lignis prohibebant. Nunc facibus pice ac ſulphure illitis, confertiſsimas hoſtium turmas diſturbabant: omnesq́ pariter inſtruendis firmandisq́ turribus & apparando aggeri incumbebant: ſed eorum uirtus hoſtium multitudine deprimebatur. Crebris etiam eruptionibus machinarumq́ furioſo impetu rareſcebant. Cùm uerò in iſtis rerum anguſtijs uerſarentur, calendis Sextilibus duæ onerariæ naues quæ ad Caſtellumnouum ementitis aquilæ ſignis aduentarunt, oppidanos in falſam magni gaudij ſpem coniecerunt. Cùm enim ſibi auxilio uenire crederet, hoſtibus commeatum munitionibusq́ faciendis materiam ex Epidauro deportabant. Octauo dein calendarum Sextiliū die, oppidani multò maiores Turcarum uires, quàm antea, ac crebris machinarum inſultibus, crudeliores terra mariq́ impetus in ea oppugnatione experti ſunt: nec eius tantæ crudelitatis ullus prius quàm iduum Sextilium octauus dies finem fecit. Sarmientanus inſolita rei nouitate, ſimulq́ tam crebra machinarum ferocitate, multisq́ ſuorum cladibus perculſus, ubi nihil aliud urbis ſaluti relictum uidet, ſupplicationem Deo Optimo Maximo decernit, ſuosq́ urbem luſtrare iubet: ac propoſita hoſtibus Chriſti cruce, inuocatoquè eius auxilio, mœnia confidenter tueri ac defendere. Quod oppidani cùm ritè egiſſent, eo ipſo die ueluti pro ſacris aris oppetituri, portis omnibus erumpunt, hoſtesq́ tanta ferocitate, tantaq́ animi alacritate adoriuntur, ut perturbatis eorum ſignis confuſisquè omnium animis, ad quatuor millia trucidarint: ipſi paucis ſuorum deperditis, in urbem ſe incolumes receperint. Iduū ſexto, cùm creſcentes Turcarum copiæ paulatim oppidanorum uires frangerent ac debilitarent, Aenobarbus ex duobus transfugis, quo in loco res oppidi eſſent, cognoſcit: armatos ex acri illa oppugnatione paucisſimos ſupereſſe: præſidium ſuperius de ſeptingentorum decem propugnatorum numero nunc tantum à triginta defendi. Quibus quidem cognitis perſpectisquè rebus, Aenobardus oppugnationi rurſus uehementiſsimè inſtare, et iam ſuum eſſe oppidum credere. Ac ſtatim quidem ſuis mœnia conſcendere, urbemquè perturbare, denique omnes nunc uires effundere im-

re im-

re imperat. Vſusque tormentis multis, multis ſagittarijs magno labore ſuo, magna moleſtia ſumptuque ſociorum, cedentibus undique tantæ multitudini oppidanis, urbem in ſuam poteſtatem recipit. Quod oppidani animaduertentes, eius exercitum muro undique circunfundi, uallo deſiliunt, forumque præſidij cauſa occupant, ubi omnibus hoſtium telis ſubditi, miſerè uulneribus conficiebantur. At Sarmientanus ubi fugæ nullum locum relictum eſſe uidet, unà cum Lazaro & Maſcheſſa, & Ioanne Boſchaino, in propugnaculum inferius confugit. Quem gregarij quidam tantæ cladi ſuperſtites inſequuti, & barbaris obuiam facti, omnes ad unum trucidantur. Ipſe uerò cum ijs præfectis & oppidanis modò trecentis, munitionem eam incolumis occupat. Sed ubi de ſe ſuisque actum uidet, barbaroſque acerrimè inſtare, ueritus ne quid in ſe grauius ſtatuerent, in Aenobarbi ſe poteſtatem dedit, eius ut ferunt, miſericordia fretus. Ianizari & Molarchæ quò melius ſuorum manibus parentaretur, omnes hoſtium reliquias extinguendas, ac radicitus extirpandas cenſebant. Verùm Aenobarbus, quòd remiges deerãt, deditiтios in triremes ſuas miſerè enecandos coniecit. Sarmientanum autem unà cum paucis præfectis, uinctum ad Solymanum abſtrahi iubet. Interea uictores prædæ inſtare, omnes ædium fores effringere, ſacra profanare, omnia diuina humanaque permiſcere. Denique nemo non eorum omni prædæ genere onuſtus, in patriam reuerſus eſt. Sic florentiſsimum oppidum paucis poſt diebus quàm à Cæſare, Venetis adiuuantibus, occupatum fuerat, à barbaris receptum direptumque eſt. Et iam ſerebat belli ſemina inter Cæſarem & Franciſcum diſcordia: quæ maximè creuerunt, ob Cæſarem Fulgoſum & Antonium Rinconium, ab Alphonſo Daualo circa Padum interceptos. Et hos fama eſt à Rege ad Solymanum miſſos, priuatorum habitu clanculum progredientes agnitos, mox captos, ſeueriſsimaque prius quæſtione habita excruciatos, ac deinde necatos. Mãſit id odium repoſitum altius apud Regem, quàm credi poſſet. Expoſtulauit cum Cæſare, eo rem ad Daualum reijciente. Daualus ad ſingulare certamen prouocare ſe ſimulabat omnes ſiqui eſſent qui taciti eum facinoris arguerent. Et planè incertus adhuc erat tanti ſceleris author, ni Gulielmus Bellaius Langæus certiſsimis probationibus in Daualum rem omnem reieciſſet. Non tamen rupta ſunt fœdera, Cæſare ad Argieram proficiſcente: cuius conatus & bellici apparatus quorſum tenderent, diu incertum fuit. Miſſo tamen ad Regem Philippo Mauro cum pontifice Aurengio, expeditionem eam Regi ſignificauit, intereaque eum ad pacem hortatus eſt. Eius autem expeditionis hæc fuit occaſio. In Germania Cæſar, cùm inter Ferdinandum fratrem & Ioannis filium qui Pannoniam proximè rexerat, contentionẽ de

iure regni exortam eſſe comperiſſet: & hunc Turcas in auxilium ſuum adſciuiſſe, Ferdinando fratri exercitus ſui partem mittit, quo hoſtes ingreſſu prohiberet. Interim ipſe ne Chriſtiana reſpublica ab eiuſmodi hoſtibus ſibi quicquam metueret, de bello in Turcicos fines transferendo cogitauit. Quod antequam ſuſciperet, tenendam ſibi neceſſario Africam exiſtimauit, ne Turciam petens, infeſtum hoſtem perpetuumqúe, Hiſpanis terrorem poſt tergum relinqueret. Igitur in eam expeditionem animum appulit, magnumqúe nauium numerum comparat, quibus exercitum in Africam traducat. Coacto exercitu, dum res frumentaria expeditur, Cæſar Lucæ cum ſummo Pontifice conſilia belli communicat. Vbi dum eſſet, ad eum Rex legatos miſit, daret operam Fulgoſi & Rinconi ſibi nomine ſatisfieret: id ni faceret, ſuo ſe iure ſuas iniurias uindicaturum. Cæſar quaſi ignarus, ea ſibi curæ futura reſpondit. His ita geſtis rebus, ipſe nactus idoneam ad nauigandum tempeſtatem ſuos ſoluere, ac in Baleares inſulas progredi, ſeqúe ibi operiri iubet. Ipſe deinde inſtructa nauium ſex & triginta longarum claſſe, ex Aphrodiſio ſoluit, ut in Corſicam transmittat. Quæ cum appropinquaret inſulæ, tanta tempeſtas ſubitò coorta eſt, ut nulla earum curſum tenere poſſet: ſed aliæ eodem unde erant profectæ referrentur, aliæ in aliam partem inſulæ magno ſui cum periculo deijcerentur. Itaque remis contendit, ac cum alijs ſeptem nauibus inſulæ partem tenuit eam quæ in Italiam uergit. Quò cum reliquæ ſedato mari appuliſſent, Bonifacium Cæſar petit oppidum & natura loci & opere inſtructum. Nam qua parte id non interluit mare, clauditur muro, duabuſqúe turribus munitum eſt, quæ oppidum ab externa ui defendant. Cæſar ex eo poſt biduum ſoluit, & in Minoricam contendit, quam altero biduo attigit: ac deinde in Mahonem portum prouectus eſt. Atque hic quidem cùm claſsis bidui tempeſtate detenta eſſet, tamen ſecundo dein uento Maioricam facilè tenuit. Quò cùm ueniſſet, centum & quinquaginta onerarias naues ab Italia miſſas comperit: eodemqúe Fernandum Gonzagam Siciliæ proregem triremes ſeptem adduxiſſe. Ac Cæſar quidem quindecim longas ex Hiſpania & alias quamplurimas expectabat, quas tamen in Africam iam perueniſſe ei nunciatum eſt. Quo audito ipſe eodem contendit, & ad Argieram, urbem Africæ maritimam peruenit: ubi naues comperit aduentum ſuum anteuertiſſe, ac eam continentis partem tenuiſſe, quæ eſt propius ſolis occaſum, procul ab urbe decem fere millibus paſſuum. Ipſe autem paulo longius progreſſus duodecim naues præmiſit, quæ tutiorem à tempeſtate receptum explorarent. Quem quidem nactus, in eum ſe locum recepit, ex quo totum urbis ſitum facilè poſſet intueri. Poſtero die cùm æſtus maritimi ingraueſcerent, ſoluit inde, locumqúe te-

tenuit qui uentis minus eſſet obnoxius. Quò dum pergitur, duæ naues Turcicæ, quæ (ut ex captiuis poſtea compertum eſt) explorandi exercitus apparatuſque bellici cauſa miſſæ fuerant, in Cæſarianos fortè, nec opinantes inciderunt: quarum altera depreſſa eſt, altera ad terram euaſit. Dum hæc ita geruntur, Cæſar Fernando Gonzagæ & Iacobo Boſſo præcipit, littus ut nauicula præterlegant, ac ſibi renuntient quà ſit exercitui optimus in terram egreſſus. Quod cùm feciſſent, Cæſar nullis reſiſtentibus loco opportuniſsimo milites expoſuit. Exercitus autem qui nauibus egreſſus eſt, hic erat numerus: Peditum uiginti duo millia ex Hiſpania, Sicilia, Neapoli, Germania, Italiaque omni coacta: præter Cæſaris domeſticos, & eos quos equites Rhodij nauibus ſuis ſuſtulerant numero quadringentos. Equites præterea Cæſaris quadringenti, ac ſeptingenti ex Hiſpania euocati. Pedites ut primum continentem petiuerunt, ſeſe ſumma animi alacritate expediunt ad excipiendos hoſtes, qui crebras in eos excurſiones faciebant. At Cæſariani machinis ita eos repellebaut, ut in proximos montes coegerint. Inde ad urbem progrediuntur copiæ. Cumque Hiſpani qui à Fernando Gonzaga ducebantur, in acie prima collocati eſſent, mediam Cæſar dirigebat, in qua Germani conſtituti fuerant. Italis autem et equitibus ſimul Rhodijs præerat Camillus Columna. Inter hæc Numidæ Cæſaris ſigna telis infeſtabant, ad quos ipſe repellendos tres Hiſpanorum turmas miſit. Quod cum cernerent hoſtes occupatis montium iugis, eos aſcenſu detrudere conabantur: ſed ipſi ſuo loco depulſi ac breui cedere coacti ſunt. Cæſariani, dum pari certamine res geri potuit, magnum hoſtium numerum pauci ſuſtinuere. Sed ubi ſigna legionum appropinquare cœperunt, quæ his auxilio ueniebant, paucis amiſsis ſe in proxima caſtra conferunt. Quibus receptis, Cæſar exercitum propius urbem mouet. Ac quoniam Numidæ eius copias ex ſuperiore loco ſine magno ſuo periculo facilè premebant, percommodum uiſum eſt eos è montibus depellere, quòd locus eſſet conſtituendo primo agmini ualde opportunus. Quibus occupatis, Cæſar poſtea exercitum omnem in trianguli formam redegit, ac urbi circundedit. Ipſe autem locus magnum afferebat ſuis ad ſalutem momentum: ſi enim ab hoſtibus fortè inceſſebantur, illos facilè in urbem repellebant. Inter hæc cùm omnia à Cæſare rectè procurata prouiſaq; eſſent, tanta ſubitò ac tam repentina imbrium ac uentorum uis totam illam noctem exagitauit, ut militibus qui ſine impedimentis nauibus egreſſi erant, uires atque animum penè ademerit. Eodem tempore, & longas naues quibus Cæſar exercitum tranſportandum curauerat, quaſque in aridum ſubduxerat, æſtus complebat, & onerarias, quæ ad anchoras erant deligatæ, tempeſtas afflictabat. Quod cùm animaduertiſſent hoſtes, impetu facto

uigilias

uigilias Cæſaris opprimunt, alij in munitiones tela conijciunt. At Cæſariani quanquam uentis admodum aduerſantibus, tamen hoſtes repulerunt: qui quidem pauló longius regreſsi ſunt, ut illos in inſidias apto loco factas perducerent: nec ſpe falſi ſunt, in eas enim illi incidere. Barbari à ſuperiore loco Cæſaris exercitũ omni telorũ genere inceſſebant, atque aſcenſu prohibebant. Non tamen frequentes irruebant, ſed rari equis circuncurrebant, ut eius ordines perturbarent, quo facto plures paucos circunſiſtunt ac interficiũt. Eo die magnus peditum equitumq́ barbarorũ numerus urbe egreſſus eſt: quem cum Cæſariani ad portas uſque oppidi cõſequuti eſſent, tormentis machinisq́ bellicis nõ ſine magna ſua clade ac detrimẽto excepti ſunt. Itali uerò Cęſarianis immixti ſeſe fugę mandãt, equitibus Rhodijs ad portas urbis relictis, paucis cum Italiæ proceribus, qui fugã à uirtute ſua abhorrere exiſtimabant. Ii igitur ubi ſe ita afflictatos uidẽt, ab urbe recedũt, ac in anguſtiore ſe locũ recipiũt, unde plurimorũ impetũ pauci propulſare poſſent. Quod cùm uidiſſent hoſtes, in tumulos, qui eo loco imminebant, pedites immiſere, qui illos lapidibus & telis laceſſerent. Et magnũ quidem illorũ numerum (eos pręcipuè quibus arma deerant) confoderũt. Reliqui tamen tã fortiter reſtitere, ut hoſtes indignati tam paucos tãtam eorum multitudinem ſuſtinere, rẽ cominus gerere, ac quos ſingulares conſpexerant, incitatis equis impeditos adoriri cœperint. Sed alij à Cæſare auxilium expectantes, forti animo illorũ incurſus ferebant: longiusq́ haſtilibus facilè quãplurimos confodiebant, quòd nudi in acie uerſarẽtur. Qua re perſpecta, Barbari ab latere aperto in uniuerſos tela conijcere, multisq́ grauiſsimè ſauciatis omnes ordines perturbare. Interim Cęſar tempore opportuniſſimo cũ omni Germanorum manu ſuis auxilium tulit: quod conſpicati hoſtes in eius agmen machinas coniecerunt, quarũ impetu & ipſe penè extinctus eſt. His ita factis, cùm laborantibus ſuis ſubſidia ſummiſiſſet, ſe ſuosq́ in caſtra recepit. Deſiderati ſunt eò die equites Rhodij octo, Germanorum atq́ Italorũ non magnus numerus. Dũ res Cæſaris ita duriter terra mariq́ exagitantur, Numidæ opprimendi eius occaſionem nacti, magna cũ manu eã littoris partem occupant, quà Cæſaris militibus in terrã eſſet egreſſus. Cuius rei certior factus Cæſar, duo Hiſpanorũ millia egredientibus auxilio miſit: quæ res deſerendarũ nauium cauſa fuit. Itaq́ fluctibus abſorptæ ſunt cẽtum & triginta. Quibus fractis, reliquæ cùm eſſent funibus, anchoris, reliquisq́ armamentis amiſsis ad nauigandum inutiles, magna (id quod neceſſe erat accidere) totius exercitus perturbatio facta eſt. Neq́ enim naues erãt aliæ, niſi paucę, quibus reportari poſſent: & omnia deerant quæ ad reficiendas naues erant uſui: & quod præterea omnibus cõſtabat, res quibus ali exercitũ neceſſe eſt omnes perijſſe: omniaq́ peditũ impedimenta deſide-

deſiderari, quibus corpus tegi, & ab iniuria tẽporis defendi poſſet. Ad hoc accedebat, quòd ingraueſcens indies maris impetus, maximũ equorum numerum, magnam rei frumentariæ copiã, eaq́ tormenta quæ ad nauium defenſionem urbiumq́ oppugnationẽ comparata ſunt, omnia deniq́ quibus inſtructus debet eſſe exercitus, abſorbſerat. Quibus acceptis incommodis, Cæſar cùm frumẽto, cõmeatuq́ omni ſe undique prohiberi uidet, equis quos è nauibus eduxerat, milites triduo refecit, ac præſentem inopiã quibus potuit ſubſidijs tutatus eſt. Verùm ubi militũ uires cibariorum inopia diminui, atq́ incommoda indies augeri, ac ita fortunam inclinari uidet, ut ſui magna neceſſariarũ rerum penuria conflictentur, eam urbis Argieræ oppugnationem in proximã æſtatem contulit. Itaq́ milites reducere inſtituit. Ac dũ Itali Germaniq́ in naues imponuntur, ipſe Hiſpanos (quorũ fidei & uirtuti multum tribuebat) in armis conſiſtere iubet, ac prima oblata nauigandi occaſione naues conſcendere. Quorũ qui primi ſoluerunt, longius à periculo abfuere; reliquis tempeſtate detẽtis. Interim Cęſar naues Rhodias ſequutus, Burgiam appulit. Poſtero die quàm illud peruenerat, certior factus eſt per triremes, quę ad Argieram cũ quibuſdam nauibus relictæ erãt, eas fluctibus ad littus eiectas, ac labefactatas, milites autẽ qui continentem tenere potuerant, cùm ſe in hoſtium poteſtatẽ deſperatione adducti dare uellent, à Numidis interceptos, atq́ omnes ad unum necatos fuiſſe. Delira fuit fabula, exagitata tamen uulgi rumore, & immodicos imbres, & maris procellas magicis carminibus Mauri cuiuſdam harum prꝗſtigiarum non ignari, accidiſſe. Barbari quidem dijs ſuis tantam uictoriam acceptã referebant. Sic olim narrat Dion Marco Antonio Cęſare bellũ in Quados gerente, Arnuphim magũ Aegyptium qui unà cum Marco erat, Mercurio dæmonibusq́ inuocatis per eos pluuiam extorſiſſe, ſi cui libet fabulis fidem adhibere. Nam CHRISTIANORVM oratione id impetratum alij authores prodidere. In procinctu horum bellorum Ioannes Danguo, qui Vicecomitis Diepenſis nomine notior eſt, ornata claſſe latius uagatus, uariè Cęſarianas naues ex Indica nauigatione redeũtes intercipiebat. Ille quidem aut qui pro eo excubabant ſuperioribus bellis, naui inſigni quam Sacram uocabant uſi, innumeras laureas uictoriasq́ nauales retulere, quæ ad extremum ſuccedentibus parum rebus, Angonis familiæ utilitatis nihil, decoris, cuius auida ſunt magna ingenia, plurimum attulere.

OCTAVI LIBRI FINIS.

ARNOL-

ARNOLDI FERRONI
RERVM GALLICARVM
Liber Nonus.

HAVD ita multò pòſt turbari cœpta fœdera inter Cæſarem & Franciſcum Regem cœpere: alter enim alterius potentiam ſuſpectam habebat. Et Cęſaris conſilia ut callidiora, & occaſionem commodioris belli expectantia erant: ita ob res Africano bello acciſas, quietiora eo fuere tempore. Rex eo tempore bellum orſus eſt, quo neque ſatis à re nummaria paratus erat: et ſi induciarum tempus expectaſſet, Gallis maximo uſui fuiſſet. Quippe eo tempore abundabat Gallia frumentis, uinis, pecoribus: hoſtes eorum inopia premebantur, qui ſi bellum dilatum eſſet, ingentem pecuniarum numerum in Gallia reliquiſſent. Sed dolor quem rex conceperat ob Antonium Rinconum, & Cæſarē Fulgoſum cæſos, maximè eum ad belli conſilia acceleranda ſtimulabat. Simul Philippus Cabotius, & alij aulici ea potentiam Gallicam uerbis augentes accelerarunt. Margareta Valeſia, & Henricus Nauarrorum Rex ubi tacitum Regem belli conſilia agitare uident, inſtare apud Regem, uti bellum ad Nauarrorum regnum recipiendum transferretur. Idq́ꝫ cùm ſe illi impetraſſe putarent, accidit ut Rex Ioannem Mompeſatium Carbonem, uicarium copiarum Regis Nauarræ rogaret, ecquid ſentiret de bello, & Pompeluna recipienda. Ille ſi belli conſilia eò uertantur, inſtructiſsimis eſſe copijs, & magno apparatu opus reſpondit, ne idem accideret quod Andreæ Fuxeo paucis antea annis: non enim eſſe ſine ualidis copijs intra alterius munita præſidia ueniendum. At Rex qui decem tantum millia peditum cùm turmis aliquot equitum ab alijs ſufficere crediſſet, cum Carbonis conſilium eis non imprudens oſtendiſſet, mutato conſilio aliò bellum tranſtulit. Ob quæ & Margareta Valeſia & Rex Nauarræ in Carbonem malè animati ſunt: adhuc tamen bello ad Perpenianum moto, ſperantes partem copiarum regiarum ad ſua recipienda uenturam. Rex iam ob aduerſam ualetudinem moroſior euaſerat, longeq́ꝫ à priſtina comitate abierat: ut eo tempore captanda fuerint tempora ijs, qui ab eo aliquid uellent impetrare: & minus libenter facetias & ſcommata ferebat. Interea fuit hoc ueluti belli præludium, cum Rex ad Mariam Cæſaris ſororem, quæ Burgundico regno præerat, per legatos peteret, Sanctopaulinum oppidum uti induciarum tempore conuenerat, reddi: cum Morinorum Pōtificis iuriſdictionē, quam Cęſariani interuerterant, pontifici ſuo reſtitui uellet. Maria iam bellum parari ſentiens, quæ ſit Cæſaris de Sanctopaulino uoluntas, ignorare ſe aiebat: petendum id eſſe à Cæſaris legato, qui in aula

regia

regia eſſet. Non poſſe ſe Morinenſem iuriſdictionem hoc momento temporis reddere inconſulto Cæſare, cùm à Pontifice Romano tota ea controuerſia nuper miſſo ad Cæſarem diplomate, ſopita ſit. Et intenta mulier ad arma repellenda eodem tempore edicto ſanxit ut qui Cæſaris parteis non ſequerentur, aut Burgundia uiciniſq́ue prouincijs excederent, aut uitæ & bonorum iacturam paterentur. Hoc tempore ferunt uitulum bina capita geſtantem prodijſſe, & antea puellam bina quoque capita efferentem. Id prodigij eſſe ſimile uero & prodigium dirum eſſe profeſsi ſunt, quo ſignificaretur rerum omnium perturbatio, imperaturumq́ principem latius, quaſi duobus regnis coniunctis. Qua in re euentus deceptos oſtendit inanes hoſce augures. Aderat iam anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſecundi menſis Iunius, cùm iam omnia bello feruere cœperunt. Bellum paſsim conclamatum ob Cæſarem Fulgoſum & Rinconum cæſos, Atque horum quidem mortis cauſam Alphonſus Daualus ſuſtinebat: re quidem uera nemo dubitabat, quin iuſſu Cæſaris cæſi eſſent: eoq́ Valentinum antiſtitem ad Cæſarem pergentem Lugduni Rex interceperat; quem aliquot poſt menſes liberum emiſit. Conſilium Regis fuit, ut uarijs è locis Cæſarianos pelleret, dubitanteſq́ue ubi moles belli uerteretur, fatigaret. Ita Carolum Aureliorum principem in Leucorum fines cum copijs raptim coactis immiſit, Claudio Lotharingo Guyſio comite, qui iuuentutem ardentiorem ſi opus eſſet, moderatione ſua leniret. Ille Danuillum oppidulum adoritur. Oppidani & Gallos ridebant, & irruentes acriter depellebant. Sequenti die admotis omnibus copijs, oppidum expugnatum eſt: præda militi conceſſa, ob Gallicos milites publicè ab hoſte ſupplicio affectos. Aurelius oppidanos qui ad aras confugerant, ſeruari incolumes iuſsit. Inde in Iuorium contendit. Erat locus munitiſsimus: tuebatur locum ualido Cęſarianorum pręſidio Gillius Deluentius. Admotis machinis pars muri deijcitur. Hoſtiles machinæ ita ex Iuorio aſsiduè emittebantur, ut parum abfuerit quin Aurelius, dum incautius locum explorat, harum impetu caderet, cæſo milite cui proximus erat. Itaque acrius Galli oppugnationi intendere: hoſtes ubi Gallorum impetum uident, deditione facta, loco Aurelio ceſſere. Ita Iuorium receptum, quod ualido præſidio Galli nequicquam Cæſarianis oppugnantibus, toto hoc bello retinuere. Qui ex præſidio emiſsi erant, excepti poſtea à Longauallio cæſi. Fuit Iuorium olim uicus potius quàm oppidum: at cùm Marca uexaret oppidanos, cœptum eſt agi de muniendo loco & cingendo propugnaculis. Viretonum quoque & Arlelonum receptum eſt. Accidit tamen ut dum Galliæ copiæ ad Arlelonum ſeſe reficiunt, pars urbis magna ex parte conflagraret: quod Aurelius moleſtè tulit, procacitate & temeritate militari id accidiſſe queſtus. Indi-

gnumq́; eſſe dictitans, qui Regio ære mererent, ſpe prædæ ac rapinarum ſpurciſsimè ad paſtum mendicitatis ſuæ, urbes ſpolient. Itaque mox eductis militibus Luxemburgum uaſtam urbem oppugnare incipit. Eò ad eum perueniunt Germanorum copiæ, quas Longouallius ex Cliuenſibus, & tota Germania unà cum Martino Roſſenio tribuno Geldrenſi eduxerat: hi ex Raueſteno egreſsi, inuitis Cæſarianis per eorum loca tranſiêre. Senſêre id Cæſariani: itaque raptim coactis equitibus, & peditum numero illis obuiam uenêre ad uicum Hochſtrateum, Renato Chalonio Nanſio ſuos ad certam prædam hortante. Ex puluere uterque ſenſit hoſtilem aduentum. Pugnatur aliquantulum acriter, donec Flandrorum, ex quibus maior pars hoſtium conſtabat, uires labare cœperunt. Tum demum urgere Longouallius, inſtare Germani: ita illi fugati, ingens præda abacta. Captus eo prælio uicarius copiarum Nanſij: relata ſex uexilla, mille quadringenti capti. In ijs equites centum quadraginta, cum aliquot tormentis bellicis: Aurengius fugiens, Antuerpiam contendit: Longouallius cum Germanicis copijs aduolat Antuerpiam, tentans ſi quo tandem pacto urbe opulentiſsima potiri poſsit. Oppidanorum ingens fuit terror, ut in urbe opulenta, nec bellorum ſtrepitum experta: parare tamen cœperunt quæ ſpectarent ad tuitionem. Quod Galli & Germani intuiti, qui & tormentis & reliquo apparatu ad urbis oppugnationem neceſſario carebant, incenſis ſuburbijs, prædaqúe ingenti recepta, abierunt. Suadebat Longouallius uti celeriter ad Louanium, urbem nobilem & potentiſsimam, ſed præſidio uacuam properarent. Sed dum prædæ intenti Cliuenſes uicis expilandis occupantur, urbis potiundæ occaſio ſublata eſt. Prodiêre ex urbe aliquot diſſerendi cum Longouallio cauſa, atque inter ſe colloquendi. At cùm ex urbe Franci globis emiſsis uulnerati eſſent, qui colloquij gratia prodierant, in Galliam captiui ſunt abducti. Itaque poſt longa itinera emenſa, Maſerias peruenêre. Inde Longouallius cùm ijs copijs ad Aurelium, qui iam Luxemburgum oppugnabat, peruenit. Oppidani partim urbe egreſsi, partim ſubterraneis locis latitantes, urbem uacuam milite, Gallis reliquêre. Ibi militi ingens præda parta. Rumor iam manabat ad Antuerpiam aut Louanium aduolaturum Aurelium: ſed neq; paludes, quibus hi loci referti ſunt, id ſinebant: atque ut maximè ſinerent, Rex filiũ iam ipſe è Luxemburgo reuocabat cum parte Germanicarum copiarum: quem tamen multi putabant, ſi copijs maioribus à Rege auctum accepiſſet exercitum, eas res geſturum quæ Galliæ utiliores eſſent: utiliuſquè fuiſſe uno loco acerrimè hoſtes impeti, quàm copias uarijs locis diſtrahi. Ad Tionuillum oppidum munitiſſimum miſsi qui deditionem ſuaderent: faceſſere iuſsi: cùm appareret locum arte & ſitu inexpugnabilem. Non eſt uiſa ratio Aurelio, cur

lio, cur eo loco implicarentur Gallicæ copiæ. Interea iuſſu Mariæ Auſtriæ, quæ fratris Cæſaris nomine Burgundiæ imperabat, Burgundionum copiæ mox & uiribus & numero præſtantes poſt Aurelij diſceſſum ad Iuorium oppugnandum pergunt. Sed admotis machinis & tentata oppugnatione, cùm uanos ſuos conatus uiderent, inde ſeſe proripiunt. Claudius Lotharingus ueritus ne annonæ inopia Galli, qui Iuorio in præſidio erant, ad deditionem ſi quando iterum urgerent hoſtes, cogerentur commeatum affatim in eum locum induxit, recenteſquè milites ex Menapijs: parte alia in Belgica Gallia menſe Auguſto Antonius Borbonius Vindocinenſis, attributo ei à Rege certo peditum equitumquè numero, circa fanum Omeri, ignobilia aliquot caſtra diripuit. Et quando uidebat ex arce Tornehana uarias eruptiones fieri (nam locum munitum præſidio Cæſariani tenebant) eò copias admouit. Cæſariani ueriti Gallicum impetum, iam de deditione paciſci incipiunt. Petunt autem à Vindocinenſi tria, Primùm ne receptum Tornehanum demoliatur: Deinde uti tormenta eis bellica educere ſalua liceat: Tum ut qui in præſidio erant, cum armis, impedimentis, ſarcinisquè omnibus, inde incolumes emittantur. Ille rem ad conſilium refert. Tandem hoſtes ita reſponſo dato admonet, licere eis loco cedere, atque inde abire incolumibus unà cum armis: nullas ſe alias leges deditioni adiecturum. Hoſtes recepta lege ea deditionis, Tornehano cedunt: eoquè Galli potiti, ſummum rerum apparatum inuenêre. Inde certior factus, uicinam arcem Montoyreum ualido præſidio Cæſarianorum teneri, nec longè cum expedita militum manu adeſſe Rutium, eò contendit. Cæſariani Montoyreo Gallis mox ceſſere. Ibi tres aut quatuor dies Vindocinenſis ſuos refecit. Rutius nondum ſuos ad bellum paratos uidens ſeſe in tutiora loca recipiebat. Ad eum Vindocinenſis Helyum, Blaiſencurtum, Scitimum cum turmis aliquot ſuorum miſit: qui Cæſarianos ex improuiſo adorti, uariè eos diſsipauêre, multos captiuos abduxêre. Rutius fuga ſibi conſuluit: ille Tornehanum aliaquè loca recepta, ſolo æquauit. Eadem æſtate Gulielmus Bellaius Langæus, qui Legatus Regius Taurinis præerat, ſuos in prælium educens, Queraſum oppidum in Pedemontanorum finibus, quod ſuperiori bello Cæſariani Gallis extorſerant, recepit. Et planè etiam pacis tempore ſemper ea loca bello infeſta fuêre, nunc Alphonſo Daualo, nunc Cæſare Neapolitano, qui Volpiano præerat, nunc Sabaudiano ipſo nouos dolos quibus urbe potiretur parante: ut non minus induciarum tempore quàm belli, copiæ Regi alendæ fuerint: cùm hoſtes nunc inſtructo exercitu, nunc prædatorijs copijs inſtructi, Taurinis imminerent. Accidit quodam die, ut rhedis quas fœno onuſtas introducebant, laterent armati homines, ut occupato

ponte & aliquot locis, Cæſarianis qui in inſidijs locati erant, irrumpendi in urbem eſſet facultas: & ſuccedebat dolus. Cùm unus è militibus circa pontem miratus tot rhedas fœno onuſtas, lancea cœpit pertentare ſi quid fraudis ineſſet: moxquè fragore armorum audito, ad arma conclamaret. Alij uolunt laxata cathena qua pons ſuſtinebatur, rhedas deiectas. Ita fraude detecta, armati miſerrimè necati ſunt, doliquè pœnas luêre: reliqui detectum dolum uidentes, inde ſeſe proripuêre. Alio tempore Cæſar Neapolitanus, continuatis nocte diequè itineribus; prima aurora parum abfuit, quin propugnaculum unum urbis occuparet: ſed uigilum induſtria excitatis Gallis, emiſsis tormentis bellicis fugatus eſt. Denique multos ciues pecunia hoſtes ſæpe ſolicitauere: quoſdam etiam ex Gallicis militibus uti occultè in urbem aditum ſibi præberent: quorum ſemper inſidiæ detectæ ſunt, ac de improbis ſupplicium ſumptum. In huiuſce belli procinctu Gulielmus Poietus apud Gallos iuriſpræfectus, in carcerem conijcitur: hac quidem ex cauſa, aut occaſione hac arrepta, qua iam aulicis exoſus aula excluderetur. Anna, quæ Stampea dicebatur & Pontieuria, ut ingratum Poietum oderat. Erat illi inimiciſsimus Philippus Cabotius tribunus maritimorum, ob iudicium in ſe nuper latum. Eius gratia ſuperbiaquè commoti homines, & Regij liberi & Rex Nauarræ, reginaq; & potentiores alij aulici, illi apertè inimici erant. Accidit ut Ioannes Renaldius unus è Petragorica nobilitate, litem haberet ſanè quàm moleſtiſsimam cum Ioanne Tilio ſcriba regio apud Lutetiam. Ea lis (ut eo tempore, qui apud aulicos gratia ualebant, facilè impetrabant) diuerſis in ſenatibus Gallicis agitata. In aulico etiam conſilio è Lutetiæ etiam ſenatu diplomate regio extracta eſt, & ad Diuionenſem tandem ſenatum reiecta. Cumquè diploma quoddam obſignandum eſſet, idquè Rex imperaſſet, & à Gilberto Baiardo, qui à ſecretis eſſet Regi, Poieto eſſet allatum, iuſsit Poietus quædam mutari. Id grauiter ferens Renaldius, ad Pontieuriam detulit: quæ Renaldium Regi eo die poſt cœnam offerens, neglectum ait imperium Regis, nec potuiſſe impetrari à Poieto quod Rex iuſſerat. Vnde iratus Rex iuſſerit primum ſcrinia & ſigilla Poieto auferri: mox frigidam ſuffundentibus aulicis, abduci captiuum. Accidit & aliud: Cùm Renaldius per Pontieuriam impetraſſet literas à Rege ad Poietum, quæ acerbius urgerent eum ad obſignationem diplomatis, eas literas cùm ille accepiſſet, caſu accidit, ut eodem die ſalutatum iret Margaretam Valeſiam Nauarræ Reginam: cui frendens eas oſtendit literas, indignatuſquè hæc addidit, At uos quidem mulieres omnia miſcetis: Regina, quid ſalui eſſe poteſt, ubi mulierum conſilio omnia geruntur? At Valeſia cùm mulierum conſilium tutum eſſe Poieto re-

to reſpondiſſet,& quædam alia acerbius,digreſſa eſt ab eo. Re denique cum aulicis alijs potentioribus communicata, non putauit prætermittendam hanc Poieti ſuperbi, uanique hominis,opprimendi occaſionem. Circa ueſperam cùm circunfuſi eſſent circa Regem aulici, refertur ad Regem quid Poietus oblocutus ſit in eum. Conclamant aulici ferocitatem uiri ulciſcendam. Rex, qui malè antea in eum animatus eſſet, primùm quidem abigi iubet Poietum,aulaque ei interdici;ſed cùm Henricus Rex Nauarræ & reliqui aulici qui reconciliari poſſe Regem uidebant alio tempore Poieto,parum aiunt tutum eſſe aula eum exigi, qui tot tabulas ad regni utilitatem pertinentes,ſua ipſe in poteſtate habeat. Proinde cautius eſſe,ſi periculoſo hoc tempore,conſiliorum omnium bellicorum particeps,tuto loco aſſeruetur. Iuſsit Rex uti captus in Bituricenſem arcem abduceretur,data eius capiendi mox & abducendi cura Ludouico Neuerſio: qui lectulo decumbentem excitans,perturbatis omnium domeſticorum animis,mox in Bituriges abducit. Is mox ad Regem & Philippum tribunum maritimorum & Franciſcum Turnonium literas dedit, querelarum & miſerationis plenas: quibus id tantùm deprecabatur, uti moleſtia carceris liberaretur,nec tamen impetrauit. In eius locum ſuffectus mox Franciſcus Monthelonius,præſes Pariſienſis. Poietus per aliquot annos carceri incluſus uixit,ægrè tandem impetrauit,ut more maiorum è ſenatibus delecti patres cogerentur,per quos iudicium ſtatueretur: qui tamen ipſi nominati ſunt minimè in Poieti gratiam: diuque poſtea Petro Raimundo præſidi Rothomagenſi homini graui & probato,negotium datum,ut in Poietum quæreret. Huicq; demum anno milleſimo quadrageſimo quinto ſententia patrum,ob peculatus crimen, diuenditoſque & uenundatos regios magiſtratus, & multa ad ſuum quæſtum nundinationemque fœdè patrata, mulcta grauiſsima, ac pecuniaria tantùm irrogata eſt: niſi quòd aperto capite adeſſe iuſſus eſt, dum ſententia in eum lata recitatur. Cuius iudicij exitum Rex acerbiſsimè tulit, & in eos qui ad eum miſsi erant ad iudicium ei aperiendum (nanque ita illi decreuerant, ne quid prius proferretur, quàm Rex eſſet certior factus) effudit multa in iudiciorum corruptelam, in iudicij huiuſce contumeliam. Et parum ſanè abfuit, quin eo iudicio ille capite lueret, ægreque aulici ferebant elapſum hominem, qui tamen perpetuo carceri eadem patrum ſententia addictus erat,tametſi ea pœna illi remiſſa eſt. Atque hæc quæ multis pòſt annis accidère,in hunc locum referre placuit, quando ſemel in Poieti mentionem incideramus. Principio huius belli, Rex exercitum ad Perpenianum urbem,quam Cæſar iam pridem occupabat,inſtituit ducere, conſilio Antonij Pratij Mompeſaci. Sed cùm tardius coactæ eſſent copiæ, neque maturius propter

itinerum difficultatem urbem obſediſſent, inanis fuit oppugnatio. Et ſunt qui tardius ab Henrico Regis filio eductas copias uolunt. Sed eum cum copiolis inermibus proficiſci, & feſtinare indecorum inutileque fuiſſet. Maturius, exercitu nondum contracto, uenire non potuit, pugnæ ſemper cupidiſsimus. Sunt qui ea parte urbem oppugnatam, qua Mompeſacus diſſuadebat, Claudio Ennebaldo authore uolunt: quem, cùm huius oppugnationis munus ſuum eſſe uellet, parum fuiſſe uolunt æquum aliorum conſilijs: & Mompeſacum aiunt uaniſsimè ſuaſiſſe Regi, antequam robur exercitus cogeretur, utile futurum, ſi ipſe cum delecta equitum peditumque manu prius locum obſideret, itinera intercluderet: neglexiſſe id Regem. Oppidani cùm ſpacium habuiſſent ſeſe colligendi, milites inſtruebant, delectum cogebant, arma expediebant. Ioannes Congeus & Ioannes Ceruillio, qui urbi præſidio relicti erant, parata omnia ad obſidionem tolerandam habuere. Eſt Perpenianum mediocris ciuitas: loco ſuperiori eminet Caſtellum Maius: (ita loco nomen.) Inde muri pars, claudens parte una urbem: eſt & Caſtellum alterius munitionis, nomen Caſtello Maiori minus. Ex ea muri parte inferiore quæ attingit Caſtellum Maius, eſt propugnaculum paruum & depreſſum, per quod tueri poſſunt mœnia. Ceruillionis conſilio diruta eſt, ea pars muri ex urbe: medioque ferè itinere extructum eſt aliud propugnaculum terreum. A' tergo erat Fanum, quod & illi munierant inſtar propugnaculi: ex quo loco uariè Galli afficiebantur. Nec longè ab urbe aliam munitionem extruxerant terream, quam nequicquam Galli fruſtra diruere conati ſunt. Italicus eques latè uicinas regiones populatus eſt. Hiſpani ex urbe frequenter erumpebant. Leuia utrinque ſæpe certamina, ut quodam die urbe egreſsi, machinas Gallicas aut abducere, aut obturare omnes tentârint, ni Briſſacus, cum delecta equitum manu ſuperueniens, hoſtes in urbem coëgiſſet. Ibi ex noſtris uulneratus Roquenius glande quidem ænea ab hoſte circa brachium, at uarijs alijs locis haſta, uel à Triſtano Moneio uno ex noſtris, dum irruit uelut in hoſtem, ut quidam uoluere, uel ut nocte intempeſta accidit, ab alio quodam. Et paucis antè diebus Cappuſius, qui Galiotum Ienolacum manu ſuſtentabat, tormento ictus necatus eſt: & uulneratus Ioannes Salignacus Burdigalenſis: cùm poſtea ſemper incommoda ualetudo, qua iam emerſiſſe uidebatur, oppreſsiſſet eum: & ipſe quoque deſideratus, Ienolaco prono in humum ruente illæſo, ut & Daciero, qui & ipſe parum abfuit, ne alio tormento emiſſo opprimeretur: alio die ingens equitum certamen, ut multi utrinque deſiderati ſint. Captus unus è Cadurcorum nobilitate Antonius Cardilacus Bieulius; qui captum abduxerant, dum contendunt de captiuo, ad

certamen

certamen ipſi uenerunt: id alter intuitus Cardilacum nequicquam ſibi metuentem gladio transfigit. Henricus Delphinus quum apud Congeum & Ceruillionem expoſtulaſſet per tubicinem de ferocitate militum, uinctos reos illi parati fuerunt dedere; refutante Delphino, de his ſupplicium Hiſpani ſumpſere: noui etiam milites in urbem immiſſi ſunt, & Cæſar cum robore exercitus aduentare dicebatur. Interea Aureliorum Dux Carolus, ad fratrem è Leucis reuocatus peruenit. Rex toto obſidionis tempore, Salleis ſe non commouit. Quum fruſtrà eſſet obſidio, placuit diſſolui copias: aduentante iam hyeme, uicina aliquot oppida à Iacobo Perucio Eſcartio, & Ioanne Sanctiaſterio direpta ſunt. Itali & Aquitani ſeditione facta uix pugna aperta abſtinuere, ægréque pulſatis Aquitanis ſedata ſeditio. Narbonenſis prouincia à militibus Gallicis eo tempore uaſtabatur, uel multitudine ipſa militum, uel procacitate ipſa, ut oliueta paſſim etiam excinderentur magno hominum dolore. Rex Monſpeſſulum, inde Tholoſam, è Tholoſa inuiſit Margaretam Reginam Nauarræ, ſororem Neraci degentem, quam fama erat grauidam eſſe, & iam ad pariẽdum uicinam. Sed accidit poſtea, ut ea pareret quod molam uocant. Mox Burdigalam, è Burdigala Angoliſmam & Cognacum peruenit. Cæſariani Luxemburgum recepere: & iam inſtructis copiis Pedemontanorum urbes uariè afficiebant. Eò miſſi à Rege, qui Cæſarianos ad ſua tutanda reuocarent: quædam etiam eorum oppida oppugnarent, perterritóſque in ſua cogerent. E Perpeniano in Subalpinum agrum tranſiêre Regiæ copiæ, miſſo Ennebaldo: & circa finem Nouembris menſis conuenere ad Carignanum. Ibi ad ſexdecim inuenta hominum millia fuere. Ac ne tempus fruſtrà tererent, properant ad Cunicum oppidum (quod & Conium uocant) oppugnandum. Huic præerat cùm ualido præſidio Petrus Portius Vicentinus. Et quamuis acriter per ſingulos tres dies tentaſſent Galli Itali'que irruptionem, fruſtrà tamen fuit omnis conatus, impigrè obſiſtentibus Hiſpanis. Itaque rediere Carignanum, ubi ſeptem peditum millia exauthorata ſunt, quòd rapinis infeſtaſſent agros. Ibi cùm Ennebaldus muri parte diruta, modicè iuberet Oſſunum cum ſuis peruadere, ille autem comatulos & delicatos iocans depoſceret, parum abfuit res à diſsidio acri, inter Oſſunum & Thermum amiciſsimos: qui fruſtrà proceribus adnixis ut in gratiam redirent, inter ſe cùm contuliſſent familiari colloquio quæ utrumque angebant, tandem in gratiam rediêre. Eſt & fruſtrà Quierſium tẽtatum, multi'que ex peditibus, machinis emiſſis conciſi: inter quos Petrus Faugierus Burdigalenſis, cui Gorſio cognomen. Itali qui in patriam reditũ parabant, cùm inſtare uiderent Cæſarianos, deligunt certos ſibi uelut itinerũ duces. In his fuêre Regulus Malaſpinus,

Iacobus Sanius Vicentinus, Aldrigus Venetus, Straſinus Placentinus, Ioannes Andreas, Marinus Brixienſis, Franciſcus Pacius Venetus, Æmylius Bolognetus, Giraldus Fraſcherus Alexandrinus: Carrerus & Fraſcherus cum ſeptingentis peditibus noctu occupârunt Abruzum oppidum, haud longè ab Alexandria: nec diuturna ea fuit eis hæc ſedes. Namque Vaſtius Daualus intentus in omnes occaſiones, arceſsiuit mox lectiſsima Cæſarianorum auxilia. Hi cum ſexdecim hominum millibus, & ſeptem tormentis maioribus mox adfuere. Daualus quaſſatis muris ſummo impetu irruit in oppidum. Et quanquam ſtrenuè ſe tuentibus illis; dum recentes undique hoſtes ſummittuntur, potitur oppido: ubi multi cæſi, multi capti. Fraſcherus iubente Vaſtio, capite diminutus eſt: cæſus quoque eſt Pacius. Reliqui Itali cùm diu hac illac uagarentur, à Boutierio in arces uicinas aliquot numerato ſtipendio diſtributi ſunt. At Vaſtius & Pyrrus Columna, cum ſeptem peditum millibus, eductis quoque maioribus tormentis, multa caſtella ignobilia, partim ui, partim uoluntaria deditione recepere. Rediit deinde Aſtam Vaſtius. Galli Italique, duce Petro Mario Sanctoſecundano rurſus conuenientes, cæſis Cæſarianis rurſus ea recepere: eáque & Carignanum munere, annona copioſiſsimè illata. Ex eo tempore bellum trahebatur occupatione caſtellorum, munitionumque. Accidit ut Chinciarius præfectus equitum alis leuibus Cæſarianis, ad Veroam negligentius ſederet. Id Boutierius ſentiens, mittit Ludouicum Biragum cùm aliquot alis equitum, & Antonium Francum cum trecentis peditibus, qui imparatum opprimant. Hi ſumma celeritate uſi, Veroa occupata, ita oppreſſere Chinciarium & Cæſarianos, ut impedimentis, armis, equis relictis, effuſa fuga omnes ſibi conſulere coacti ſint. Multi capti, plures uulnerati, præda opima parta. Acciderat uerò antea, ut Gallis pulſis è loco cui Cana nomen, mitteretur ab hoſtibus Aldrigus Venetus cum trecentis peditibus, ad Marſalium arcem præſidio firmandam. Id oppidani intuentes, admonere Gallos, ſimul partem in oppidum excurrere iubent: partem aliam ipſi per ſubterraneum locum perducunt ad Marſalium. Aldricus cùm ingreſsi Galli, Galliam undique acclamarent, multosquè ſternerent, parte alia ab aliis oppugnaretur, perterritus fugam adornabat: ſed multis cæſis captus eſt per Fantonem, ac deinde Carolo Drotio traditus, ex cuius cuſtodia elapſus ad Vaſtium confugit. Nec multo poſt adcurrens Vaſtius, oppidanorum agris uaſtatis omnes crudeliter necauit: tantùm duos, quos perfidiæ prioris inſimulabat, uinctos excelſo loco pedibus ſuſpendit, pilarumque ferrearum innumeris ictibus pendentes, à milite necari iuſsit. Mittit deinde Pyrrum Columnam ad Mondeuium oppugnãdum. Inſtructiſsima acie gradientem cum

multis

multis Hiſpanorum, Italorum, Germanorum millibus. Illi ad Agnellum conſilio habito, prima luce uicos occupauere: ubi Galli in præſidio erant cum Ioanne Andrea, & Iulio Landriano. Landrianus captus eſt, reliqui Mondeuium peruenêre. Carolus Drotius, quem & Droſſum uocant, præerat Mondeuio cum Heluetiorum aliquot Aquitanorumque cohortibus; Italicoque peditatu cum Fantone, Paulo Miglio, Naldo, Bonio; Ioanne Regio Turcheto, Ioanne Andrea Marino: qui omnes Italici peditatus erant ductores. Aquitanici uerò ductor erat Brianſonetus. Columna admonet Daualum, quibus copijs intellexerit Mondeuium munitum, maioribus uiribus opus eſſe. Ille mox eò aduolat cum lectiſsimis copijs, & decem & octo machinis maioribus. Ac primùm quaſſantur multis locis mœnia, quippe tribus locis hoſtes machinas aptiſsimè collocarant. At erumpentes Galli Italique, multis utrinque deſideratis redière, è Gallis Brianſoneto cæſo. Sequentibus diebus ſtrato muro hoſtes irruère: ſed à Gallis pulſi, multis deſideratis frendente Vaſtio, eo die reditum eſt in caſtra. Iam acrius quaſſata erant mœnia: idque intuens Drotius quibuſdam diſſentientibus deditionem facit ſaluis omnibus rebus. Hæc incidere in tertium diem Nouembris, anno M. D. XXXVII. Vaſtius Mondeuium munijt, & cum ualido præſidio imponit Ioannem Matthæum Longum. Vicina omnia caſtella, quorum uſque ad octoginta multi numerum transferunt, ab eo quoque recepta, & præſidijs firmata. Pergit Vaſtius ad Carignanum. Præerat Carignano Petrus Oſſunus Gallus & Acciolus: aderant & Franciſcus Bernardinus, & Accoltius. Hi impares ſe agnoſcentes tantis copijs (neque enim ijs munitionibus quibus hodie, ſeptum erat Carignanum) loco relicto, conſtituere uarijs excurſionibus fatigare Cæſarianos. Dum abeuntes proſequitur Vaſtius, & Oſſunus acriter dimicat, homo uetere Aquitanica, nobilitateque ornatiſsimus, captus eſt. Culpam ipſe retulit in Bernardinum, qui, ut conuenerat, aut noluerit adeſſe, aut terrore impeditus fuerit: eoque nomine ad ſingulare certamen hominem prouocauit. Sed Rex duelli author eſſe noluit. Captus eſt & Magrinus. Vaſtius Pyrrum Columnam & Felicem Arcium Germanum, & Sanctomichaelem Hiſpanum præpoſuit Carignano; idque communijt. Franciſcus Rex per Boutierium certior factus nouis copijs opus eſſe, ex Heluetijs & Aquitanis collectum peditatum ſubſidio ſuis miſit: & ad XV hominum millia unà cum Italis habuit. Nec Vaſtius quæ pararentur ſentiens, diſtulit acceſſere copias: octoque Germanorum millia è Germania exciuit. Interea menſe Decembri accidit, ut Petrus Portius Vicentinus, dum cum Gallis congreditur uarijs excurſionibus, caperet eum qui Bargeſio præpoſitus erat:

nomen

nomen multi ſiluêre, parcentes familiæ: Italum fuiſſe aiunt. Is captiuum, poſteaquam de precio ingenti redemptionis conuênit Portio pollicitus eſt daturum ſe Cæſari aut Portio Bargeſum arcem: in eam rem obſides daturum filium & uxorem. Hęc pacta rata habuit Vaſtius: his ille conditionibus ſolutus eſt. Euocatus Portius pergit ad Bargeſum recipiendũ cum ducentis peditibus, quinquaginta equitibus: admonetq́ alterum pactorum: ille præmittat uiginti pedites prius, cõſulit, his ſe arcem traditurum. Tum demũ uẽturum Portium exploratis omnibus, nihil ſibi ſanctius eſſe fide, quam cõſtrictam liberare uelit. Hoc ille maximè fidem fecit, quaſi Portij utilitati conſuleret. Præmittuntur uigintiquinq; milites ſpectatæ uirtutis: hi omnes Bargeſum aduenientes conciſi ſunt exceptis duobus. His duobus cum ferrũ, ignem, acerba omnia ſupplicia minitaretur, tandem factum eſt, ut ſpe ſalutis conſequendæ reciperent, ſe quæ ille iuberet aut ſcripturos, aut elocuturos. Collocat eos in turriculam altiuſculam: euocantur Portiani ad colloquium: His illi renunciant ſalua eſſe omnia, ne dubitarent arcem ingredi. Suadebat iterum Portio ingrederetur cum uigintiquinque equitibus, alij deinde admitterentur. Ipſe interea ſuos, qui pilarum emittendarum peritiſsimi erant, in armis paratos eſſet iubet. Introducitur Portius, ut uidebatur, nec tamen introductus eſt, ſed ab alijs qui exituri erant prope Bargeſium ſtantibus honorificè exceptus, mox emiſsis pilis impetitus eſt. Nemo è Portianis fuit qui non aut occumberet, aut uulneraretur: ipſe ita uulneratus eſt, ut mox exanguis deſiderium ſui relinqueret. Hic finis Portij, cuius fortitudo concitârat magnam opinionem apud Cæſarianos. Interea Galli receperant ea caſtella, quæ prius occupârat Vaſtius. Iam circumagebatur initium anni M. D. XLIIII, tum Boutierius, Teus, Maurus Gabriel Mauri frater, Biragus, Carlous cum multis equitum, peditumque millibus in agrum Creſcentinum peruenêre. Huic loco præerat Canus cum trecentis peditibus, ducentis equitibus Cæſarianis: atque is admotis machinis ſaluis rebus omnibus deditionem fecit. Properat Boutierius ad Liuornum, quod & receptum eſt uoluntaria deditione. Tandem admouit copias ad fanum Germani, ubi Caranius cum Andrea tribuno, Petro Gaſino, & multis alijs, firmóque equitatu & peditatu relictus fuerat: qui cùm robori ſuorum confideret, deditionem diſtulit: ubi ſenſit labare animos, deditione facta emiſſus eſt: idque accidit menſe Februario. Horum omnium bellorum apud Gallicos ſcriptores ſummũ ſilentium. Exteri quædam prodidere: obruêre tamen ſilentio multorũ res fortiſsimè geſtas: ut ijs accidit, qui Gulielmi Bellai Langæi non meminêre: in quo ea adfuere ornamenta, quæ M. Tullius in L. Lucullum congerit, magnum optimarum artium ſtudium, tum

omnis

omnis liberalis & digna homine nobili ab eo percepta doctrina. Tantus uerò fuit imperator in omni genere belli, prælijs, oppugnationibus, totiuſquè belli inſtrumentis, & apparatu, ut ille Alphonſus Vaſtius Daualus poſt Ferdinandum Daualum acutiſsimus omnium imperatorum, hũc à ſe maiorem ducem cognitum quàm quenquam eorum quos uidiſſet, fateretur: Carolus uerò Cæſar plus ſe ab eo unius illius eloquentia, dum apud exteros legati officio fungitur pro Rege debilitatum fateretur, quàm multorum robore & animi magnitudine. Sed nec aut Dacierij, aut Terridi, aut Alegrei, aut Thernij, aut Sanctoiuliani, aut Petri Oſſuni, Monluci, Montigrundi, niſi rariſsimè meminêre, quos omnes clariſsimos ipſi ſciunt fuiſſe toto hoc bello Subalpino. Nec hæc eò ſcribo, quaſi fidem abrogari uelim exteris ſcriptoribus: diligentiam illi maiorem planè quàm Gallici attulêre: ſed qui Gallicos exteris contulerit, meliora optimis, ingens operæpretium facturus uideretur: obijciunt nobis exteri temeritatem, quam & Gallis Iulius Cæſar maximè innatam ait, ut leuem auditionem habeant pro comperta. Obijciunt iracundiam, aulæ immodicos faſtus. Obijciunt delicias: obijciunt cunctationis impatientes animos, falliquè eos docent, exiſtimantes fortitudinem pugna tantùm aperta inclareſcere: cum cunctationem maturam, inſignem maioremquè partem eſſe diſciplinæ militaris ueteres prodiderint. Obijciunt omnibus bellis loca ad limites ſita, aut annona, aut ſulphureo apparatu ſumma eorum qui præerant incuria caruiſſe. Obijciunt cauſarum forenſium immortalitatem, exordia cauſarum & præludia longiora apud nos eſſe, quàm apud alios exitus, ipſoſquè etiam uictores è foro non niſi loculis exhauſtis diſcedere. Iuſtitiæ interdum quaſi uirginis elegantis, uenuſtæ & concinnæ lenocinium fieri ab ijs, qui eius decus, aut potentiæ, aut gratiæ, aut opulentiæ proſtituunt. Ab his alijſquè in nos magna cenſura ſcriptis ſi abſumus, uana ſunt eorum conuitia. Si more humani ingenij interdum ad ea offendimus, enitendum ut quæ prodidêre ſapientiſsimi homines, præcepta de utilitate capienda ab hoſtibus, ea hac parte exerceamus & conſumamus. Nec uerò ſilentio obruenda eſt mors Alexandri Tortij: is ciſternam Regis imperio, cùm ſæpe à Cæſarianorum inſidijs liberaſſet, Fanum Damiani intercipere parabat. Oppidani partim deditionem faciebant, partim deditionis conſilia ſimulabant. Sic reuocato eo ex itinere, quaſi ad oppidum recipiendum, machinis emiſsis uulneratus ac deinde deſideratus. Ioannes Nourriſierius Bicus, parum abfuit ne cum Tortio opprimeretur. Ita Tortio ad ſummam gloriam rei militaris floreſcenti, fraude hoſtium uita erepta eſt. Eo anno ſenatus Gallici (quod ſæpe fit, ubi nouorum bellorum tumultus audiuntur) iuſſu Regis prorogati ſunt in totum annum

annum, cum alioqui feriæ illis uſque ad Martinalia ſtato tempore concedi ſoleant. Et Carolus Burius Baionam iuſſu regio miſſus, uiſus eſt neſcio quid occultè tractare de Fano Sebaſtiani urbe uicina, quæ Cæſaris imperio paret, intercipienda: ſed uulgato mox cõſilio uani fuere conatus, & de Aquitania inuadenda moliri inſidias Britannus iactabatur, cùm tamen pacata omnia fuerint. Eodemquè anno nomine mutui exacta eſt paſsim ingens uis pecuniæ. Quinque Germanorum millia per Aquitaniam progrediuntur, ſummo hominum terrore, minore tamen diſpendio, niſi quòd inſigniter dolia uini ſiccabant. Sanctones & Rupellani ob ſalinarium uectigal nuper à Rege conſtitutum, neque ſolutum aut admiſſum, hos in ſe mitti uerebantur: & erat Rex Rupellanis infenſior, ob controuerſiam quam ſemper ſtomachoſè perſecuti erant in Cabotium Iarnacum rectorem urbis. Multi uincti, aliquot in carcerem coniecti. Sed ita res compoſita, uti ueluti theatro conſtituto Rex deleret cum aulicorum purpuratorumquè comitatu, illi miſeri ueniam deprecarentur. Rex delicta omnia remiſit: ac ne cui inpoſterum fraudi eſſet, ſanciit, ob ea quæ prius molitus erat: Eo anno Burdigalæ multi perſuaſionis uiolatæ nomine rei peracti ſunt. Nam Poietus cùm adhuc eſſet iuriſpræfectus diplomate regio miſſo, certos è ſenatu ipſo delectos, acres huic uni rei præpoſuerat: quę res multorum odiorum ſemina alebat. Itaque Margaretę Valeſiæ Reginæ inſigni pietate opera, diplomatis huius ui ſublata, rediit ad uniuerſum ſenatum ſua cognitio, Iuſſuquè ipſo Regis mitigata paululum reis pœna: niſi qui inuenti eſſent, qui Sacroſancti diuini corporis ſacra illa myſteria conuellerent. Cæſariani quoque eadem hyeme in Gulielmi Cliuenſium Ducis ditionem irruentes, loca aliquot expugnarunt: & Cliuenſis ſæpe cum Cæſarianis congreſſus, uictor rediit: nec tamen Henſbergum oppidum ab his occupatum recipere potuit: & ad Nurembergum coactis proceribus Germanicis, cùm legati Cliuenſis præter eius mandatum inducias accepiſſent, repentè in Regis gratiam ab his fœderibus diſceſſum eſt, irritato præter modum Cæſare. Duo ex purpuratorum cœtu utrinque ad Cæſarem & Regem à Paulo Pontifice miſsi. Fruſtra utrunque ad pacem hortati ſunt. Inſtabat iam annus milleſimus quingenteſimus quadrageſimus tertius, cùm Rex uias omnes exhauſto fiſco quærens, quibus tantas aleret copias, nouam iudicum decuriam ſenatibus Gallicis adiecit, acceptis ab unoquoque nummûm aureorum duobus millibus, urbibus omnibus Gallicis nomine mutui ad alendas quinquaginta millium peditum copias, noua pecunia indicta eſt, exactaquè. Narbonenſes aduentantibus Cæſarianis magno in periculo ſe eſſe uerebantur: ſed mox dilapſis illis, uanus fuit timor. Baionenſes ſimili metu conſternati ſunt, &

ſuſpectos

ſuſpectos habuere multos, quaſi de urbe Cæſarianis prodenda. Quum enim illi repente aduenissent, ubique ad arma conclamatum eſt, iam direpto Fano Ioannis Lucenſis. Satis conſtat uiſos multos pluſquam uiginti ſcalas aliaque ferentes, quibus urbs interciperetur. Copiæ ut ex inermibus coactæ, ita niſi maior uis occurriſſet, ſatis paratæ. Auxit terrorem Caroli Burij, qui regio nomine urbi præerat, abſentia. Is hoſtium aduentu cognito, mox equorum celeri curſu arrepto, in urbem properauit, & aduenit inclinato iam die. Eò etiam aduenerunt nocte intempeſta ductores peditum, cum turmis aliquot militaribus: inter quos Alſatus, Aillocus, Stephanus, quos oppidani ea nocte grauiora ueriti urbe excluſerunt, inuito ipſo Burio. Porta urbis prope quam commeatus à Rege in urbem introducti erant, ea nocte aperta inuenta, ſocordia, ut putatur, ciuis Baionenſis, cuius curæ mandata erat. Oppidani ignibus tota nocte accenſis circa muros pernoctauere. Emiſsis ex urbe machinis bellicis, quùm Cæſariani intercipiendæ urbis conſilium parum ſuccedere uiderent, mox alio dilapſi ſunt. Eo anno Naium oppidulum in Bernenſibus finibus, igne cœleſti immiſſo, maiori ex parte flagrauit. Henricus Nauarrorum Rex non ſolùm Aquitaniæ, ſed & Narbonenſi prouinciæ, & eius tractus totius, qui adhuc prouinciæ nomen retinet, Prætor deſignatus. Nouos paſsim magiſtratus, nouas præfecturas Rex deſignabat, deſignatas rurſum mox reuocabat. In Narbonenſes cùm Cæſariani iterum duce Franciſco Bemuntio incurſiones facerent, Mompeſacus eduxit uiros acres: hos in inſidijs collocans, multos palantes necauit. Bemuntium cum reliquis uſque ad Perpenianum fugientes ſecutus, deliberans etiam de urbe obſidenda, ni pecuniæ inopia deterritus eſſet. Principio huius belli Anglorum fides ſuſpecta erat Regi: nam illi Cæſarianos tacitè iuuabant. Quæ eò cauſa Anglorum Regem Henricum uiolatis prioribus fœderibus impulerit, dubitatum eſt: niſi quòd prudentes rerum æſtimatores ſemper uident illum inferiori ſeſe callidiſsimè adiunxiſſe, uti ſemper ambos committeret, & Gallum & Cæſarem: & nihil prętermiſiſſe, quantum facere atque eniti potuit, quin Gallum ſuperiori bello à Cæſaris amicitia auocaret. Ipſe interea augendo fiſco intentus, expectaret occaſionem opportuniorem Gallo nocendi. Anglorum naues aliquot Hiſpanicis adiunctæ ad Fontem Rapidum in Gallos graſſabantur, nec tamen agnitæ ſunt, donec Aquitani nauem Hiſpanicam ſe intercepiſſe rati, Britannicam agnouere. Ea cùm Baionam perduci non potuiſſet ob fauces portus anguſtiores, ad Fanum Ioannis Lucenſis perducta eſt. Hunc locum ab Auſonio Lucanicum uocatum multi falsò putauere. Angli mox claſſe Hiſpanica inſtructi eò adueniunt, nouémque recipiunt: parati qui nauem intercepiſſent necare, ni Hiſpa-

ni qui ob uicinitatem multis huiuſce ſimilibus caſibus obnoxij ſunt, ex more uix tandem impetraſſent, uti inermes capti ad ſuos redirent. Erat eo tempore apud Anglum Regis nomine legatus Rogerius Aſprimontanus, quem Orteum à gentilitia domo uocabant. Cum'que hic quereretur apud Henricum Regem infeſtari Britanniæ oram à ſuis, reſponſum accepit à Rege, omnia ſibi cognita, aperta, patefacta quæ inierint Galli cum Scotis conſilia: daturum ſe operam, ne illi in Scotiam adeant: pollicitationes omnes ad ſe delatas: curaturum ſe ne quid illi in ſe molirentur & paucos poſt dies remiſſo in Galliam Aſprimontano, apertum ſeſe hoſtem declarabat: antè tamen, ne belli minus iuſtam occaſionem habuiſſe uideretur, per legatos petere cœpit annuam illam penſionem, quam Gallici Reges Britannicis ex pacto ob Aquitaniam pendebant. Rex qui uideret iam apertum hoſtem, etſi pecunia immenſa hoc tempore redderetur, ſua pecunia bellum ſibi maius acceſſurum, conſultò differebat ſolutionem. Ex eo tempore, & quod cum Iacobo Scotorum rege congreſsi Britanni ſuperiores redierant, & Rex Scotorum poſt paucos dies deceſſerat, tunc ueluti metu ſublato apertus hoſtis, copijs in Flandriam traductis, Cæſarianis ſe adiunxit. Erat Iacobus Eſcartius Perucius apud Tarauannam Morinorum cum ſuis turmis militaribus. Hic cum ſuis prædabundus ex urbe egreſſus, hoſtibus occurrit nume ro ſuperioribus, ad oppidum cui Hera nomen. Vt ex puluere utrinque hoſtes agniti, mox reuocati præcurſores. Erant hoſtes numero ſuperiores: rati tamen maiores Gallicas copias adeſſe, taciti excepturi Gallos expectabant. Eſcartius confertos ſuos in exanguem hoſtem prorui iubet. Ibi poſt leuem dimicationem illi terga uerterunt. Multi cæſi, centum ex equitibus cataphractis captiui abducti. Ibi Franciſcus Lotharingus, cui Aumallo cognomen, cui & huius uictoriæ laudem multi adſcripſere, adfuit, teritóſque hoſtes apparuit turmis Gallicis undique uarijs'que è locis, ut paſsim qui'que excitati fuerant aduentantibus, quùm tamen pauci adeſſent. Diuerſo exitu eandem laureolam quærens Sanſacus è Maſerijs egreſſus, ab hoſte multis captis in urbem coactus eſt. Captiui utrinque liberaliter habiti, & æquo pretio liberati. Vindocinenſis Bapalmium oppugnaturus copias adduxit. Ibi Ocimons Cæſaris nomine arci præerat, in arcem ſeſe recepit. At Gallo aduentante ita ex arce emiſsis machinis Gallos concidit, quo ut loco conſiſterent, prorſus non haberet. Itaque inde effuſi ſeſe recipiebant: cùm & Cæſariani arce egreſsi Gallos infeſtarent, ac niſi Gallici equitatus robore Galli ſubleuati eſſent, res prorſus infelicius ceſſura fuiſſet. Interea Rex lectiſsimis copijs contractis, in Marolienſe cœnobium caſtra defixit. Ex eo loco uariè hoſtes Gallos infeſtare ſoliti erant: & direptis uicinis aliquot ar-

cibus

cibus & oppidulis, incenſis'que & corruptis hoſtium ſegetibus, quas tempeſtiuè eis demetere non licuerat, ad Landriſium oppidum pergit. Oppidani quaſi Gallos excepturi, primum impetum acriter ſuſtinuere, & tota nocte emiſsis tormentis uariè Gallica caſtra infeſtabant. Sed ſummo diluculo urbe egreſsi, corruptis machinis, incenſa etiam urbe, in uicinum nemus perueniunt, Cæſarianis'que ſe adiunxere. Rex ad urbem uiſendam profectus, præter ducum ſententiam muniendum locum curauit: celeriterque munito oppido præfecit Landam rei militaris peritiſsimum, & Andream Montelambertium, quem Decium aut Panuillierium notiori nomine uocabant, cum lectiſsimis cohortibus, uti eo loco Cæſari exultanti tanquam frenos inijceret. Accidit ut quodam die, cùm circa uicinum nemus cum aulicis aliquot obequitaret Rex, repentinæ hoſtium copiæ uiderentur, quaſi ad intercipiendum eum paratæ. Itaque mox ad arma conclamatum eſt: & Rex in tutiora loca in caſtra ſe recepit. Delphinus cùm Balneenſes uicinos intercepturum ſe putaret, eò raptim peruenit. Illi ita acriter impetum uim'que depulere, ut illi mox inde abeundum fuerit, multis deſideratis, in quibus fuiſſe narratur Alegreus. Rex in Franciam latè agris hoſtium populatis, redijt, munito Landriſio. Ipſe eo tempore Claudio Ennebaldo (qui in locum Cabotij defuncti tribunus maritimorum deſignatus fuerat) utebatur familiariſsimè: ita prorſus ut aulici ordinis nullo familiarius; ut quæ ad bellicos apparatus pertinerent, illius opera expedirentur. Cæſariani interea tacitè in cœnobio Guyſiæ urbis uicino, caſtra defixerant: rati ſe adiunctis Anglis, Guyſiam intercepturos, in quam Neuertius à Rege cum aliquot turmis prius immiſſus fuerat. Interea ex hoſtium copijs fortiſsimi qui'que ad Guyſiam excurrebant, & urbis potiundæ ſpe oblata, frequentiores è caſtris ad urbem oppugnandam perueniebant. Galli qui urbi præerant, emiſsis tormentis bellicis Cæſarianos infeſtabant. At Iacobus Eſcartius uel admonitus à Neuertio, uel ſuos mittens ad agros hoſtium populandos, tormentorum ſonitu motus, eos ad urbem tutandam emiſit. Cæſariani cùm leuis tantum equitatus adeſſet, cùm ipſi imparati adueniſſent, rati iuſtas Gallorum copias adeſſe, ſenſim in caſtra ſuorum uicina confugiebant, quæ ubi locata erant, Eſcartiani ignorabant: fugientibus inſtant Gallici equites, multis cæſis, multis captis, finem ſequendi nullum faciunt, donec in caſtra hoſtium uentum eſt. Ibi mox ad arma cùm eſſet conclamatum, Franciſcus Eſtenſis Herculis Ferrarienſis principis frater, admiſſo equo ad ſuos tutandos egreſſus eſt: at mox ſuis fugientibus immixtus, cùm Galli receptui ceciniſſent, inter reliquos captiuos abductus eſt. Petrus Strozius captum apud Guyſiam agnouit, captiuum'que ſui iuris effecit. Interea à Ferdinando Gonza-

ga tubicines uenere, rogantes, ſaluum'ne Galli Eſtenſem recepiſſent. Ita ille agnitus in Galliam perductus eſt: liberatus tamen poſt aliquot menſes, reddito pro eo à Cæſarianis Gabriele Salutianorum principe: cuius captiuitatis caſum mox expediam. Has uictorias auſpicijs Lotharingorum partas alij prodidere, ac de Franciſco Aumallo Lotharingo narrant: hunc cum fortè ex oppido uno rediret, & incidiſſet in equitatum omnem Cæſaris, conglobatis ſuis paucis cataphractis equitibus, peruaſiſſe per medios hoſtes fortiſsimè: eodem'que tempore Iacobus Albonius Sanctoandreanus cum hoſtium equitibus, leuibus prælijs aliquot congreſſus, multis cæſis, uexilla quoque inde militaria aliquot retulit; ut & Renatus Carnutenſium Regulus. Eodem'que anno Rex ad ſe reuocatis copijs Luxemburgum, ſuos properare iubet: urbs obſeſſa ab Hērico filio magna diligentia. Cæſariani ueriti ne quid durius accideret, urbe ei ditione'que ceſſerunt. Ibi Franciſcū Aumallum Lotharingum circa inferioris partem pedis, dum foſſas explorat hoſtium, uulneratum prodidere: adfuiſſe'que cum lectiſsimis Italorum cohortibus Petrum Strozium, in quibus & fuerit Fabianus nepos Mariæ Montij purpurati pontificij: Strozium cum ſuis & Gallica nobilitate inſtar plutei fixiſſe munitiones deiectis Germanis, ultrò equitibus peditum munera ſuſtinentibus: Cæſar in Gulielmum Cliuenſium principem progreſſus eſt. Ille quibuſdam expugnatis oppidis, ſuorum uſus conſilijs, quaſi uictus fidei ſe illius commiſit, mulctatus'que, & priuatus Geldrenſi principatu, uictoris leges genibus illius aduolutus, quas uoluit accepit. Is aliquot ante dies quàm deditionem Cæſari faceret, quaſi armis ſeſe tutaturus, acceperat quinquaginta nummûm aureorum millia à Rege: ei quoque toto hoc bello à Rege in ſingulos menſes, ad alendas copias ſuppeditata ſunt uiginti quinque nummûm aureorum millia. Regem multi ſcribunt ad Luxemburgum exercitum eo animo traduxiſſe, uti procurata re frumentaria, quàm poſſet maximis itineribus ad obſeſſum liberandum perueniret. Sed cum de eius deditione auditum eſſet, in Franciam mœſtum rediſſe: arcem cui nomen Mons Ioannis, iiſdem in finibus Rex muniendam curauit. Parte alia in Salaſſariorum finibus, Ludouicus Salutianus qui Cæſari militabat, in ſpem ueniens occupandi paterni principatus, quem præſidio Regis Gabriel Salutianus alter ex fratribus, relicto Adurenſi pontificatu poſſidebat, ad Rauellum raptiſſime contractis copijs ſubſtitit. Vnus ex oppidanis, quo ille utebatur familiariſſimè, inuitato ad cœnam Salutiano, cùm in multam noctem cœna extracta eſſet, conſultò facilè ei perſuaſit, ne ea nocte in arcem munitiſſimam rediret: domi ſuæ pernoctaret. Primo diluculo adſunt Cæſariani cum Salutiani fratre: oppidóque potiti, uinctum Salutianum alterum abduxere:

cum

cum eodem exitu arce ſeſe potituros crederent, repentè Gallici cuſtodes emiſsis machinis, inde eos eijciunt. Ita Salutianus captiuus abductus eſt, oppidum mox receptum. Is poſteà in gratiam Ennebaldi tribuni maritimorum, qui pacis & concordiæ inter Reges author fuit, reddito Eſtenſi liberatus eſt, nam & Ennebaldi filiam uxorem duxit, prius ſibi deſponſam. Eodem anno Michael, quem uulgò Michelotum uocabant, unus ex his qui nauticis myoparonibus præerant, in ſpem uenit pecunia arcis Niceæ multo omnium munitiſsimæ potiundæ. Nam cum Caſtellano depactus fuerat, uti arx ſibi traderetur: ille à Rege quatuor nummûm aureorum millia & opima uectigalia annua reciperet. Is igitur Michael quaſi re explorata ad Regem ultrò contendit: indicat quæ pactus eſſet. Ea cùm Regi placuiſſent, ne res longius efferretur, dat literas Michaeli ad præfectos rei nauticæ, ut quod is imperaret, qua'ue myoparones bellicos mitti iuberet, eò contenderent. Quùm his literis pergit ad Magdalonum Ornezanum & Bernardum Ornezanum, cui Samblachardo cognomen, Magdaloni nepotem. Magdalonus lectis Regijs literis deliberat cum nepote. Ille ut erat adoleſcens, & qui Michaelem ſub patre ſuo diu meruiſſe ſciret, indignari cœpit: rem indignam, & ea re fœdam dictitare, cùm puppim ſibi clauum'que ſuperbè is uindicet, cui ne in ſentina quidem inuito patre antea locus relictus erat: ignoto homini parendum, & ita parendum, ignari ut ipſi eſſent conſilij. Magdalonus laudato nepotis ingenio, iuſsit pareret, & dicto audiens eſſet. Sic enim obtemperari Regi ita iubenti, non Michaeli: adornaret præſidijs claſſem, futurum uti in tempore eum accerſeret. Ita cum Michaele inſtructis quatuor bellis myoparonibus proficiſcitur. Diuerſari cœpere tacitè circa eum locum, cui Cannarum nomen, non longè à Nicea. Ibi certior factus à Michaele, de tota re admonere hominem cœpit, uideret quid ageret; quem in locum res Gallicas protraheret: nihil ſe ſatis arcis Niceæ præfecto fidere: miſſa autem ſcapha ad præfectum Nicenſem, ille accepta parte pecuniæ certiorem iam facit Andream Doriam, qui paratus circa ea loca cum quadraginta nauibus agebat. Ergo communicato conſilio, quò magis Galli fallerentur, præda'que locupletiori ipſi potirentur, mittit præfectus alteram ſcapham ad Michaelem & Magdalonum, oſtendens certam eſſe deditionem. Cæterùm uereri ſe, ne ipſi ſatis ſint ad cuſtodes arcis exigendos, arcem'que tuendam: proinde accerſendas eſſe bellicas alias naues milite inſtructiſsimas. Michael præfecti fidem laudare: Magdalonus dolum ſuſpicari. Remex unus de claſſe Michaelis, orabat opinionem hanc falſam de Nicea dedenda remitteret, omnia ſe uidere ad perniciē profligata atq; perdita. Vicit Michaelis ſententia, uti ſcapham mittat ad Franciſcum Borbonium An-

guianum, qui ad Maſſiliam ſummæ rei nauticæ præfectus erat, uti mox nocte adeſſet cum lectiſsimis & myoparonibus & militibus. Anguianus literis lectis, re cum amicis deliberata, cum duodecim nauibus magno noctis ſilentio ſoluit. Interea Doria ueritus ne Galli dolum ſentirent, pergit ad Magdaloni naues intercipiendas. Ille cùm Anguianum ſibi ſubſidio ueniſſe putaret, remiſsius parare quæ pertinerent ad claſsis defenſionem. Ita magno impetu & celeritate machinæ bellicæ in Gallicas emiſſæ, imparatas oppreſſere. Magdalonus ipſe circa coxam tormenti impetu acerrimè uulneratus, quando tantæ hoſtium claſsi ſeſe imparem agnoſcit, remiges mox ſolui iubet, unumquemque ſibi conſulere: ipſe malum nauis, uulneris oppreſſus dolore, amplecti. Vincti ſoluti, pars ab hoſtibus oppreſsi, pars in mare deſilientes fuga ſibi conſulere. Ipſe Michael cùm armis exuiſſet ſeſe, & nauigando iam littus attingeret, ab adoleſcente quodam Aurelio, qui nauigationis expers erat, prehenſus, cùm eſſet obeſo corpore, mox cum eo depreſſus, & poſtea ſubmerſus inuentus eſt. Doria ubi inſiliuit in myoparones Gallicos, agnito Magdalono (quippe cum Regi militaret, familiaris ei fuerat, illius' que opera non leuiter uſus) fratrem ſalutauit: lachrymanti' que ſimilis deplorare cœpit uicem ſuam: quippe ſanè quàm lubentiſsimè amiciſsimo homini ſe conſulturum: exiſtimaſſe uerò futurum uti aut Leonem Strozium Capuanum flaminem, aut Vrſinum Anguillarium Comitem opprimeret: ægrum mox Genuam perduci iubet, & humaniſsimè accerſitis medicis, nihil ſibi antiquius eſſe oſtendit, quàm ut ualetudinem amiciſsimi uiri fideliter curaret: nec uerò ad oblectandum hominem aliquid prætermiſit. At cùm uulnus lethale eſſet, ille' que obeſo corpore, & parum ſobrius, factum eſt uti poſt quintum diem de euentu belli cum Doria diſputans, expiraret. Ille curato funere magnificè, corpus cùm myoparonibus ſex, Magdaloni familiaribus ad Tholonium perferendum ſummo ſplendore curauit. Interea oppreſſo Magdalono, quò facilius Anguianus interciperetur, Doria prima luce nauibus ſuis inſignia detrahi iubet. Anguianus prima luce iuſſerat adoleſcentem in antennarum molem ſubſilire. Is cùm ingentem uim nauium ſe uidiſſe renunciaſſet, detecto hoſtium dolo properè Maſſiliam redire cœpit. Vento etiam adiutus Doria, ubi dolus non ſuccedit, uim parat: Mox Anguianum inſequitur, & uſque ad Tholonum perſecutum, emiſsis aliquot machinis uariè terruit: donec fruſtra uim ſe parare uidens, redire cœpit. Hi qui miſsi erant ad Doriã ad Magdaloni corpus repetendum, in itinere obuium habuere Ariadenum Aenobarbum, à Solymano cum inſtructiſsimis nauibus ad Regẽ miſſum. Ille morte illius audita, accuſare cœpit Rhegienſes, quorum opera factum eſſet ne in tempore illi occurreret. Nam cùm Rhegienſes illius claſſem inſe-

ctaren-

ctarentur, ipſe quaſi abiret, claſſem parauit: mox nocte intempeſta rediens, prima luce expoſitis omnibus machinis bellicis, & urbem diripuit & incendit: captiuorum'que ingenti numero abducto, in Galliam uenit, paſsim diuenditis captiuis Chriſtianæ perſuaſionis. Antonius Eſtallinus Eſmarus, quem uulgò Polinum uocabant, unà cum eo in Galliam rediijt: cùm eſſet in locum Fulgoſi & Rinconi ad Solymanum à Rege miſſus. Exequar deinceps perpetuo ordine quæ anno hoc ab Aenobardo unà cum Gallis geſta ſunt. In hunc Rex & milites Turcas ſingulis menſibus multa nummûm aureorum millia erogabat. Conueniunt cum eo duces Galliæ, in quibus Franciſcus Anguianus, Grinianus & plerique alij fuere. Erant Gallis ſeptem peditum millia, nec tantundem quidem, tametſi Rex ad octo peditum millia conſcripſiſſet: equites aliquot ex turmis Anguiani & Griniani. Viſum eſt omnibus è re Galliæ futurum, ſi Aenobardi aduentu conſternatis hoſtibus arcem Niceæ, alioqui inexpugnabilem, hoſti extorqueant. Itaque Galli cum Aenobardo Villamfrancam pergunt: nacti urbem uacuam (quippe iam oppidani inde ſeſe proripuerant) ſi quid prædæ nacti ſunt, prorſus diripiunt. Inde ad urbem Niceam contendunt, quæ non longè ab arce abeſt. Caſtris inter uineas uicinas locatis, acrius urbem incipiunt oppugnare. Eduxerat ex ſuis Aenobardus nauibus, ad quindecim hominum millia. Oppidani procellam iamdudum præuidentes, parauerant omnia ad longam obſidionem. Ita per uiginti dies fruſtra ab Aenobardo & Anguiano urbs oppugnata: præſertim cum tormentis bellicis nihil hoſti noceretur. Aenobardus iubet octo machinas ex nauibus, quæ ingentis erant magnitudinis, in caſtra aduehi: ut multa in Turcis deſiderares, ita ad imperia quęcunque ducis capeſſenda promptiſsimos agnouiſſes. Non ætas, non nobilitas, non militaris ulla dignitas, quin uiliſsimi calonis operarij, baiuliue munere omnes fungerentur: ſi quando res exigebat, ullum excuſabat. Admotis machinis quaſſari cœpta ſunt ualidius mœnia. Labefactato muro cum Turcæ in urbem irrumperent, acriter ab oppidanis excepti pulſi'que ſunt. Inde ſequentibus diebus admotis Gallicis machinis, maiore ui ſtrata mœnia: ut tum demum oppidani deſerendæ urbis conſilium inierint. Nec tamen impelli unquam potuere, uti deditionem Aenobardo facerent. In caſtra Gallica miſsis legatis in Gallorum ſe uenturos poteſtatem recepere, ita tamen uti in craſtinum diem facultatem haberent, ſua omnia oppidani uel in arcem, uel alia uicina loca auehendi: mox urbs recepta eſt. Interea Cæſariani certiores facti, periculum eſſe ne Galli arce quoque potiantur ob annonæ penuriam, (namque ingens multitudo ex urbe in arcem confugerat, & ſepoſita & recondita cibaria conſumere incipiebat.) Nicolaum Doriam cum myopa-

ronibus aliquot bellicis ſummo ſilentio in arcem introduxerunt, qui celeriter allatis cibarijs multorum menſium, eos qui arci præſidio relicti fuerant, & refecit & confirmauit. Hunc obſeruans dum rediret claſsis Turcica, fruſtra perſecuta eſt, ſubmerſis tamen quatuor eius myoparonibus. Interea Turcæ Gallis admixti, accingunt ſe ad arcis oppugnationem. Et iam paratis ad omnia imperia, quantumuis durisſima militibus, uidebatur ſuccedere arcis oppugnatio: cùm repentè rumor totis caſtris manare cœpit, adfuturum mox cum lectisſimis copijs Sabaudianum adoleſcentem. Huic adiunctum Vaſtium cum robore Germanici Hiſpanici que exercitus. Is rumor unde ortum habuerit, incertum: & ſunt qui ab Aenobardo ipſo manaſſe uelint. Coguntur duces Gallici cum eo: de ſumma rei deliberant. Aenobardus ſuas eſſe partes ait maris ab excurſionibus hoſtium tuendi. In Regis gratiam expoſitas in Niceam copias, urbe recepta non difficilem eſſe arcis oppugnationem. Si arce potiatur ſuorum tantùm auxilio, æquum eſſe uti & eam ſuorum præſidio teneat: eligant Galli utrum malint, an quandiu in arcis ipſe occupatus ſit obſidione, maritima loca interim ipſi tueri: aut id ſi nolint, ipſi obſidionis cum Gallis munus recipiant: ſe illis interea maris periculum præſtaturum: nihil ſe Cæſarianos uereri, ſi ad arcis obſidionem relinquatur. At Grinianus & reliqui Gallici proceres, cùm neque ſe alienæ claſsi uellent committere, neque ſatis ſibi eſſe uirium uiderent ad Cæſarianos excipiendos, & arcem oppugnandam: ad hæc periculum eſſe, ſi ille arce Nicea cum ſuis potiatur, propugnaculo Liguſtici maris munitisſimo, conſultius eſſe aiunt oppugnatione arcis relicta, inde abire: ita arcis obſidio ſoluta eſt. Turcæ cùm ex Nicea quoque urbe abeundum ſibi uiderent, uiolatis deditionis legibus, in miſeros ciues graſſari cœpere, captiuos abducere, ignem tectis immittere: latiusque furor eorum uagatus eſſet, niſi Grinianus quiritans, uiolari iura gentium diceret. Ita uix tandem à rapinis temperatum eſt: illud certum, Aenobardum cum robore Turcarum multis precibus contendiſſe ab Anguiano, urbis oppugnandæ cura ſuis permitteretur, quando ciues portis apertis hoſtilem uim expectarent. Turcas ſummo impetu deuolutos in urbem, ſed fractos, conciſos, pulſos ſeceſsiſſe. Id intuitum Anguianum ſeſe cum equitum flore effudiſſe, ac ui perrupiſſe in urbem. At Cęſar Cliuenſi deuicto, cùm nihil admodum toto hoc bello ſibi ademptum uideret, niſi quòd Landriſium oppidulum Galli pręſidio ſepſerant, uariéque ex eo loco ſuos infeſtabant, coacta ingenti manu Anglorum, Germanorum, Burgundionum, quoquo modo conſtituit Gallos Landriſio eijcere. Iam duobus menſibus fruſtra obſederãt Cæſariani Landriſium, quod alij Landericum uocant. Namque Landa & Decius & Capella, qui oppido præerant, ita ad omnia

intenti

intenti erant, quotidie ut ultrò ipſi intra uallem & foſſam Cæſarianos cogerent, nec temerè eos ad oppidi oppugnationem prodire paterentur. Accidit ut quodam die audacius Galli in hoſtes progreſſi, in urbem redirent. Landa fugæ ſimulatæ ſuorum quaſi occurreret, cum lectiſſimis turmis oppido egreſſus eſt: ferociſsimè Cæſarianis inſtantibus, mox illis loco cederet effuſiorem fugam ſimulans. Cæſariani futurum rati uti Gallis permixti oppido potirentur, acrius inſtare. At à Landa, ſigno ut conuenerat ſuis dato, ubi proximus oppido fuit, diuiſis ſuis propere alia parte, hi quidem dextra, alij ſiniſtra per alia loca à ſuis excepti ſunt, Cęſarianis circa urbis portas relictis, in quos mox ex oppido machinæ bellicę emiſſæ, magnam eorum ſtragem edidere. Ita factum eſt ut Ferdinandus Gonzaga qui Cæſarianis præerat, ſuos intra uallum contineret. Commentitiæ ſunt fabulæ eorum qui ſcripſerunt, uti etiam Landa in caſtra eorum perueniens, machinam unam bellicam ex leuioribus adduxerit, abductam in eoſmet emiſerit & in oppidum traxerit. Cæſar circa Caſtelletum diuerſans, auxilia maiora, iuſtum'que iam exercitum expectans, commeatu omni Gallos priuabat. Inſtabat iam hyems: & neceſſe erat aut Galli in oppidum inferrent commeatum, aut oppido hoſtes potirentur. Ad hæc Cæſar ipſe in caſtra perueniens, uariè obſeſſos perterrebat: & ex monte urbi uicino ita tormenta in oppidum emittebantur, uariè ut Gallos affici neceſſe eſſet, qui iam apparatum omnem ſulphureum conſumpſerant: ut multi quidem putent Landam niſi à Decio, Renato'que Capella & alijs prohibitus fuiſſet, deditionem facturum. Venit interea ad caſtra apud Sanctoquintinum explorator unus è Cæſarianis Franciſcani ſodalitij, qui & (ut exploratorum ſunt ingenia) pro exploratore Gallico habebatur. Hunc Rex aſtu adortus, rogatum quantæ eſſent Cæſaris copiæ, ut uidet ſuadentem Landriſij deditionem, perſanctè iurat ſeſe cum robore equitatus & peditatus mox Landriſio adfuturum, integris'que copijs pugnandi copiam Cæſari facturum. Id ille quaſi exploratum ad Cæſarem retulit, donatus à Rege ducentis nummis aureis, uti tandem Cæſari ſuaderet in aciē cum Gallo deſcenderet: cum ſolo conſilio annonæ inferendę Rex properaret. Rex à Landa & Decio certior factus, fieri non poſſe ut poſt duodecimum diem oppidum tueantur, ex fano Quintini ad ſuos tutandos profectus eſt. Erant in exercitu Regis peditum, qui ex Heluetijs conſtabat, duodecim millia: Germanorum quinque millia: Belgarum & eorum qui ob clientelas nobiles, Regi milites prębere ſoliti ſunt, decem millia: equitum pluſquam ſex millia: ultra mille ducentos leuis armaturæ equites, & cohortem prætoriam Regis, & Delphini filij: præter eos qui uoluntariam militiam ſecuti erant, quorum maximus fuit numerus. Primam

aciem

aciem ducebant Franciſcus Borbonius Paulini comitis nomine notior, & Claudius Ennebaldus tribunus militaris: ea conſtabat partim ex Germanis & Heluetijs, partim ex Heluetijs & Gallis qui Dacierio militabant. Mediam Rex ducebat, unà cum Henrico filio natu maiore, cum robore Heluetiorum, cohortibus prætorijs, equitatus'que Gallici flore: quibus etiam Odoardus Bieus tribunus militaris, quem alij Bieſum uocant, adiunctus erat. Extremum agmen claudebat Antonius Borbonius Vindocinenſis, cum Claudio Guyſio. Leuis armaturæ equites nulli attributi ſunt alæ, propterea quód quotidianis incurſionibus, hoſtibus proximi uariè eos afficiebant: ut hac quidem parte Caroli Briſſaci, Coſſei, & Eſcartij Perucij, ut & toto hoc bello opera & induſtria non temerè ab omnibus prædicata ſit. Cum eo exercitu Rex Cambreſium oppidulum profectus eſt non longè ab hoſtibus. Gonzaga ubi Regem tam proximum uidet, qui ſuos antea ob pabuli inopiam diſperſerat, in unum locum reuocat. Obſidebatur urbs ex loco cui Mormao nomen parte una, parte alia ex Falerio. Vterque Cæſaris exercitus dum ſe ueretur imparem Gallicis copijs, in unum coactus. Cæſar quoque ad Regis aduentum, ex Vanno ſe in caſtra contulit: atque ita proximæ fuêre magnorum principum copiæ, ut machinę bellicæ ex unis caſtris in alia emitterentur. Cæſar qui locum idoneum caſtris elegerat, expectabat uti Rex in eum prorueret. Vbi eum ſe caſtris continere uidet, caſtra longius mouit. Interea Rex per tres dies nequicquam mouentibus Cæſarianis, commeatum omnem in urbem infert, uestes reliqua'que neceſſaria ſulphureúmque omnem apparatum, feſſos milites qui diu obſidionis incommoda pertulerāt reuocat, recentibus in eorum locum immiſsis: nobilitatis inſignibus omnibus, ſi qui eſſent plebei, imperitis: & condonatione omni delictorum, ſi quæ olim admiſerant, tradita. Interea leuia aliquot certamina quotidie fiebant: ubi pauci è Gallis deſiderati, excepto Ioanne Andoino Aquitano ſtrenuo homine. Laudata etiam Petri Strozij Florentini magnitudo animi. Amnis medius paruulus Gallica & Cæſaris caſtra ſecabat. Priori die quàm Galli abirent, accidit ut aliquot equites progreſsi Cæſarianos ad pugnam elicerent: alij autem circa amnem cum leuibus aliquot machinis deliteſcerent. Cæſariani acriter pugnare, & iam alij alijs ſuccedebant: ita Gallis inſtare uti iam cedere eos cogerent. Id intuiti qui in inſidijs, ignaris alijs ſeſe locarant, progredientes Cæſari nos emiſsis leuioribus machinis, quæ circa cannas & iuncos deliteſcebant, partim necarunt, partim in fugam uerterunt. At Cæſariani detecto dolo, cum robore exercitus è caſtris progreſsi ſunt inſtructa acie, ut iam paſsim utrinque ad arma conclamaretur: niſi Rex ſuos imparatos uidēs, repentè quatuor machinas bellicas

licas

licas ex maioribus, in hoſtes confertos emitti iuſſiſſet. Harum aliquot ea arte emiſſæ ſunt, uti ſtragem eorum ederent non leuem, ordines'que perturbare inciperent. Ita illi cùm Gallos paratiores uiderent, in caſtra regreſſi eo die ſunt: Galli quaſi ad certum certamen in craſtinum diem arma parare, incitati magnifica Regis oratione. Cæſar quoque aucto exercitu ex Britannorum & Germanorum recentibus copijs, non detrectaturus erat certamen: ultro etiam forte ad id Gallos coacturus. Rex qui Landriſium munitum ita uideret, ne uis ab hoſte Gallis eſſet metuenda, relicto in urbe Iacobo Veruino, non putauit eſſe neceſſe prælio contendere. Itaque circa crepuſculum ſarcinas præmittens, ignibus accenſis, oſtentata in craſtinum diem ſumma prælij fiducia, medi nocte uaſis magno ſilentio conclamatis, inſtructa acie inde abijt. Cæſariani diſceſſu Regis cognito, cùm eſſent locorum peritiſſimi, & Regi per uicinum nemus ſcirent tranſeundum, inſtructis copijs Regem perſecuti ſunt. Inita leuia utrinque certamina, in quibus è Cæſarianis multi deſiderati ſunt. Erant in prima acie Delphinus, Vindocinenſis, Paulinus, Ennebaldus. Hi prima luce data pugnandi copia, paucitate hoſtium contempta, ita in eos irruêre, ut qui Gallos perſequerentur, in fugam ipſi uerterentur, multi etiam necarentur: capti'que dicebantur Octauianus Fregoſus, Ludouicus Daruellus & Rutius: ſed inter tumultus bellicos dum fugientes Galli perſequuntur, elapſi. Sequebatur Rex cum robore exercitus primam aciem. Is ubi pontem tranſijt quo traijcienda erant copiæ, ſubſtitit, uerſus'que ad hoſtes, aliquot fruſtra eos horas expectauit, qui quo magis eum perſecuti erant, tanto maiorem his fruſtratio dolorem attulit: namque illi in tuta loca iam traductis copijs uix eò perueniſſent. Id Regis conſilium Galli laudant: munito enim oppido quid aliud fuit neceſſe, quàm tot Cæſaris copias eludere? At Cæſar fugam uocabat, & pugnæ detrectationem, diſſimulans pugnæ ancipitem aleam, quam ſemper uerebatur. Multi tamen ex his equitibus, qui poſtremi exierant, ab hoſte impetiti. Captus Ioannes Loſſus ſignifer alæ Eſcartianæ. Ita Rex ſaluus cum incolumi exercitu in Franciam redijt. Nec uerò idem hic annus minus domi quàm foris quibuſdam infeſtus fuit: à milite ipſo Gallico multas iniurias accipiebant agricolæ. In hos iuſſu Regis Tribuni capitalium emiſſi ſunt, uariè coercentes rapinas militum. Ob ſalinarium uectigal multi in iudicium uocati, multi damnati, qui inani temeritate improbè contemptis edictis, alios acuebant: mutui nomine urbibus indictæ pecuniæ, idque prudenter quùm tantis hoſtium copijs obuiam eundum eſſet. Denique prætorium Andegauenſe Lutetiæ conſtitutum eſt. Vbi Ioannes Bertrandus præſes Pariſienſis æquus & moderatus, quùm alijs à Rege datis iudicibus ſolertibus interdum præfuit:

qui

qui quærerent in eas familias, ad quas ex his rebus, quæ fiſco Regiúe erant deditæ, aliquid improbè perueniſſet. Horum humanitate multa ſunt temperata, ut & Regis clementia. Feruntur Hanequini & Leporei ob id damnati. Ex his quidam cùm poſtea queſti exhauſtos ſe pecunijs, magna ut pecuniæ regio fiſco illata cum Rege tranſegiſſent, accidit ut aliquo poſtea tempore, Rex fiſci ſui nomine, ueluti minoris iure utens, in integrum reſtitui uellet, & ad reſtitutionis cognitionem iudicandam, noui rurſus iudices cogerentur. Sed Rex neque ut reſtitueretur admodum curauit, neque iudicio reſtitutus eſt. De Raynerio etiam Gentili, regio apud Lutetiam inquiſitionum præſide, palam ſumptum eſt ſupplicium, ſordium reo, & ob uarias alias res illi crimini datas. Vulgus credidit ob Poncherij regij quæſtoris pridem damnati interuerſas rationes & cautiones damnatum. Franciſco Alemano cùm eſſet dica ſcripta, ille innocentia ſua probata, ſanctioris cõſilij iudicio poſtea abſolutus. In locum Franciſci Montelonij nuper defuncti deſignatus, qui uicem iuriſpræfecti obiret, Franciſcus Errantius Chemanæus, in gratiam Claudij Ennebaldi tribuni maritimorum. Noui magiſtratus palam deſignati: cum quindecim ſenatores quibuſdam locis priori anno ſolùm eſſent deſignati, his quinque alij adiuncti. Deſignatio facta eſt maiori ex parte ex adoleſcentibus aut locupletibus: in quibus deſignandis non mores, non anteactæ uitæ dignitas quæreretur. Mixti tamen ſunt multi reipublicæ non inutiles & eruditi: & cùm uias omnes quærendæ pecuniæ aulici quærerent, factum eſt ut Rothomagi, Burdigalæ, Tholoſæ, & paſsim in alijs ſenatibus noua Decuria patrum conſtitueretur, inſtar eorum quæ Lutetiæ libellis præeſſe dicuntur. At exhauſto populo Burdigalæ, emptores deſiderari: quo factum uti eo loco minus res ſuccederet. At Rex eo erat in plebem animo, ut niſi adactus ad hæc non ueniſſet. Sed & prudentes rerum æſtimatores, minus plebem Gallicam lædi uidebant, cùm tot alendæ eſſent copiæ, ſi eo pacto Rex ad nummos perueniret. Itaque cùm neceſsitas id extorqueret, æqui boni que omnia conſulebant. Rex quoque interea multa prudenter conſtituebat: Velut illud, quòd in hiſce hoſpitijs quæ ægris aut peregrinis dicata ſunt, quaſi hoſpitalitatis memoria renouata piorum hominum inſtituto. Hæc ipſe ad ueterem ritum uti in pios uſus opima ea ſacerdotia erogarentur, curabat: iterum atque iterum edictis uarijs propoſitis que ſublata multorum interceſsione, Senatus Gallici admodum probabant. Sed is eſt Franciæ genius, ut pleraque ſanctè & prudenter ſanciantur: mox uerò ſtatuta nemo exequatur, actoribus interdum Regijs, interdum ipſis conſcriptis mollius indulgentius que res tractantibus. Atque in excitando atque acuendo Rege ad ſancta ea edicta reuocanda, hortatio plurimum ualuit

Caroli

Caroli Marillaci, hominis doctiſsimi atque humaniſsimi. Quum hæc eſſent ita eo tempore conſtituta, Cæſar interea in Germaniam ad conuentus peragendos Spiram profectus: ubi primum actum eſt uarijs ſimulationibus diſtracta oratione de confirmandis his dogmatibus quæ in controuerſiam iampridem uertebantur. Deinde cœpit auxilium in Regem Gallorum à Germanis petere ſubdola oratione: Quanquam (aiebat) non minus uobis ipſis, quàm mihi, quàm toti Germaniæ præſidium peto, aduerſus eum Regem, cui iampridem in mentem ueniſſet ideo regnum nobiliſsimum ſibi datum, ut eius potentia, omnia repagula iuris, pacis, amicitiæ, affinitatis perfringeret: ut uicinorum regum, principum, ſociorum, populorum prouincias, ſuam prædam putaret: Vaſtatas iam ſuas prouincias, Germaniæ proximas, quid ſupereſſe niſi ut in Germaniam contendat? In cauſa ſua periculum, quod in omnes uertitur, propulſandum. Ac ne uererentur delendi illius periculum eſſe, in tot laqueos iam irretitum Regem ſe tenere, quorum ex nullo unquam ſe expediret, niſi deleta Gallia: aut ita attrita, deinceps uti libentiſsimè Germanorum iugum ferre diſceret. Germani proceres ſuadere Cæſari, Primum ipſi ſuas controuerſias componerent: deinde ſi minus res ſuccederet, armis ipſi decernerent: ne miſcerentur Germani tantæ controuerſiæ. Quod olim factitarunt, Regum ſtipendia ſequerentur, id que ex fide: habere ſe quoſdam aditus amicitiæ ad Regem, quos cur uiolarent cauſam nullam ſubeſſe. Nam & illum ita iampridem ſibi recepiſſe, daturum ſe operam uti hæ controuerſiæ, coacto patrum conſilio, iudicarentur. Regis imperia hactenus uiſa plena & æquitatis & humanitatis, eo ſe uicino uſos placido & beneuolo. Et aiunt nihil eo cœtu Cæſarem æqui relaturum fuiſſe, niſi literas oſtendiſſet à Rege ad ſe olim ſcriptas, quibus ſi ipſi inter ſe conueniſſet, eum admonebat arma Germanorum ne uereretur: ea ſe auxilia equitum ei ad Germanos debellandos miſſurum, ut illi noua dogmata abijcere cogerentur. His literis permotos Germanos multi putarunt, ultrò in Regem Cæſari in annum ſequentem auxilia quanta uellet decreuiſſe. Et ſanè Rex eam procellam quo pacto à ſe auerteret deliberabat. Itaque ad Cæſaris conatus elidendos miſerat Spiram Ioannem Bellaium Cardinalem, Franciſcum Oliuarium præſidem Lutetiæ, qui poſtea ſummus iuriſpræfectus deſignatus eſt: & Africanum Maleium diœcete Rothomagenſem, ſummo ingenio homines. Hi cœtu eo excluſi ſunt, admoniti per literas, ſibi redeuntes mox conſulerent: ita quod ſuperfuit, literis publicè ſcriptis Regem purgauere, in Cæſarem belli occaſionem uertentes. Narrabo hoc loco quæ paulò antea eadem hyeme inciderunt. Erat locus ſatis munitus, cui Marrano nomen, unde facilis in Græciam traiectus. Ex eo cùm

Galli in Græciam aut ad Solymanum proficiſcentes ſæpe intercepti eſſent, Rex eum locum occuparat, nec Cæſariani recipiendi illius tum conſilium abiecerant. Maranum uerò receptum eſt à Gallis hoc pacto circa annum M. D. XLII. Bertrandus Sacchias Vdinus, familiaris ita erat ei qui Ferdinandi Romanorum Regis nomine præerat Marano loco munitiſsimo, nihil ut eſſet eorum familiaritate coniunctius: is ex ea familiaritate illius mores exiſtimans, occaſionem quærebat, qua in ditionem Regis redacto Marono, gratiam ab eo iniret. Confert ea de re cum legato Gallico apud Venetos Ioanne Monluco homine cùm ingenio, tum etiam eruditione excellenti. Is ſtimulat hominem ad patrandum facinus: præmia quæ à Rege maneant, oſtendit. Accerſijt Bertrandus in partem conſiliorum Turchetum Berſanum: ſciebat is opus eſſe Marono frumento. Confingit Bertrandus ſeſe onerarias duas naues frumento onuſtas eò uelle inferre: hortatur præfectus id faciat. Parantur naues onuſtæ frumento in ſpeciem, latitantibus interea armatis. Et iam progreſsi erant aliquantulum, dum quoſdam pœnitere cœpit conatus audaciſsimi, niſi hi fuiſſent confirmati, & accenſi præmijs à Ioanne Guercio Iſtro. Iam adſunt naues proximæ, nunciat Bertrandus adeſſe frumentum. Dum intromittendo eo, porta aperitur, proſiliunt armati, Galliæ que nomine acclamato, multis cæſis, multis captis, præfecto que abducto, loco potiuntur. Sed qui eo potiti erant, ob paucitatem hominum quotidianis excubijs obeundis attenuabãtur: ſimul uicini Bertrandi perfidiam inſimulabãt. Quin & Turchetus conſpirationis particeps, cum Demetrio Græco, Baptiſta Salo & Montano conſilium ineunt de opprimendo Bertrando. Nicolaus Torreus fruſtra conatus eſt Gallis locum eripere. Nam Sineo opem ferente & legato Regio, uani eius fuere conatus. Interea dum è Marano egreditur Bertrandus, porta illi occluſa eſt à Turcheto, eo nomine quaſi cum Cæſarianis noua iniret conſilia. Ferunt pilis plumbeis fiſtula ferrea emiſsis, eum impetitum uitaſſe periculum fuga. Is Venetias ad Regios profectus, humaniſsimè exceptus eſt. Cùm Torreus inſtaret Gallicis, qui Marano præerant: legatus Regius egit cum Scipione Conſtantio, uti induſtrij homines mitterentur expenſis Regijs ad Maranum. Delecti ſunt Syluester Ronigius & Pamphilus Curinaldus. Sed iactati maris tempeſtate cùm eſſent, noua eis ineunda fuere conſilia. Tandem induſtria legati & Antonij Pontiorum Reguli, & Eſchenai cui Vanleo cognomen, qui per ditionem Ferrarienſis collectos milites eò miſerere. Torrei conatus uani fuere, introductis militibus & commeatu. Hilarius Sineus & Valdeus excitis nomine Gallico undique auxilijs, uicina aliquot loca diripuere. Anteus dum ſtrenuè quidem & diligenter, ſed animoſius quàm

cautius

cautius ex inſidijs proſiliens cædem edidit, Gallicorum glande ferrea ictus occubuit. Interea Venetorum aliquot myoparones, quorum præfecti erant Bernardus Sagreduſius, Philippus Bragadinus, & Thomas Venierus, & Iulius Motenechius, & commeatu & propugnaculis, ut inſtrueretur Maranum effecere, eoque Regis nomine Raymondus profectus eſt, & ad componendas diſcordias inter Bertrandum & Turchetum. Accerſitus eſt Turchetus à Regio legato, eiusque hortatu alteri alter conciliatus eſt, tametſi uterque iactitaret haud immemorem ſe amico conciliato, haudquaquam per omnia fidendum. Rex poſtea Maranum Petro Strozio donauit: is id uendidit Venetis, Rege non ignorante, triginta millia nummûm aureorum, qui ducatorum nomine uulgo notiores ſunt: ſed & quinque millia pro machinis à Venetis tradita. Rex Ferdinandus in Cæſaris gratiam aut ſuam utilitatem, terra marique eum locum oppugnare cœpit. Monlucus, qui apud Venetos Regis nomine legatus erat, à Venetis id impetrauit, ut eorum nauibus, nautis, commeatu ſubſidium obſeſſis mitteret. Naues duæ commeatu onuſtæ in eum locum introductæ, propugnaculum, quod ſibi hoſtes circa uicinam inſulam conſtituerant, direptum, ſoluta obſidio. Cæſariani media hyeme duce Gulielmo Fuſtembergo, Arelonum & Montem Ioannis diripuere. Luxemburgum ita obſedere, ut periculum eſſet, ne ui aut commeatus inopia Galli facerent deditionem: Longouallius urbi præerat. Celeriter contractis copijs (quibus præfuere Ioãnes Melphitanus princeps, & Claudius Dampetrus) eô concurſum eſt. Commeatus affatim in urbem introductus. Fuſtembergus cum ſuorum copijs cedere coactus. Pauci Moratorum, cum iam Fuſtembergus in tutiora loca ſe recepiſſet, necati: alio tempore Petrus Strozius eandem urbem ſeruauit commeatu immiſſo, erogataque propria pecunia in ſtipendia militum. Natus circa hæc tempora filius Henrico Delphino, cùm Catharina Medicea magni ingenij, magnæ uirtutis fœmina, eius uxor multo antè tempore nullos liberos cupienti marito procreaſſet. Ea nata patre Laurentio Medice & matre Galla, nobiliſsima orta Bononienſi familia conſanguinitate proxima Regiæ familiæ. Mater illi extincta unà cum patre Laurentio. Ante finem anni uertentis, extremo ſpiritu exanguis & confecta, filiolam hanc peperit. Ita uiſum ſuperis, ſeruaretur ea ad Franciæ nobiliſsimam ſobolem propagandam. Nato filio patres luſtrici adhibiti Rex ipſe, Carolus Aureliorum Dux & Margareta, Regij liberi. Parte alia cùm Daualus inſtructo exercitu, nullis imbribus deterritus, media hyeme Suſam aliaque loca occuparet, inſtaret iam Taurino Rex etiam collectis copijs, quibus Franciſcum Borbonium Anguianum præfecit, eò miſit, qui Sabaudianos mox & Cæſarianos ex-

tortis his oppidulis quæ receperant, ad ſua reuocauit. Et ſanè temporum iniuria minus utriſque licuit totis copijs pugnare: munitæ utrinque arces. Ac nihil quidem deliberatius fuit Cæſari ineunte uere, quàm Regnum Gallicum modis omnibus ſubuertere. Id quò maturius perficeret, Vaſtio ingentes è Germanis & Italis adiunxit copias, uti primò quoque die Taurino & Sabaudia Gallos pelleret, in Lugdunenſem etiam præfecturam inuaſurus, ſi res feliciter ſuccederet. Ipſe Cæſar parte alia inſtructiſsimo exercitu Galliam inuaderet: parte alia Henricus Britanniæ Rex, poſt expugnata alia oppida ſeſe Cæſari coniungeret ad Sueſsiones: ambo coniuncti Lutetiam expilarent, regnumq; Gallicum partirentur. Tantis Cæſaris conatibus quò obuiam iretur, conſtituerat Rex triplici inſtructo exercitu utriſque occurrere. Nec tamen id aulicis moderatoribus placuit, uel quòd minus inſtructa uiderent omnia ad tantas alendas copias: uel quòd ſatius eſſe putârunt, urbibus oppidiſque munitis tantas hoſtium diſtrahi copias. Cùm tamen inſtaret Daualus circa Taurinos, Borbonio Anguiano raptim inſtructis copijs ei fuit occurrendum: & ſi altero, eoq; iuſto exercitu, occurſum itidem fuiſſet Anglis, minus fortè eò perueniſſet belli alea quò peruenit. Sed cùm illis numeroſæ eſſent copiæ reliquum fuit in urbium oppidorumq; munitione ſpem reponere. Illæ quoq; ingentes & inſtructiſsimæ copiæ, quæ circa Iallonum ut Cæſari occurretur paratæ, tardius omnino contractæ ſunt. Inſtabat iam ſacer ille dies excitati à mortuis CHRISTI OPTIMI MAXIMI, cùm Anguianus Carignanum oppidum à Cæſarianis munitum oppugnaret. At cùm ille circa Carmagnolam diuerſaretur, certior factus eſt adeſſe Cæſarianos cum Daualo. Erant in Cæſaris exercitu ad decem & octo peditum millia: ex his nouem millia Germanorum, quos Cęſar recentes Daualo miſerat, duo millia ueteranorum Hiſpanorum, ſeptem Italorum millia: mille ducenti equites leuis armaturæ. Anguianus ſuas quoque mouere cœpit copias, ut Cæſarianis pugnandi poteſtatem faceret. Erant in eius exercitu quindecim peditum millia: equitum, ſed lectiſsimorum & ueteranorum, duo millia: reliqua pars exercitus circa uicinas urbes diſpoſita fuerat. Itali & Heluetij proceres pugnandum non eſſe putabant. Gallici contrà: hique mouebantur & rerum omnium inopia & oratione Regis, qui denunciârat ſi redirent in Galliam, futurum uti omnes pro hoſtibus haberet. Deliberatum eſt an eo die fieret hoſti pugnandi copia. Aderant in conſilio Boutierius, Teus, Paulus Thermus, Doſſunus, Langeius, Santalus, Droſius, Biragus, Eſcartius, Dampetrus, Iammus Sanctoiulianus. Statutum eſt eo die educendos tantùm equites, uti experiretur: ecquid animi hoſtes ad præliũ afferrent. Educti equites Cæſarianos offenderũt

circa

circa locum Syrezollas nomine. Iam inſtabant præcurſores. Reliqui ita utrinque congredi cœperunt, ut pœniteret Anguianum quòd non omne robur exercitus eduxiſſet: ſed hoſtes conſtituti locis infimis minus commodè uidebant quales eſſent Gallicæ copiæ. Ita eo die poſt uaria equitum certamina, in caſtra reditum eſt. In ſequentem diem parata omnia utrinque totis caſtris, uelut ad certum certamen. Primo diluculo inſtructa acies Gallica. Prima acies commiſſa Boutierio cum equitibus, & Thermo cum ducentis equitibus leuis armaturæ, Mauro Monaldo cum ducentis alijs equitibus. Ioanni Teo attributi pedites Gallici. Ipſe Anguianus mediæ aciei præerat, comitatus Galioto Ieniolaco, quem Dacierium uocabant: Cruſſulo, Oſſuno, Montreuillo, equitibus ducentis leuis armaturæ, Heluetijs ad quatuor hominum millia, unà cum machinis ſeptem bellicis eximiæ magnitudinis. Extrema acies commiſſa Claudio Dampetro & Carolo Drotio, adiunctis etiam Italis & Gruerienſibus (hi ſunt fœderati Gallo non longè à Geneuatibus & Heluetijs diſtantes, quos alij Veratris & Rhetis adſcribunt) nec hoſtes detrectauere certamen, maiore ordine progreſsi. Certare cœpere utrinque equites uarijs excurſionibus æquo certamine. Sed dum emiſſæ è Gallis machinæ terrerent hoſtes, iubet Daualus Germanicas copias, ex quibus robur exercitus conſtabat, in Gallos progredi. Illi ſtrenuè mandata curantes ſummo impetu in Gallos inuecti ſunt, cæſis æquis & machinarum ductoribus: puluerem quoque machinarium incendere. Itali & Gruerienſes, ubi machinas uident direptas, fuga ſibi conſulere coacti ſunt: ut iam de toto prælij exitu omnes dubitarent. Id Boutierius & alij intuiti, primæ aciei robur cum robore mediæ aciei miſcentes, magno impetu in Germanos feruntur. Conſtabant Germanorum primæ copiæ ex haſtatis: Gallicæ etiam ex haſtatis, iunctis his qui in leuioribus tormentis emittendis periti habebantur: hi in Germanos proruentes, tres eorum gradus prorupere & diſsipauere. Ita equites Gallici à latere progreſsi, magnam eorum ſtragem edidere. Simul Heluetij eo robore inuecti ſunt, perturbatis que inſtitere, ut poſt unam aut alteram horam omnes diſſiparentur. Anguianus incautius in hoſtes progreſſus, cedere coactus eſt: nactus autem equites Cæſarianos fuga ſibi conſulentes, & uicinum nemus occupare parantes, celeriter in perturbatos inuectus, magna ex parte eo concidit. Sunt qui putent Boutieriũ, cum ſe medium inter Hiſpanos & Italos qui Cæſarianis militabãt oppoſuiſſet. Italos que eo pacto pugna cohibuiſſet, multum momenti ad uictoriam attuliſſe, Hiſpanos à prima acie in extremam tranſijſſe, cùm tamen ſe exiſtimarent ueteranis Gallis occurſurus, Boutierij & aliorum prudentia ita eis occurſum, ut parata omnia inuenirent. Et ſanè conſtat peditum Gallicorum uirtutem eo

die magnoperè cognitam. Ex Gallicis equitibus multos, cæſis equis, ſtrenuè peditum munere functos: inter quos numerantur Boniuetij tres fratres: horum maiorum natu, ſpecimen fortitudinis eximiæ, reliquos que præbuiſſe conſtat. Sed & Italos & reliquos qui iam fugam captarant, redintegrata pugna ad pugnam rediјſſe. Sed & longis Germanornm haſtis ita obuiam itum eſt, ut & breuioribus haſtis & gladijs accincti Galli primos eorum ordines diſſiparent. Conſtat & Daualum, Vaſtium, Cæſarem Neapolitanum, & Guoetum, cùm nihil tentatis rebus omnibus haberent in quo acquieſcerent, ſuorum uiribus diffiſos in fugam apertam effuſos. Cæſa hoſtium ſeptem millia, capta duo millia: deſiderati quoque multi ex Gallicis equitibus, & peditum ductoribus. In ijs Molla, qui eo die ſplendidis armis ornatus, magnam ſtragem edebat hoſtium, uiciſſim ab eis impetitus acriter, cùm pro Teo eum haberent, qui eo die parum ſplendide inſtructus in pugnam prodijt, his uſus armis quæ ueluti nigrum colorem referrent, cùm ſuum unius caput peti haud ignoraret. Fuit is Molla ex uicinis locis eius præfecturæ Gallicæ quæ uetus prouinciæ nomen retinet. In primo ipſo agmine & ordine præfecti ipſi. Horum uicarij, ſigniferi, & qui recentes ex aula primi nominis uenerant, fortiſſimi quique & magni nominis collocati. Sanctoiulianus & Fourlius Heluetijs præerant. Dum à ſuis reuocatus redit Anguianus, Feruaſcus primus in Hiſpanos inuectus eſt, qui ſeſe proripiebant in cœnobium quod Caſenouum uocatur. Itali & qui Cæſaris, & qui Gallorũ ſtipendia ſecuti erant, effuſæ fugæ ſe dedere, hoſtes in Aſtam fugientes à Ciſternenſibus direpti. Cæſus eſt eo prælio Moncaldus ex Armeniacorum nobilitate, Paſſinus, Deſcrotius, Chemantius, Doynus, Monſalleus ſignifer alæ Cruſſolli. Galiotus Dacierius acriter uulneratus eſt. Nam cùm in peditatum hoſtium ſatis leuiter armatus proruiſſet, qua parte leuiter armatus erat, circa axillas & poplites, haſtis impetitus corruit, & poſt aliquot dies deſideratus eſt. Adrianus quoque Luſtracus, quem Mottedantium uocabant, inter ſaucios pro mortuo relictus poſtea conualuit: ſed ita ut reſideret ſemper uis uulnerum. Pluſquam octingenti equites Gallici deſiderati: in quibus multi ex prætoria cohorte Anguiani. Vaſtius & Cæſar Neapolitanus altius in montes uicinos fugientes non ſequentibus Gallis, ſuorum parte amiſſa, & à uicinis intercepta, Aſtam peruenere. Thermus dum effuſius quàm decet, Vaſtium ſequitur, ſaucio equo ipſe captus eſt. Anguianus ad Carignanum progreſſus, opere munitiſſimum totum locum exercitu circumuenit. Et quando parta uictoria interceperat ingentes commeatus, quos Daualus in eum inferre uolebat, dat operam ne parte ulla commeatus inferatur. Præerat Carignano Pirrus Columna

quorum

quorum maiores Cæſaris ditioni plurimum addiderant. Is etſi conſumpto omni commeatu, tres tamen menſes ea uſus eſt abſtinentia. Ad extremum per multos dies ea uſus patientia in fame toleranda, Anguianus multis diebus, & laboribus conſumptis, anxius dubitarit omitteret'ne oppugnationem, quando fruſtra hactenus eſſet: an expectaret donec hoſtes compulſi fame, deditionem facerent. Per multos dies fame tolerata, cùm etiam fruſtra locus morituris qui aſſeruarent, in Gallorum eſſet uenturus poteſtatem, deditio facta eſt his legibus, Vti abiret Pirrus Columna cùm ſuis, ſex complicatis uexillis, nec tympana pulſarentur donec ipſi Padum pertranſijſſent: nec ullus ex toto eo numero ante quinque menſes in Regem arma ferret. Ita Carignanum in Gallorum uenit poteſtatem: quem locum Daualus uelut propugnaculum munitiſſimum futurum, in Gallos maximis impenſis munierat. Interea Strozius & Petilianus, & Palauicinus, qui è Mirandula contractas turmas aliquot ad Anguianum ducebant, intercepti, à Vaſtio diſsipati ſunt. Sed miſſis ab Anguiano mox rei militaris peritis hominibus, benignè curati, & recreati in caſtra perueniunt. Addunt alij cum Daualo congreſſos, cùm modo uictorem ſe putarent Daualo intercepto, módò equitum paucitate uictos, Daualum ipſum ad Mediolanenſem principatum tuendum reuocatum. Quo factum eſt ut Anguianus Monferratenſis principatus, Tei maximè uſus induſtria, etſi nullas bellicas machinas aduexiſſet, oppida aliquot arces'que oppugnaret, & reciperet: & niſi ueteranis ad Regem miſſis ad Iallonum caſtra collocantem impeditus fuiſſet, tentaturus eſſet Mediolanum. Sedebat Anguianus caſtra'que locarat non longè à Carignano, eo loco quem incolæ Poyrinum uocant: ubi tumultus inter Heluetios & Italos, quæ fuit cauſa ut Italos unà cum Oſſuno ad alia loca tutanda Anguianus remitteret. Ipſe cum robore exercitus ad Querſium peruenit: ubi obuijs & prodeuntibus hoſtibus leuiter certatum, donec hi in urbem ſunt reuocati. Ab oppidanis interea in Gallos multæ emiſſæ machinæ. Vnde Galli in uicinum fanum ſe recipiunt. Id ut expugnarent hoſtes, urbe egreſſi ſunt, Gallis iam dilapſis. Teus tamen cum Gallicis copijs expugnauit Sandanium, ægrè id ferente Vaſtio. At Cæſar collectis pluſquam octoginta hominum millibus, partem copiarum miſit ad Luxemburgum oppugnandum. Præerat Franciſcus Taugius Luxemburgo, atque is quidem uel quòd deſperaret auxilia, alijs bellis implicato Rege: uel quòd locum uaſtũ multis incurſionibus patere uideret, ſuis fame iam laborãtibus, deditionem fecit. Vbi pluſquam quadraginta machinę bellicæ ingentes ab hoſte receptę ſunt. Franci iactitabant commeatus inopia deditionem factam, pecunia Regia à Regijs quibuſdam præfectis auerſa, aut ab alijs. Inde Cæ-

ſar diu circa Metenſium fines uerſatus, infeſto exercitu in Commarſium progreditur: oppidulum erat ab ipſiſmet Gallis incenſum: arcem aiebant munitam à Carbone Italo, & Ranſa campana: ſed admotis machinis ui expugnatam arcem. Carbo & Itali qui in præſidio erant, necati: namque ei infenſus erat Cæſar, quòd Stenai muniendi Regi author fuiſſet. Inde Lignium (id alij Ligniacum uocant) admotæ copiæ. Eò Rex ubi ea uia graſſari uidet Cæſarianos, miſerat Eſchenaium: ſimul Brienneus Comes & Roſcidus fratres, Luxemburgorum auitum cognomen retinentes, qui Ligniaci domini erant, in urbem peruenerant, poſt arcis aliquot dierum oppugnationem, Cæſariani loco potiti ſunt. Vulgò ita iactitatum, cùm una parte alij arcem tuerentur, alia ab his intromiſſos Cæſarianos: ut tota Gallia Brienneus & Roſcidus & Eſchenaius falsò pro transfugis habiti ſint. Alij ui putant receptum locum, quem in conualle montibus undique interclusum facilè expugnari potuiſſe: captiuos eos abductos, nec niſi pretio ingenti recepto dimiſſos. Et ſanè illi reſtituti ſunt, culpa in alios translata. Mox ad Sanctodiſerium properatum eſt. Vrbi præerant Landa & Sancerrius. Cæſariani in celeritate omnem ſpem reponentes, magno clamore Burgundione milite oppugnationem oppidi depoſcente, urbem circumſtant: ſumma alacritate mœnia inuadunt. Contrà ea Galli globis depellere irruentes, proximos necare, murum tentantes aliò deuoluere. Ferdinandus Gonzaga cùm acerrimè rem geri à Burgundionibus uideret, Gulielmum Fuſtembergum cum Germanorum cohortibus mittit, uti recentes oppugnationem redintegrarent. Landa cum ualida manu in confertiſsimos irruens, picem ſulphure tædaque mixtam emittens, multis necatis, ab oppugnatione hoſtes ſubmouit, functus eo die fortis uiri munere. Gonzaga dum animaduertit, niſi expugnetur oppidũ, multum apud exteros de Cæſaris magnitudine detractũ iri, qui cum tanto exercitu hæſiſſet ad oppidulum nunquam antea munitum, tertiam parat oppugnationem, hinc Hiſpano, hinc Germano, hinc Burgundione milite fretus. Sed cùm Galli magno impetu hoſtes excepiſſent, cum foſſas ita uirgultorum faſcibus, pice, ſulphure, tæda, ignéque ardenti complanaſſent, ut illi dolum non metuerent, ſumma ut irruentibus hoſtibus, factum eſt ut multi in foſſas irruentes miſerè armati peruſti ſint: multi priorum calamitatis admoniti ceſſerint, irritáque omnis ea oppugnatio fuerit, Renato Aurengio pila ferrea icto & necato, cuius mortem acerbiſsimè uiſus eſt ferre Cæſar. Eam oppugnationem dum adornant Cæſariani & Landa, qui toto die noctéque inſomnis manſerat, excitatus arma induit, machina temerè ab hoſte emiſſa in faciem ictu cadente necatus eſt. Quo fit ut ad Ludouicum Sancerrium huius oppugnationis gloriam referant: qui &

tota

tota ea oppugnatione ſtrenui ducis munere functus ſit, ut retrocedere Cæſariani coacti ſint: interea tamen diligenter curantes ne quid uſquam commeatus in oppidum inferretur. Narrant Sancerrium, dum Cæſariani omnibus uiribus parant irruere in oppidum, delectos milites glandibus plumbeis emittendis aptiſſimos, ducentos delegiſſe. Hi in propugnaculum planum, quod alij Ienographum uocant, certo numero conſcendentes glandibus emiſsis uariè Cæſarianos occurrentes fatigabant: his alij integri atque alij ſuccedentes, dum identidem multos ex hoſtibus uulnerant, emittendi in hoſtes finem nullum fecerunt, donec Cæſariani mediocribus machinis admotis, multis prius tamen deſideratis, eos arcuere. Huius propugnaculi altera pars demiſsior erat, atque ita depreſſa, ut hoſtium conſpectui haud eſſet obnoxia: ita qui integri ſuccedebant eò loco oneratis leuioribus tormentis, in alteram celeriter tranſibant. Exiſtimabat Rex eò loco implicitum Cæſarem ſatis eſſe: at mox poſt paucos dies ſulphurei pulueris inopia audijt aut deditionem faciendam, aut eò iuſtum exercitum mittendum. Senſit Gonzaga qua parte laborarent oppidani. Itaque dum acrius urbem oppugnatum uenit, pactus eſt cum Sancerrio, Eſchenaio & Hieronymo Marmo intercedentibus, niſi intra diem octauum copiæ à Rege ueniſſent, quæ Cæſarianos cogerent quatuor milliaria retrò cedere, ut Galli urbem dederent, unà cùm machinis, exceptis duabus, totóque commeatu. Interea maneret unus è Cæſarianis cùm Sancerrio, qui caueret ne quid à Gallis annonæ corrumperetur: Galli inſtructo exercitu, tubis occinentibus, cùm omni ea ſupellectile quæ equo uehi poſſet, abirent, & perducerentur in tuta loca. Obſides darentur ſex è nobilitate Gallica: hæ conditiones referrentur ad Regem. Rex ægrè audijt eas conditiones: certior tamen factus periculum eſſe ne his ſpretis duriores ferrentur, his ſcripſit: ita decimoſeptimo die Auguſti è Sanctodiſerio abijt Sancerrius inſtructa acie: captiui utrinque ut & conuenerat, redditi. Sancerrium multi uolunt uiri ſtrenui munere, ſi quis unquam, in urbe tuenda functum, at commeatus ſulphureíque pulueris inopia coactum, deditionem feciſſe. Ferdinandus admonitus Vitriaco Carolum Briſſacum Coſſeium cùm aliis aliquot equitum, minus hoſtilem impetum uerentem deſidere, nocte intempeſta delecto ex exercitu fortiſsimo quoque eò adcurrit: nactus Briſſacum cùm ſuis imparatum, in eos irruit. Cùm eſſet ad arma conclamatum, & multi ex Gallis cæſi, periculum etiam ne Briſſacus caperetur, Galli loco ceſſerunt. Ibi enituit uirtus Raffini Potoni, quem pater iampridem curarat ſacris addici: is multis cæſis, cùm eſſent Galli numero ſuperiores, erat author uti uia alia recipienti ſe Ferdinando occurreretur: ſed perturbatis omnium animis de ſalute tantùm cogitatum. Ferdinandus

dinandus oppido incenſo & expilato eo ſuos reficit. Hæc quidem paſsim ſcripta & iactata de Vitriaco: ceterùm qui ipſi non ſolum interfuere, ſed & quadam ex parte præfuere, narrant Briſſacum non eo locum eum tuendum ſuſcepiſſe, ut obſidionem toleraret, aut uim hoſtium, potius ex loci opportunitate infecta omnia Cæſarianis redderet. Cùm eſt ad arma conclamatum, admonitum Briſſacum, ſatius eſſe loco cedere. Illum autem ſuos in armis expeditos uoluiſſe uim hoſtium depellere, cùm non putaret Cæſarianos cum prima integra acie adeſſe: At Italos minus illius mandato paruiſſe, ſeſeq; proripuiſſe, ponte etiam effracto, ut ſequendi hoſtis finem faceret. Quin iubenti Briſſaco loco ne ſe mouerent, pilas uoluiſſe non ſecus atque in hoſtes: Gallos non auſos imperia illius negligere. Veniſſe mox Cæſarianos, qui fugientes Italos fruſtra ſecuti cùm eſſent, in Gallos proruere. Ibi acriter à Briſſaco, & ſuis dimicatum. At ubi uidet obrui ſe numero, inde ſeſe proripuiſſe, ſequentibusq; Cęſarianis in eos irruiſſe: captiuos etiam abduxiſſe. Hoſtes, equitatu diſsipato, adueniente Germanico peditatu, facilè pedites Gallicos intercepiſſe, multis prius necatis. Raffinum tametſi equo admiſſo, mixtus equitibus Gallicis, ſtrenui equitis operas præſtitiſſet, quia tamen peditibus præpoſitus fuiſſet, nihil extra militarem diſciplinam id feciſſe: quem tamen alij non niſi acciſis rebus exceſsiſſe uolunt. Pedites Gallicos, qui in templum uicinum confugerant, aduenientibus Germanis necatos, captiuis pluribus ab hoſte quoque abductis: in quos hoſtes parum memores caſuum humanorum inſolenter debacchati fuiſſent, ni præfectorum imperio prohibiti fuiſſent. Interea Cæſar copias non longè à Chalonio (quod & alij Cauillunum uocant, alij Cathalanum) collocat circa fanum Virginis, cui à Spina nomen inditum eſt. Franciſcus Neuerſius ad eam urbem miſſus fuerat cum ualido præſidio. Intromiſſæ etiam hæ alæ equitum, quæ Ioachimo Chabaneo Curtono attributæ erant. Curtonus cum ſuis ex urbe progreſſus, uariè Cæſarianos infeſtabat, atq; ita ut ſi quodam die frequentiores ex urbe prodijſſent, malè res Cæſari fuiſſet ſucceſſura. Proruentibus undique hoſtibus in urbem quidem redijt, uti acciſis ſuis copijs, ita Cæſarianis illius animum mirantibus: quos & ille perpetuis incurſionibus, ne locum excelſum uicinum urbi occuparent, acerrimè urgebat. Cæſar hæc intuitus, ſimul auidus Lutetiæ diripiendæ, Cauilluno relicto, circa urbem progreſſus eſt. Hunc ſecuti Gallici equites extremũ agmẽ laceſsẽtes, ubi multi utrinq; deſiderati. Præcipuè uerò Cæſariani pugnam ſimulantes, emiſſa breui machina, cui piſtoleo nomẽ, pleroſque cædebant, in mox ſeſe proripientes. Ibi Franciſcus deſideratus Laſcous, cui Sauinaco cognomen, è Fano Emilij oppido uicino Liburnenſibus Aquitanis, & prius Bordeſus

ex Bo-

ex Bourdiloni familia, & antea quoque Eſcartius uulneratus. Rex ubi uidet eò uentum, uti aut Lutetia relinquenda, aut retinenda armis eſſet; neceſſariò copias ad Iallonum contrahit: eò mittit Henricum & Carolum liberos cum Claudio Ennebaldo. Simul adfuerunt equites Gallici & pedites, & Heluetij pedites ad uiginti hominum millia. Totus exercitus octoginta millium hominum fuiſſe dicitur. Eò confluxerunt ueterani è Taurino ab Anguiano miſsi, & qui obuiam Anglo parte alia ierant. Angebatur Cæſar Matronæ impedimento: nanque uadi tentandi, qua parte traducerentur copiæ, pauci ignari erant. Gulielmus Fuſtembergus prima uigilia ſuos ex uico educens, ſolus cum molitore uicino, aut ruſtico quodam homine quem excitârat, dicitur uadum pertentaſſe. Dum minus res ſuccedit, aiunt ab his militibus, qui circa ea loca ex Ennebaldi turmis præſidio locati erant, excubias agentibus, ſuomet indicio proditum & captum. Nam cùm rogaretur cuiàs eſſet, qui ex radijs lunæ, inſigne Ennebaldi, quod milites geſtare ſoliti erant, pro inſigni eodem quo Cæſariani utuntur acciperet, profeſſus eſt uelut indignans ſe Gulielmum eſſe Fuſtembergum. Illi quaſi ei gratulantes captum hominem, & deorum hominumq; fidem implorantem, ad Delphinum perducunt. Alij ſolum dum uadum pertentat, ſuamet uoce agnitum aiunt, dum teſſeræ militaris ſe ignarum oſtendit. Is ad Delphinum perductus, conſtanter aſſeuerabat futurum, ut eodem die Cæſar in Gallos irrueret: & erat ueriſimile, ſi is uti conſtituerat, Germanorum turmas uado eduxiſſet, futurum uti parte una ille, alia Cæſar in Gallicas copias irruerent: totoq; eodem die uiſæ ſunt Cæſaris copiæ, quaſi pugnandi poteſtatem Gallis facere uellent. Cæſar interea cùm per plures dies caſtra uno ex eodem loco fixiſſet, & Galli ad Iallonum ſtantes ignorarent quid moliretur, miſit interea Delphinus delectos ex ſuis impigros homines, & in his Ioannem Sanctiaſterium, & Sanctimartino Linenſi cognomen fuit, (erat is uicarius earum turmarum quæ attributæ fuerant Eſcartio, tum ex uulnere ægro) uti iter illius explorarent. Illi tota nocte profecti, obuios habuere Cæſaris exploratores, ſimul & ualidas copias. Sed dum maiorem numerum ſuſpicantur, pugna abſtinuerunt, atque explorantes, quo eſſent ſtatu res Cæſaris, abeuntem nacti ſunt, at ita abeuntem uti caſtra eodem ſtatu manerent: non tentoria euerſa, non carri abducti: arma etiam etſi igne corrupta, relicta. Coniecta augurabantur Galli, aut dolo ita inſtructa caſtra relicta, ut Gallis adcurrentibus & ignaris doli, imponeretur: aut ita conſilia inſtituta Cæſaris, ut aut ad Rhemos, aut Pariſienſes oppugnandos, relictis alijs rebus omnib. contenderet. At Delphinus, ut erat magno fortiq; animo, totęq; ipſę Gallicę copię, ſimul Heluetij ſtudio ardebāt pugnę

cum

cum Cæſarianis conſerendæ. Rex tamen literis ad Delphinum ſcriptis diſertè imperabat, ne ad belli aleam perduceret ſummam rerum, ſuam quoque rem agi, ad quem Regnum mox ſit peruenturum. Cæſare deuicto, ſupereſſe integras Anglorum copias. Cæſarem Lutetiam contendentem, ipſe tantum anteuerteret. Interea etiam Borbonius Rupiforius è Maſerijs in caſtra ueniens, à Cæſarianis captus eſt, magno omnium dolore. Matrona fluit è uicina Campania in Briam; dum fluit: eſt pratum ingens ex Chalonio uſque ad caſtrum Trierrium (quod & caſtrum Theodorici uocant) atque ibi quidem parte una uidetur Haya, parte alia Eſparnayum: hac Galli ordine militari incedebant, illàc Cæſariani. Matrona ipſa uelut curriculum inter tantas erat copias, & raræ utrinque fiebant excurſiones; niſi ſi qui leuioribus machinis emiſsis progredientes, mox ad ſuos ſe recipiebant. Veriti Galli ne Eſparnayum urbem omnibus rebus inſtructam hoſtes occuparent, premonitis duobus antea diebus oppidanis, urbem incenderunt. Illi ad caſtrum Tierrium contenderunt. Quod cùm Galli ob breuitatem temporis munire non poſſent, à Cæſarianis direptum fuit. Inde uſque ad Meldenſes excurſiones fiebant ab hoſtibus quotidianæ. Sueſsiones quoque interea direpti. Contendebat Cæſar Lutetiam: anteuertebat iter atque obſeruabat Delphinus. Pariſienſes quaſi urbe iam capta, ſolum uertere, ſuppellectilem omnem bonaq; auehere: mulieres, adoleſcentes, artifices, quà cuique uiſum, ſe recipere: itinera omnia uehiculis onuſta. Etiam iam peſtis graſſari incipiebat in oppidanos: iam graſſatores circa itinera nihil intactum relinquebant, plena omnia tumultus, quà uia Aurelia, quà maritimo curſu quo Rothomagum ibatur: nec ſulphureo ullo apparatu arces erant inſtructæ, niſi eo quem in ipſo belli procinctu ex Aquitania aduehebat Renatus Sanctomorius: in quo excipiendo multi, dum ratibus incautius ſe effundunt, præcipitati. Huius appulſu Rex fiduciam prælij oſtentare uiſus. Paulo antea Delphini filius, eductus è ſaltu Vicenenſi, donaria diuûm ex æde Dyoniſiana, ex ſacro Lutetiæ ſacello etiam tranſlata. Omnino nihil uiſum unquam perturbatius. Eò Rex, miſſo prius Ioanne Melodunenſi Cardinale, & cùm is parum eſſet plebi gratus, Claudio Lotharingo Guyſiano, ciues ad officium reuocabat: & circa Mommartrenſem locum ſatis excultum, ea iam opera inſtituebat, ut Cæſarianis occurreret. Ipſe etiam Lutetiam contendens, plebem conſolatus eſt. Muniebat urbem, uti cùm inſtructo alio exercitu, cui liberi eius præerant, ſimul Cæſari obuiam iretur. Iam pacis mentio iniecta inter Reges fuerat, Gabriele Coſmano Hiſpano, uno è ſodalium Dominicanorum cœtu, utrinque in caſtra uicina curſitante. Hunc Gallici ſcriptores putant in eam rem à Ferdinando Vngariæ Rege delegatum, alij

à nepte

à nepte Cæſaris, quæ Lotharingiæ principi nupſerat, ſimul ab aulicis aliquot potentioribus inſcio Rege miſſum, pacis putant autorem fuiſſe. Illum Galli pugnæ auidi, ægrè curſitantem intuebantur: uix ab eo manus temperaturi, ni Ennebaldus prohibuiſſet: qui & ipſe cum Franciſco Errautio Chemantio, iuriſpræfecti locum tenente, in caſtra hoſtium uenit. Tandemq́ inita eſt pax his conditionibus quæ diu latuerunt, donec Cæſar eas uoluit à ſenatibus Gallicis omnibus confirmari: inter cætera adiectum, nuberet Carolus Aureliorum Dux, aut nepti Cæſaris filiæ Ferdinandi, aut filiæ Cæſaris, id'que Cæſaris arbitrio. Eſſet in poteſtatem Cæſaris. ſi filiam accepiſſet, Flandriam, & è Burgundiæ domo quædam alia loca ei dare. Si neptem accepiſſet, Mediolanum, ſibi haberet, retentis arcibus Mediolanenſi & Cremonenſi. Rex Sabaudiano loca bello occupata redderet, exceptis Mommelaino & Pignerolo, quæ retinere poſſet donec integra Mediolani poſſeſsio ad filium perueniſſet. Extremò hoc bello utrinq́ captæ arces oppidáque redderentur, captiui utrinque liberarentur. Carolus Nullius libellorum magiſter, uocatus ad fœdera ſancienda ab Ennebaldo, diſſentientem Coſmanum quibuſdam in rebus acerbiſsimis uerbis fregit. Nimis iracundè, hoc quidem & ualdè acriter. Sunt autem hæc fœderi adiecta. Pax æterna inter Cæſarem, Cæſarianos, & Regem Franciæ, ac Regios eſto. Qui ſub eorum imperio ſunt, liberè ſimul negociantor. Quæ & à Cæſare & Rege occupata ſunt, poſt ad Niceam pactas inducias, utrinque reſtituunto. Sui eodem iure utuntor, ſi ea occupata, arces, oppida, quo nunc ſunt ſtatu, uterque reddito. Machinas ne abducito. Annonam recipito. Darſcotho Duci ſaluum ſuum ius maneto hiſce in rebus quas repetit ad Lignium: ut ei ius ex bono & æquo dicatur Rex iubeto. Vergijs hiſce in rebus quas repetunt ad Sanctodiſierum idem ius maneto. Sabaudiano & ſuis, quæ poſt inducias eaſdem ablata ſunt, eodem ſtatu quo nunc ſunt reſtituito. Viduæ Monferrati, Duciq́ Mantuano, quę poſt eaſdem inducias erepta ſunt reddito, eaq́ omnia bona fide Rex curato: Stenaium Rex Lotharingo Duci eo onere clientelæ, quo pater poſsidebat, reſtituito. Si quid illi offenderint iura clientelæ, de eo ſtatuendi ius Cæſari eſto. Rex munitiones ſi uolet demolitor, redigito tamen eo ſtatu quo erant ante pactiones de eo initas cum Duce Lotharingo. Rex iura omnia prærogatiuas'que, quas habet in cœnobio dominióque Goſcenſi à ſe abdicato. Vt his pareat, Rex Cardinalem Mediolanenſem, Ducem Guyſianum, Comitem Lauallum, Hunaudaium obſides dato. Obſidibus receptis Cæſar mox quæ ab eo reſtituenda ſunt, reſtitui iubeto. Comitatus Caroloſius uti à Cæſare poſsidebatur ante bellum affectum, Cæſaris eſto. Dabit uerò operam Rex in commu-

ni hoſte & fraudando & fatigando. Iura omnia actiones'que, ſi quas habet hiſce in rebus quæ à Cæſare Cæſaris'ue nomine poſſidentur nominatim uerò in regno Terraconnenſium, & Neapolitanorum, penſiones, reliquias'ue eo nomine, ſi quas debitas contendit, quocunque hæc titulo quibuſcunque pactionibus debeantur, à ſe abdicato. Rex Cæſari quæcunque obſequia debita, iura'ue patrocinij, profeſſiones, iuſiurandum fidei, omne'que ſupremum dominium, fines ſummæ ditionis, poteſtatem ſummæ & ultimæ cognitionis, quam olim exercuit in iudicijs, imperium ſummum, & quæcunque iura ſupremi imperij, quæ olim exercuit in Flandros, Cæſari ſuis'que reddito. Idem in Inſula Donaya & Orcheio ſtatuito. Hæc Cæſar coniuncta Flandriæ poſſideto. Contractus pactiones'ue circa ea aliter initæ, irritæ eſto. Rex quicquid ei iuris competit, ratione Tornaci & Tornacenſis ditionis, Motaignij, Fani Amandi, ſiue id alto iure ſupremo, ſiue his uiribus, quæ Regalia uocant, competat, in Cæſarem transferto, ſiue id competat in locis prophanis, uel ſacris. Hæc coniuncta Flandriæ, Cæſar poſsideto. Rex Cæſari omnia iura, actiones, cognitiones ſummi imperij, quæ olim in Atrebates exercuit, donato. Regia quoque iura, poteſtatem nominandi coaptandi'que in locum uacui ſacerdotij Pontificatus'que, Cæſari dato. Quę tamen loca ſacerdotia'ue, ſita ſunt intra fines Francici imperij, ab hac ceſſione excipito: Qui in Cæſaris ditione ſunt eodem iure utuntor. Tarauanna Morinorum, & quæ in regno Francico poſsident Pontifices Cæſarianæ ditionis, Lignium, Morduchelīū, Bononienſium uici, Aleſteum, Fanum Michaelis, Helium, Harguiū, Ameneum, Eſtraillium, Morleſum, Sempium, Roqueſum, Clecluium, Securum, Thillerondium, Neufuillum, Eſtreſum, eodem quo prius iure Rex poſsideto. Ea ab hac conuentione excipiuntor. Qui in Cæſaris ad Artheſium ditione ſunt liberi ſunto dum negociantur, exportātq; in Artheſium res in Francia emptas à iure dominij, his portorijs quæ extraneis imperātur, ſiue exitu regni, ſiue aliter: modò tamen uectigalium redemptoribus caueant, ad promiſſoresq; & conſponſores eo nomine dent, eas ſe merces erogaturos apud Artheſios, idq; bona fide. Rex ſi quid iuris in principatu Geldrenſi, & Zutpheno obtendit, id Cæſari iure quo optimo tribuito. Cæſar quoq; hiſce in rebus quas Rex Franciæ poſsidet, ſi quid iuris obtendit, hoc Regi cedito: niſi hiſce in rebus quæ hiſce cōuentionibus excipiuntur. Perona, Mondideriū, Roya, Bononia, Guynæ, Ponthienum oppida, & dominia ad Somonam undique ſita, eodem quo nunc iure Rex poſsideto. Non tamen comprehenduntor hoc fœdere Torechanum, Andrebuſum, Brenedaum, & quæ aut nunc Cæſar poſsidet, aut ante initia huiuſce belli poſsidebat. Si quid coniunctum eſt Francis ſceptris, ſiue id lege Salica, ſeu alio iure,

» iure, quatenus hoc fœdere id comprehenſum, leges abrogantor.
» Qui ſub Cæſaris imperio ſunt, ſeu ad Luxemburgum, ſeu ad Lem
» burgum, Artheſium, Hainaldum, Auſtrabanum, Namurum, ſiue
» apud Flandros, Burgundiones, Geldrenſes, Iuptenſes, Friſios,
» Vtricteos, Salanos, Maluos: ij licet in Francia nati non ſunt, libe-
» ri parentibus ſuccedunto hiſce in rebus, quas in Francia poſſide-
» bant. Francis quoque idem ius ſuccedenti in rebus ſitis in Cæſaris
» ditione eſto. Si quid donatum eſt uel creditum utrinque, ob fiſco
» bona addicta, ratione belli nuper moti, id neque datum neque
» creditum uterque habeto: neque eo nomine in poſterum actio-
» nem dato. Si quid prærogatiuę nomine olim tributum eſt Franciæ
» populo in Cæſaris oppidis, id illis ſeruato. Hæc fœdera à Delphi-
» no, conuentibus Francicis, curia Pariſienſi, alijsq́ curijs, Rex con-
» firmari iubeto: eiuſcéque rei ergò cognitori publico Rex manda-
» tum mittito. Idq́ in libris actorum tabulisq́ curiæ præſcribito. Ea
» dem Cæſar apud ſupremos ſuos iudices peragito. Hæc uti fiant,
» Cæſar à ſe abdicato iura omnia, ſi quę ei competunt in Burgundię
» eam partem, quam Rex poſſidet. Auſſonum, Fanum Laurētij, Au
» xerrenſis, Matiſconum, Barium ſitū ad Sequanam: eaq́ ut rata ha
» beat Philippus filius, facito. Quo uerò radices omnes diſcordia-
» rum euellantur, diuturnaq́ pax ſit, pactum eſtò matrimonium
» inter Carolum Aureliorum ducem, Regis filium, & Mariam Cæ
» ſaris filiam, aut filiam Ferdinandi Regis Romanorum: idq́ arbi-
» trio Cæſaris. Eamq́ is deduci iubeto & tradi intra quartum men-
» ſem, à die initi huiuſce fœderis. Recipito autem in ſe, fideq́ eſſe
» ſua iubeto Cæſar, quicquid fratris nomine pollicetur. Quod atti-
» net ad eius filiam, ſi nubat filia Cæſaris Aureliorum Duci, huic
» doti dicito Cæſar, datóque matrimonij nomine, principatus Bra
» bantium, Geldrenſem, Luxemburgenſem, Lemburgenſem,
» Flandrenſem, Hollandum, Zelandum, Haynaudum, Artenſem,
» Namurum, Zutphenſem, Friſium, Vtricheum, Vreſillum, Groe-
» muhemum, ac quæcunque alia hiſce in locis poſſidet. Doti quo-
» que dicito Comitatus Burgundię, Carolum & quæ his iuncta ne-
» xáue ſunt, quibus illa ſuo iure propriaq́ authoritate utitor frui-
» tor, iure quo optimo, eiusq́ hæredes, ſi qui ex eo matrimonio na
» ſcantur. Poſt Cæſaris mortem, hæc ut rata habeat Philippus fili-
» us, Cæſar ſpondeto: ob eaq́ à conuentibus eiuſce loci iuſiuran-
» dum exhibere eis, eorumq́ liberis, Cæſar iubeto: ac uterque ue-
» teres patriæ prærogatiuas ſuis conſeruare iurato: Rectores quo-
» que ipſi conſtituentur à Cæſare interea, eaq́ adminiſtrabunt quæ
» pertinent ad ea loca, poſt initum matrimonium tali eis attributa
» mox poteſtate, quam è re patriæ uiſurus eſt futuram Cęſar. Hæc ut
» rata ſint, Rex & ſuo, & Delphini, & Margaretæ filiæ nomine, re-
» mittito Cæſari omnia iura actionesq́, quas obtendit ſibi compe-

K 2 tere

Nota.

N. Anglia Maria.

tere in Mediolani receptionem, & Mediolanenſem principatum. At ſi, quod Dij auertant, ea liberis nullis ſuſceptis ex hoc matrimonio decedat, tunc Aurelius quæ hoc matrimonio tributa ſunt, reſtituito: atque in hac ſpecie reddito Rex ad ea iura quæ ſibi uult competere ratione repetendi Mediolani. Cæſari quoque ſalua ſua iura manento hiſce in rebus, quæ ob imperij iura & alias conuentiones competere ſibi uult. Tunc quoque ad ea iura redito Cæſar, quæ ratione Burgundiæ ei competunt, ad ea quæ ob Auſſonam, Fanum Laurentij, Auxerrenſes, Matiſconenſes, Barium, obtendit. Quòd ſi Cæſar ſecundo loco natam filiam Ferdinandi fratris, nuptum det Aurelio, tunc dato Aurelio Mediolanenſem principatum: admittitoq́ eum Cæſar ut clientem, nomine eorum & maſculorum filiorum: liberatorq́ tum Ferdinandus onere dotandæ filiæ. Idq́ matrimonium ſi diſſoluatur, maneto huic filiæ dos conſtituta centum millium nummûm aureorum. Ac ſi ea ante Aurelium decedat nullis ſuſceptis liberis, aut quibus ille ſit ſuperſtes, ea in ſpecie profeſsio fiet Mediolani principatus. Ergo, pro Aurelio & liberis maſculis naturalibus & legitimis, quos poterit ſuſcipere ex alio matrimonio, modò tamen cum bona uenia Cæſaris uxorem accipiat: atque ex ea familia quæ Cæſari, aut ſi is deceſſerit, Ferdinando, aut Philippo Cæſaris filio, non ingrata ſit, implebitur id matrimonium. Cùm filia Cæſaris, ſi ita uiſum ſit. Cæſari intra quatuor alios menſes, poſteaquam uoluntatem ſuam Cæſar patefecerit: ſi filiam Ferdinandi elegerit, impletor intra octauum menſem, poſteaquam ita Cæſar ſtatuerit. Mediolani que imperium dator intra octauum menſem poſt eam electionem. Quo uerò tempore dabitur Aurelio Mediolanum, is conſtituito in arcibus & propugnaculis præfectos, & cuſtodes non ingratos Cæſari, & quorum fidem ipſe ſuſpectam non habeat: ij que iuſiurandum præſtanto, quo fidem ſuam obſtringent Cæſari. Huic poteſtas eſto ſi uolet, & quoad uolet retinendarum arcium Mediolanenſium & Cremonenſium. Tuncque redditis arcibus, reddito unà Rex Mommelianum & Pignerollum. Cum utrauis harum contrahat matrimonium Aurelius: quæ hiſce in locis quæ doti dicta ſunt, Cæſar dederit, erogârit, utrque ſeruato: æs alienum horum gratia contractum diſſoluito. Teſtamentum Philippi Cæſaris patris, & quæ Cæſar in pia legata erogârit, impleto. Si filia Cæſaris Aurelio nubat, habeto Aurelius Aureliorum, Boiorum, Engoliſmenſium, Caſtri Heraldi principatum: ut que ex his uſque ad centum millia libellarum annui reditus deductis impenſis Aurelius percipiat, Rex curato. Ex his ſi tantum non poſsit exprimi Aurelio, his Alenconiorum principatum adiungito. Si liberos maſculos Aurelius non ſuſceperit, filiabus (idq́ unicuiq́ harum) dos centum millium nummûm aureo-

» aureorum conſtituta eſto: donatio propter nuptias filiæ Cæſaris,
» ſi ea nubat Aurelio, & ſuperſtes ea huic manſerit, quadraginta mil
» lia librarum eſto. Filiæ Ferdinandi ſi ea nubat, triginta millia li-
» brarum: eamq; donationem hæ præcipiunto in bonis datis Aure
» lio, deductis impenſis omnibus: ubi perfectum fuerit matrimoni-
» um cum filia Cæſaris, eaq; uocata in adminiſtrationem. Rex red-
» dito & reſtituito Sabaudiano Duci eodem tempore quę ab eo oc
» cupauit, ante ad Niceam pactas inducias, ſiue Tranſalpes, ſiue
» Ciſalpes. Ne quid ex his Rex retineto. Demolitor, ſi uolet pro-
» pugnacula, ea tamen quo ſtatu erant antea reſtituito: ſi aliud inea-
» tur matrimoniũ, eadem reſtituito. Quo tempore tradetur Medio-
» lanũ Aurelio, iiſdem quibus ſuprà conditionibus retineto. Rex ſi
» uolet Mommelianũ & Pignerollum, ſi Cæſar arces Cremoneſem
» & Mediolaneſem retineat. Ne rurſus Rex in Sabaudianũ bellum
» moueto, neq; oppida eius occupato ſub ſpecie iuris cõtrouerſi, do
» nec de iure cognitum ſit, ritè agitata cõtrouerſia, uel ſecum conuen
» tiones initas inter Francos & Sabaudianos, uel ex bono & æquo,
» uel arbitrio lite dirempta. Hiſdinum quo nũc eſt iure, eodem Rex
» poſsideto. Cæſariani tamen utũtor ueteri poſſeſsione, nec eos præ
» ſentes ullus in uerba Regis iurare cogito, ſemperq; eo in iureiuran
» do fidem obſtrictam Cęſari excipito. Neq; his uetato ubicunq; uo
» lent, fructus ex eo loco perceptos auehere. Rex Anglię, ſi uolet, hu
» ius fœderis particeps eſto. Rex tabulas ueteres quæ pertinent ad
» dirimendas cũ eo controuerſias, & induſtrios homines, per quos
» hæ ſopiantur controuerſiæ, ad Cæſarem mittito. Si cum eo ſui pri
» us non tranſegerint, Henrico Nauarrorũ regi bellum mouenti in
» Cæſarem, Rex ne auxiliũ ferto. Dotẽ & donationem propter nu-
» ptias conſtitutam Eleonoræ Reginæ, Delphinus ratã habeto: ſiue
» ea in Francia degat, ſiue extra Franciam. Rex ad Cæſarem mittito
» eam conteſtationẽ, qua Ioanna Nauarri Regis filia, inuitã ſe pepi-
» giſſe contendit matrimoniũ cum Cleuenſi, uoluntateq; eius & ſen
» tentiã apertã, ecquid ei placeat id matrimoniũ. Mittito uterq; ad li-
» mites Regni ſpectatæ fidei homines, qui dirimãt utrinq; eas cõtro
» uerſias quæ ſæpe occurrunt in limitibus. Hæc pacta ſancta ſunto:
» Frãcis & Cæſarianis perpetua maneto. Hactenus adſcripſimus capita aliquot præcipua fœderis. Triſtanus Moneius miſſus à Rege in Subalpinam regionẽ qui ex fœdere nuper bello capta redderet: Quod factũ eſt ſummo omnium & dolore & fremitu. Fœderibus paciſcendis adhibiti à Cęſare Ferdinandus Gonzaga & Nicolaus Perrenotus Grauilla: à Rege autem Claudius Ennebaldus, Carolus Nullius, & Gilibertus Baiardus. Ipſe Aurelius cum Ennebaldo Cæſarem in pacata loca perduxit. Vulgus ut ex ratione pauca, multa ex opinione æſtimat, in multos quaſi huius pacis malè conciliatæ authores multa paſsim dictitauit: in quos & Franciſcus

Borbonius Paulini fani Comes æger morbo graui, acerbius inuectus eſt. Atqui rectè à prudentibus dictum eſt, Nihil eſſe fœdius quàm cognitioni aſſertionem præcurrere. Cæſarem peditatu, Regem equitatu ſuperiorem fuiſſe credidere: nec tutum putabat Rex media ipſa Gallia prælium committere. Vbi ſi quid paulò durius accidiſſet, direptioni hoſti Lutetia patebat. Et quo die captus eſt Fuſtembergus, non ita Galli abundabant equitatu, qui poſtea lectiſsimus ſuperuenit. Et planè neſcias eo bello an ab hoſtibus, an ipſiſmet militibus Gallicis acrius ſint agricolæ uexati. Cædebant utrique greges armentorum: quodcunque nacti erant milites epulabantur. Edebant ſtrages ubicunque ſiſtebant ueſtigia: uaſtabant agros, diripiebant uillas, matres familias, uirgines adoleſcentulas abripiebant: ne à pueris quidem Italo milite, qui Regi militabat, abſtinente. Ager ille Campanus & Belgicus, cui Picardiæ uulgatius nomen inditum, qui ſolebat eſſe cultiſsimus, cuius antea ſpecies ea erat, ut dum cultus uideretur, omnes oblectaret, ſic erat deformis atque horridus, ut uberrimis in prouincijs ubertas paſsim deſideraretur. Ita euerſi funditus aratores, relicti agri, non modò ex agris aratores & ruſtici eiecti, ſed etiam ex ciuitatibus multi, ex ipſis prouincijs non ignobiles, bonis fortunisque omnibus ereptis, in Galliam ipſam, mox extremam Aquitaniam ſublatis ſecum miſero ſpectaculo infantulis, mendicare coacti ſunt. Dum ita Cæſar in Galliam graſſatur, Henricus Angliæ Rex inſtructo exercitu, ubi pluſquam adfuere triginta hominum millia, parte alia in Belgica Gallia nūc Bononiam, nunc Montrolium urbes infeſtabat. Et Henricus quidem Delphinus quandiu adfuit, etſi cum impari exercitu, uanos conatus eius reddebat. Eo in Campaniā reuerſo, etſi Antonius Borbonius Vindocinenſis, cum copijs leuibus nunc aliquot uexilla Anglis extorſiſſet, nūc annonam intercepiſſet, nunc cum turmis occurrentibus manus conſeruiſſet, ſuperiorque euaſiſſet, non tamen tantæ eorum potentiæ obuiam ire potuit: eo factum eſt ut illi Montrolium, & Bononiam oppugnarent. Odardus Bieſus, quem rectorem Rex iampridem Bononienſibus dederat, uidens Bononiæ oppugnationem irritam futuram, quippe locum norat natura inepugnabilem, uel ea ratione motus, uel ſperans Montrolio nondum munito ſeruato, plus ſibi laudis acceſſurum, Iacobo Concio Veruiſno genero Bononiam tuendam delegat: ipſe Montrolium tuendum ſuſcipit. Iam continuata multorum dierum oppugnatione circa Montrolium, domos ſtrauerant Angli machinarum impetu: labefactârant ita muri partem, ut pateret militi in urbem aditus. Bieſus etſi æger corpore, permultas noctes circa muri labefactatam partem lectica uectus manſit: ſimul paululum extra muros aliam munitionem parârat, quam temerè illi adgredi uerebantur.

bantur. Ita factum ut relicta parte copiarum, illi ad Bononiam peruenirent, adiunctis alijs. Ibi transfixa uicina terra, machinas murales fruſtra admouerant urbi: ſed cùm Veruinus tres menſes oppugnationem ſuſtinuiſſet, mortuo interea Corſo, qui quadam ex parte ei comes adiunctus fuerat, cum aditus omnes ita intercepti eſſent, uti nequid uſquam è Gallia audiret, labare cœpit & ſibi metuere, & per colloquia clanculum ſibi conſulere, tametſi annona in multos menſes eſſet inſtructiſsimus. Rex interea Ioannem Bellaium, unum è purpuratis pontificijs ad Angliæ Regem miſit, ſperans ſolui poſſe obſidionem. At ille iam per ſuos cùm Veruino de urbe dedenda pactus fuerat. Fama eſt præter aliorum qui deditionem extrahebant, in decimum diem, pepigiſſe eum in tertium: ementitumque ſulphurei apparatus numerum, neque eo fœdere ciuibus Bononienſibus conſuluiſſe, & in acerrima oppugnatione urbis interdum latuiſſe, abditum alijs locis. Ita factum ut nobiliſsima ciuitas, & inexpugnabilis, uel metu rectoris, uel perfidia aut ignauia, in poteſtatem eorum uenerit. Ipſe rex quem pedibus ægrum, & ſepulchro uicinum Galli dictitabant, urbem mox equitans ingreſſus ſit ſumma hoſtium alacritate: qui tantis conatibus impetitam olim urbem, nunc demum in manus ſuas ueniſſe uidebant. Multi ſuſpicabantur pecunia uictum Veruinum, deditionem feciſſe. Auxit hanc ſuſpicionem comitas hoſtis, qui quo die Galli Bononia egreſsi ſunt, cùm imbre gelido & aſsiduo milites uexarentur, humaniſsimè Veruinum excepit, reliquis ſub dio pernoctantibus, nec ſatis tutis ab inſolentia Anglorum. Multi conſilium Odardi Bies improbârunt, qui locum minus tutũ ſuſceperit, munitum adoleſcẽti genero reliquerit. Nanque Montrolio capto, ſpes erat id poſſe extorqueri ab hoſte: at Bononiam receptam nunquam in Gallorum redituram poteſtatem inuitis eis uidebat. Multi quoq; putârunt ab Antonio Vindocinenſi admonitum Regem ſæpius, ſi mediocres copias mitteret, repelli poſſe Anglos. Eſt autem Bononia & inferior, quam uocant, & ſuperior. Bononia inferior, uicus non ſeptus mœnibus ante Anglorum aduentum. Ibi fanum diuo Nicolao ſacratum, & aliud Franciſcanorum ſodalium. Mare Anglicum uicum alluit: propè fanum ſodalium, quod non longè aberat à mari, facillimus traiectus in Angliam. Abeſt à Bononia ſuperiore centum ferè paſſus, & eo quid fortè amplius: at Bononia ſuperior, cincta mœnibus ualidiſsimis. Ibi foſſæ præaltę muros ambientes. Totus ille locus ſabuloſus, ex eo genere, quod ſabulum feruens maritimi homines uocant. Vnde Boloniæ nomen à feruenti ſabulo, Gallico nomine inditum putant, tametſi Bononiæ uetus eſſe nomẽ ex Ammiano Marcellino uideamus. his diutius prę fuerat Ludouicus Fayeta: ſed ſeditione orta inter milites & oppi-

danos, datus eis qui Regis nomine Bieſus. Bononiam etiam ueſtuſto nomine non deſunt qui Geſſoriacum uocent. Ibi inter cætera quinque turres magni roboris, haud ita excelſæ uti lædi ab hoſte poſsint. Turris quæ à Virgine Maria nomen accepit, in Caletos proſpectans, caſtrum inſtar turris munitiſsimum, quod minimè ambitu muri ſeptum eſt. Turris Porqueti, quæ alias Martinianæ nomen accepit, hæ duæ in Bononienſem agrum ſpectant. Turris Franciſcana proſpectans in Montrolium, & Bononiam inferiorem. Turris alia per quam ingreſſus & egreſſus in urbem patet. Nam ex turri adnexæ arci niſi magnates haud temerè prodeunt. Ibi duo ſacraria, alterum duę Virgini ſacratum, ubi olim flamines, quos Canonicos uocant Regulares, ſanè apud eos ſanctum & religioſum: alterum Vrſmari, & ſacrariolum diuo Ioanni dicatum: & non longè ab arce aliud Martino dicatum, unde & turris nomē accepit. Templum dicatum Virgini Mariæ, auguſtiſsimo & religioſiſsimo in loco. Ibi lampades quatuor argenteæ, propè imaginem Virginis, tres aureæ. Simulachrum diuæ Mariæ altera manu oſtentans cor aureum, altera infantulum complexa, oſtentans flores aureos, ubi carbunculus eximiæ magnitudinis uiſitur. Pilę quę ante altare erant opertę argento: multa alia certantia cùm ueterum quamlibet eximio ſplēdore & apparatu: quę ita ſpoliata Angli reliquerunt, ornamenta ut uix fani priſtina extent, eccleſiam etiam ipſam complanantes, ibi propugnaculum extruxere. Mirati ſunt multi Bononię hanc deditonem: quæ quo pacto acciderit, ordine repetendum eſt. Quæ ad urbem oppugnandam pertinebant ab Henrico Angliæ Rege magna cura, & diligentia magna, & facultate, & copia multos ante menſes erant conſtituta. Is paratis rebus iter fecit ex uico Marquiſo (qui locus conſtitutus eſt inter Caletes & Bononienſes) in Vmbautum uicum. Caſtra deinde locauit ad arcem Bononienſem: eo loco collocatæ ſunt duodecim machinæ bellicæ, quæ emiſſæ & priorem murum (gemino enim muro locus ſepiebatur) & poſteriorem deiecere, ita tamen ut difficilis hoſti aditus pateret. Sed & molem terream hoſtes excitauere, ubi & aliæ machinę collocatę ſunt, ſed minores, quibus & tecta Bononienſium, & qui per uicos uagarentur eliderentur. Tertiò poſtea die admouit copias turri quæ Ordrea uocatur. Huic præerat Ioannes Finus Bononienſis, cùm uiginti alijs. Turris ea comminuta eſt, cæſis qui in præſidio erant. Iacobus Contius id intuitus, ueritus ne ab hoſte Bononia inferior occuparetur, emiſſis turmis aliquot militaribus, incendi iubet oppidum. Hi cùm mandata curaſſent, factum eſt ut conceptus ignis latius uagaretur è porta Duneſa uſque ad fanum Nicolai, perueniret que haud longè à ſodalium Franciſcanorum cœnobio. Id Angli uidētes, auxilio allato, oppidum ab incendio & flammis quadam ex parte

libera-

liberauere: muniere'que locum, & præſidio tenuere, collocaue-re'que circa officinam, ubi tingi panni ſolebant, quatuordecim alias machinas grauiores, quæ feriebant ea loca quæ ſita erant inter turrim Virginis, & portam Duneam: totum'que eum tractum uariè infeſtabant, cùm & oppidum operibus munitionibus'que ſepiſſent. Labefactata autem ſunt mœnia ab hoſte quatuor locis præcipuè: Primùm circa fanum Ioannis: Deinde circa arcem, ubi deiectio muri tanta fuit, ut propugnaculum quod extra erat arcem, relinquendum fuerit. Tum & intra eum locum quo ſitæ erant ædes Caprei Bononienſis, & porta cui Gaiola nomen. Denique ad turrim Francicam, ubi eò uſque progreſsi ſunt hoſtes, ut per cuniculum aditum molirentur, niſi Franci per Lignonum Bononienſem atterere properaſſent cuniculos. Ita factum, ut turris ea non corrueret, aperiretur uerò & diffinderetur in duas ueluti partes. Henricus Rex, coacto ad Bolombargeum uicum equitatu, caſtra eo loco adiunctis etiam peditibus fecit, ut dirimeret Bononienſibus omnis auxilij è Gallia ſpem. Ter autem oppugnata eſt urbs poſtea. Duæ impreſsiones uelut fictæ, & tentandæ demum urbis gratia, uno eodem'que die factæ apparuere. Ibi tamen multi ex Britannia albis ueſtibus induti, quibus ex lege damnatis Rex ſupplicium remiſiſſe ferebatur, cæſi ſunt cùm temerè murum ſubirent. Tertia impreſsio, quę incidit in quartum diem menſis Septembris, ab hora octaua ante meridiem, in quartam horam poſt meridiem protracta eſt. Ibi ſepties ſuccumbente hoſte, recentes milites feſsis ſubmiſsi ſunt: deſiderati'que è Gallis trecenti, ex hoſtibus pluſquam mille quingenti. Deſideratus eſt è noſtris Philippus Corſus, homo Italus. Eo prælio aucti Bononienſium animi: gratiæ actæ Deo Optimo Maximo: ſupplicatio ſacræ Virgini ad omnia altaria decreta. At Veruinus cùm quid in Gallia ageretur ignoraret, tempus paucorum dierum, quo ei reſpirare licuit ab hoſtium oppugnatione, in magno officio & neceſſariò ſibi non ponendum putauit. At exanguis & confectus, & territus hoſtium minis, an alijs ex cauſsis quæ poſtea exagitatæ ſunt, legatos ad Henricum miſit de deditione acturos. Miſsi ſunt autem Ancelotus, Candelerus, & Pipomontius: his Henricus ſpem deditionis non ademit, imperauit autem quæ uoluit. Legati cùm in urbem rediſſent, plebs id grauiter ferre, ut in Ancelotum ſaggita emiſſa uulneratum infauſta omnia precaretur. Miſsi deinde Sambliotus & Deſus, & Conlincurtius eas ratas habuere, Ioannes Poquus diſſentit. Paucis ante diebus quàm dederetur Bononia, plebs ſe lamentis dedere: ut in tanta fæce hominum alij ſalutis, alij conſeruandæ urbis curam iactauere. Annona quidem ſupererat: labefactatum murum plerique uerebantur, quem rimas iam agere & facilè deijci poſſe uerebantur imbelles.

N: 3 ſint officii nalioris

Ante

Ante eas oppugnationes Ioncurtius ferè centum pedites clanculum in urbem ſubmiſerat, uigilias Anglorum fallens per ſacerdotem Anglicæ linguæ gnarum. Hi noctu excepti ſunt à ciuibus, ſcalis è muro datis, quibus ingrederentur. Dillerius tamen ſagitta fortuitò emiſſa uulneratus eſt. Quo tempore egreſsi ſunt è Bononia ciues & Franci, Angli immemores iuriſiurandi dati, cùm imber grauis effluxiſſet, & impedimenta ciuium & militum diripuere, & in Bononienſium mulieres uolutati ſunt. Cœpta eſt urbis oppugnatio die decimo octauo Iulij. Dedita autem urbs die decimoquarto Septembris, anno M. D. XLIIII. Henricus Britanniæ Rex, grauiter ferre uiſus eſt inita cùm Franciſco à Cæſare fœdera. At Cęſar cùm robore exercitus tardius illum properaſſe aiebat ſpe prius Bononiæ munitiſsimæ urbis occupandæ, ſibique conſeruandę. Ob eam urbem receptam plebs Anglica Regem ſuum uerbis ad cœlum extollebat, nullum tanti fuiſſe triumphum, nullam lauream partam à maioribus ſuis cùm ea uictoria conferri poſſe fatebatur. Ex Campania reuerſo Cęſare, Delphinus cùm robore exercitus, unà cùm Carolo fratre, Ennebaldo & alijs plurimis, Bononiam contendit. Vulgus putauit ad Bononiam intercipiendam: ſed cùm ſciret ab eis munitam inferiorem Bononiam, ibi relicta ſeptem hominum millia, ad eos intercipiendos parabat. Nocte intempeſta egreſſus caſtris, ex fano Virginis Eſcuellæ profectus, (eſt is uicus in Bononienſi agro) non tamen antequam illuceſceret eò peruenire potuit. Galli & Aquitani pedites in Bononiam inferiorem impetum fecere, ſimul Itali. Sed dum prædæ intenti, minus imperia ducum exaudirent, Angli ex ſuperiore Bononia tumultum ſpectantes, acriter in Gallos proruerunt. Ibi Itali, quibus Comes Sanctoſecundus, & plurimi alij præerant, nullis minis aut hortationibus induci potuere, uti in aduerſum Anglum prodirent: at fugam ipſi capeſſentes, alijs quoque fugæ authores fuere. Heluetij, Rheti, Galli & Aquitani parati erant, quà ducibus uiſum eſſet, irrumpere. At cùm tormentis ex ſuperiore loco emiſsis prorui omnes poſſent, ſatius uiſum eſt pugna abſtinere. Delphinus circa uallem uicinam cùm equitatus parte, fuit extra iactum teli cupidiſsimus pugnæ ciendę, ut erat animo imperterrito. Simul imber maximus prima luce ſeſe effundens, Gallis maximo impedimento fuit: ut inde quidem, etſi hoſtibus non ſequentibus, abeundum fuerit, etſi plures ex hoſtibus deſiderati ſint. Sed eò res malè ſucceſsit, quòd cùm ſe intercepturos hoſtes ipſi putaret, mox cedere coacti ſunt. Nam nullis machinis auectis, Bononię ſuperioris oppugnandę non fuit conſilium: niſi Angli ex ſuperiori egreſsi, & in eandem à Gallis coacti, admiſtis Gallis in eam redijſſent: quanquam Veruino authore impetu facto, prius quàm muniretur ſtrata mœnia, recipi poſſe

urbem

urbem multi uoluere. Ibi Foſſolius, alter gener Bieſi, fortiter pugnans interijt. Fuit toto eo itinere annonæ in caſtris inopia. Eo anno, mortuo Franciſco Erralitio Chemantio, & poſtea Poieto damnato, Franciſcus Oliuarius ſummus iuriſpræfectus deſignatus eſt, in gratiam (ut putatur) Magaretæ Reginæ Nauarræ. Paulus Pontifex cùm pacem uideret inter Cęſarem & Regem confirmatam, Tridentinum cœtum auſpicatus eſt. Huic adfuere è Gallia Antonius Filiolus Aquenſis, Gulielmus Pratus Claromontanus, Claudius Chiſeus Agattenſis pontifex, miſſus & Petrus Daneſius: Is cœtum admonuit, primùm de doctrinis ea ſemel conſtituerent, publicè que proponerent, quæ omnes ubique CHRISTI fidem profeſſi ſequerentur. Deinde, ut uitæ morum' que in ſacris hominibus diſciplina, acerrima ſacrorum Canonum norma dirigeretur. Denique, ne præmia antea tributa Gallicis Regibus, imminui paterentur. Cùm ſalinarium uectigal refrixiſſe uideretur; miſſo in Aquitaniam Antonio Boierio quæſtore regio, & Pontio Brandoo ſenatore Pariſienſi, repentè acrius id exagitatum eſt. At Pontius dum apud Petrocorios edicto Regis exequendo uacat, orta plebis ſeditione, miſerè & uulneratus & diſcerptus, traductus' que per aliquot loca ignominioſiſſimè; nec quid aliud auxilio ei fuit, niſi quod irritatum uulgus pro mortuo relinquens, occaſionem ei inde ſe proripiendi dedit. Ob id in Petrocorios à Rege immiſſi milites; qui arbitrio ſuo uiuerent: miſſo etiam Ioanne Cotelio libellorum magiſtro, ſummo homine ingenio, qui uariè in ſeditioſos quæſijt. Et planè merebatur eorum furor maiora, ni rex humanitate ſolita uſus, ſubleuaſſet iacentes. Hyeme quæ ſecuta eſt, multi ex his ueteranis qui è Taurinis Regis militiam ſecuti erant, ad Anglos tranſiere, cùm ſtipendia multorum menſium eis à Rege ſoluta non eſſent. Anglorum aliquot naues ad Bononiam adeuntes interceptæ, multi cæſi & necati, & capti. Et prius cùm Angli magno impetu ad nouem hominum millia propugnaculi Regij, circa Bononiam munitiones impedirent, undique occurrentibus Gallis, duce Bieſo magna hoſtium ſtrages facta. Diuerſo exitu, acri iam hyeme, cùm Bieſus maiore ui Anglis ad Bononiam commeatu inſtruendam uenientibus occurreret, & impeditos in terram exeuntes ſe intercepturum crederet, illi diuerſis locis exeuntes, & ſuis è Caletio, & Guynis admonitis, ſumma ui irruentes Gallos depulere, multis necatis, quò intenderant peruenere: nec ea contenti uictoria, Ardeam urbem uicinam, quam ſciebant parum commeatu plenam, obſidere iam incipiebant. Rex eo tempore ulcere graui & moleſto exorto, uariè affectus eſt, ut de ſalute eius paſſim deſperatum ſit. Aperto ulcere paululùm recreari uiſus eſt: ita tamen ut permultos menſes iacuerit. Claudius Dampetrus ad Ardeam tuendam miſſus eſt: cuius

ius aduentu recreati oppidani, quod Angli etiam obſidionem minus urgerent. Ineunte uere miſſus Lorgius in Scotiam, ad Anglo ea parte bellum inferendum: inſtructa numeroſiſsima claſsis, quæ in Anglia parte alia perueniret. Regij myoparones è Maſsilia in Anglicum mare poſt aliquot menſes peruenere: his præerant Leo Strozius, Antonius Eſcarlinus, quem Polinium uocabant. Samblanchardus & plures alij. Imperium maritimum decretum Ennebaldo: nam & hic tribunus erat maritimorum; cuius in claſſes Gallicas & mare, ſummum eſt imperium. Parte alia Odardus Bieſus terreſtri itinere ad Bononiam oppugnandam cum inſtructiſſimo exercitu profectus eſt, Sed dum fruſtra uidet obſidionem futuram, locum interea delectum caſtris munire cœpit, atque inuitis Anglis ædificare. Eum locum uocauere Galli propugnaculum Bononienſe, quod uelut frontem aduerſus Bononiam tuentes, uariè in eos qui Bononiæ præſidio relicti erant, graſſabantur: id fruſtra ſæpe Angli oppugnauere. Locum præſidio Galli tenuere. Angli nondum ornata claſſe Gallica, poſtquam Rex circa Argentatum uerſatus, in portum nouum ad Normaniam, quem Gratiæ littus uocant, peruenit cum numeroſiſſima claſſe, non longè ab eo loco uiſi ſunt, ut trepidatum ſit à multis. Id Petrus Strozius, Boutierius & Anguianus indignum rati, acceptis aliquot myoparonibus in hoſtem contendere. Illi emiſſa machina Gallos aliquot uulnerauere, mox inde ſeſe proripientes. Interea Ennebaldus ſoluit cum claſſe Gallica, ea'que numeroſiſſima & inſtructiſſima. Dum ſoluit nauis Gallica, una eximiæ magnitudinis nautarum ignauia incenſa eſt, multi'que abſumpti, quidam longius prouecti ab his: domus incenſæ, pecora abducta: ipſe Ennebaldus claſſe ſe continuit, quæ optimè curſum confecerat. Et niſi qui in eum locum appulerant, mox ex eo ſe proripuiſſent, periculum erat ne hoſtes aquis paſsim immiſſis, Gallicam ſubuerterent claſſem. Aulſius Rhodius eques, qui Gallo militabat, cæſus eſt. Angli ita portus ſepſerant, ita littora munierant, ut ea magno periculo adirentur, ſimul exploratorum inopia, & eorum qui locorum eſſent periti, minus res Gallis ſuccedebant. Anglica claſſis in locum tutiſſimum ſe receperat. Circa eam præteruecti Galli, cùm hi loco ſe non mouerent, & ipſi pugna abſtinuerunt. Petrus Strozius putabat ui oppugnari debere: unde illi cum Polinio ſimultates poſtea fuere. Ita nulla alia re geſta, Ennebaldus cum claſſe omni in Galliam redijt, Lorgio interea apud Scotos haud melius Gallicas res promouente. Et iam peſtis in terreſtres copias graſſari incipiebat, ut multi mortales abſumpti ſint. Ea peſtis in aulicos ipſos graſſari cœpit, tota'que Gallia diſperſa in Aquitaniam mox peruenit. Interea Dampetrus, qui ad Ardeam regendam præpoſitus erat, ferociam Anglorũ uidens, qui contemptus tot Regijs copijs in Bononiam

quoniam terreſtri itinere commeatum introduxerant, admonitis prius aliquot Gallicis proceribus, ut ad certum diem cum copijs adeſſent, intra certum locum certamini deſtinatum, ipſe cum robore ſuarum copiarum ex Ardea egreſſus eſt, ſimul Angli ex Guinis locis que uicinis, numero ſuperiores adfuere. Ibi per multas horas acriter dimicatum eſt. Hoſtes qui Gallicam paucitatem uidebant, ipſi pedetentim ad eorum numerum egrediebantur: mox conferti ita irruerunt, ut paſsim diſperſi Galli, qui cum Dampetro exierant, abirent. Dampetrus cùm ſe fuga in Ardeam proripere incolumis poſſet, cæſo equo diu cum Anglis pugnauit, expectans eorum auxilium, quos ſibi adfuturos credebat. Vbi uidet ſuos diſperſos, auxilij ſpem nullam ſubeſſe, cùm admoneretur fugæ, ſatis id perſpexit, ſi ipſe fugiens Ardeam properaret, mixtos hoſtes facilè ſecum in oppidum peruenturos. Itaque diu immotus ſubſiſtens, cùm Angli fruſtra eum captiuum abducere uellent, & à pedite quodam impetitus ſe exeruiſſet, ad extremum ictu breuis machinæ, cui piſtoleo nomen, ictus occubuit: alij uolunt haſta transfixum. Galli qui ei auxilium ferre debuerant, cùm exploratorum ignauia in unum locum pro alio perducti eſſent, uel quod uerius eſt, tardius auxilium tuliſſent, exanguem & paululum ſpirantem nacti ſunt: ſed in confertiſsimos hoſtes progreſsi, aliquot necatis, eos in ſua loca fugarunt. Ex Gallica nobilitate multi ſpretis periculis excurrebant quotidie in Bononienſem agrum. Vbi ſæpe Antonius Viuonius Caſtenarius machinis impetitus obtulit ſe periculis, cùm quodam die in uallum progreſſus, perforatis hoſtium machinis, redijſſet. Afferebantur ex loco, cui Doyo nomen, terreſtri itinere commeatus in Bononiam. Is locus haud ita longè à Caletibus abeſt, fertilitate agri abundans. Odardus Bieſus ad eum locum uaſtandum profectus eſt: atque ei eò contendenti per Cæſaris ditionem iter fuit faciendum. Erat ibi propugnaculum ſatis munitum, quod aſſeruabatur præſidio aliquot peditum Anglicorum. Hi exploratores de Gallorum aduentu admoniti, munitionibus auctis, parabant eum locum tueri. Itaque Bieſus machinas bellicas, quæ ferè milliario adhuc aberant, accelerari iubet. His minimè expectatis, Ioannes Teus cum peditum robore acriter in hoſtes progreſſus, necatis quingentis Anglis, qui in præſidio locati fuerant, propugnaculum occupat. Equites quoque iter accelerarunt, præcipuè Eſcartius, Briſſacus, Sanſirus. Eſcartius etiam præmiſſus eſt explorandi gratia, quales eſſent hoſtium copiæ. Is mox Bieſum certiorem facit ingentem adeſſe & peditum & equitum numerum, nec niſi proximis alijs, maiorem hoſtium numerum ueritus, in eos inuectus eſt: idque illi à Capella Bironio poſtea exprobratum. Angli ita ſibi perſuadebant, robur copiarum ad Bononiam relictum, adeſſe tan-

L tum

tum cohortes aliquot Gallicas uaſtandi agri gratia miſſas. Bieſſus cum robore equitatus rectà ad eos contendit, comitatus ſex machinis bellicis. Angli tum demum & numero & uiribus ſe ſuperiores rati, referre ipſi pedem incipiunt. Galli acerrimè in eos impetum faciunt. Reſiſtentes adhuc & ſeſe uiciſsim ad prælium cohortantes, progreſsi Gallici equites in fugam uertunt, diſsipatos paſsim obtruncant, eademq́ ferocia qua illi ubi eſſent ſuperiores utebantur in Gallos, deditione nulla admiſſa, paſsim nobiles & ignobiles obtruncabant: relata inde quinque uexilla militaria. Cæſa tria hominum millia, alij quindecim uexilla relata uolunt, cæſa ad nouem hominum millia. Huic prælio & Neuerſius, & Anguianus, & Tremolius interfuere. Anguianus ob uadi difficultatem ipſe equo per manum educto, reliquis uiam oſtentabat Guydus. Lauallus haſta, at modicè tamen, uulneratus eſt. Mox paſsim exuſti agri, uillæ direptæ: ut ipſe quidem fumus ab ipſis Caletibus uideretur. Hoc prælium uix inſtar fuiſſe decurſionis leuis, multi uoluere. Menapij ab Anglo mercede conducti, unà cum alijs multis è Germanorum robore, ad ſexdecim hominum millia, ad propugnaculum Bononienſe euertendum iam proficiſci putabantur: & Rex iam circa Campaniam præmittebat robur copiarum, ut prælio decertarent, aut iter eorum impedirent. At hi cum per Cæſaris fines tranſeundum eſſet, iuſſu Cæſaris qui tranſitum negârat, uel quòd iam inſtaret hyems, ad ſuos rediere. Paulò antea Carolus Valeſius Aureliorum Dux, Regis filius, immatura morte præreptus, magnum ſui deſiderium aulicis reliquit: ut enim implicitus aulicis delitijs uiſus eſt, quod certè adoleſcentiæ condonari potuit, ita uigebant apud eum ſtudia rei militaris. Nemo fortiſsimos centuriones, tribunos, duces, equites exteros iucundius excipiebat: nemo ubi res exigebat, in laboribus patientior: nemo in largitione dum opus erat, effuſior. Ille optimè edoctus comprehendere militares homines amicitia, tueri obſequio, ſeruire rumoribus uentis'que aulicis. Regem patrem ita ſibi deuincire, & eos qui patri placerent, ut dubitares quorſum tantus patris aulicorum'que amor progredi deberet. Ille uerſare ſe, urgere ad tempus, ut potentiam iam eius gliſcentem, & ad maiora quotidie progredientem uideres. Is ea ratione deceſsiſſe creditus eſt. Graſſabatur peſtis in uicina ea loca, circa quæ Rex diuerſabatur. Carolus cum Henrico fratre domum agricolæ ingreſſus eſt, etſi admonitus contagione peſtis infectam, mox luſu iuuenili inductus ridere cœpit & ſe & fratrem, qui in peſtiferam domum introijſſent: ſimul enſe in lectulum & culcitram emiſſo ludens, in fratrem excuſſas plumas uoluebat. Ex eo tempore putant mox peſte infectum, & dum morbi uiſi ignorantibus medicis ignoratur, extinctum. Alij nimia exercitatione

cùm ſe ocioſus exercuiſſet, uolunt necatum. Nec defuere qui uenenum adhibitum ab hoſte ſuſpicarentur: quanquam quid ita exultanti, ueneno opus fuit? Sed & circa penem ulcere uexatum iactauere hoſtes Gallici decoris: agitaſſe'que noua fœdera cùm Paulo Pontifice, iniecta ſpe matrimonij cùm eius nepte, dotali'que regno ex Italiæ parte nobiliſsima conſtituta. Huius morte Rex perturbatus eſt. Ipſe una cùm aulicis hac atque illac ſecedens, diuerſi diuerſa in loca, quoad eius fieri potuit, peſtis contagionem euaſere. Et hæc quidem ea geſta æſtate ſunt eius anni, qui fuit milleſimus quingenteſimus quadrageſimus quintus. Anno ſequenti uexata Aquitania peſte: ut ſenatui Burdigalenſi ad Liburnenſes migrandum fuerit. Legati Germanorum ad Regem hyeme uenerunt, cupidi fœderis cùm eo aduerſus Cæſarem paciſcendi. Sed Rex altiora ueritus, bono eſſe eos animo iubens, ad ſuos remiſit, nihil pactus aduerſus fœderatum Cæſarem. Et iam ad Tridentum ſacroſanctus cœtus cogebatur, cùm tamen è Gallia pauci eò conueniſſent. Angli dum Gallos Bononienſe propugnaculum præſidio tenentes inuadunt, ſæpe fuſi ſunt. Sępe utrinque pugnatum minus iuſtis copijs, nunc ad hoſtes, nunc ad Gallos uictoria redeunte: ut Regi fides quorundam, qui in præſidio erant, ſuſpecta fuerit, uerito ne quid cùm Anglo pacti eſſent. Miſsi ſępe ad Anglum legati, nullas æquas conditiones retulere. Tandem Ennebaldus miſſus, pacis utrunque Regem cupidum reddidit: cùm tamen leuia certamina quotidie ad propugnaculum fierent, ſimul ad Ardeam, & uicina loca. Et Angli inter Caletos, & Bononienſes aliud ipſi propugnaculum extruebant, quo munito regium aliud extructum inutile eſſet. Vltrò citroque curſitantibus legatis, tandem his conditionibus ſequenti æſtate pax inita eſt: Vti Henricus Rex Angliæ acciperet intra longum tempus (quod fuit multis haud ita certum, addunt autem octauum annum) à Rege ingentem pecuniæ numerum, certis pendendum temporibus: accepta pecunia, mox Bononiam, uti à Gallis acceperat, redderet. Nata erat ſuperiori hyeme Henrico Delphino filia, quæ tum demum parta poſtea pace, luſtricis patribus adhibitis magnificè abluta eſt. Sed & eadem hyeme Anguianus, cui Franciſco Borbonio nomen, interijt. Cùm enim exercitatione ludicra recrearet ſe in domus oppugnatione, unus arcam ligneam cœpit præcipitare, quæ, ut erat ingentis molis, in Anguianum prolapſa, ipſe corruit magno ſui deſiderio relicto. Poſt aliquot dies pax conuenit inter Reges, quam iniquis conditionibus uulgus conueniſſe putabat, nec periti rerum ratam futuram exiſtimabant. Ea æſtate quæ ſecuta eſt, nihil admodum magnificè domi geſtum. Legati Anglorum Regis lautè accepti. Singulare certamen multa pompa inter duos Hiſpaniæ gentis milites ſpectante Rege & aulicis, pera-

ctum. Inde Ennebaldus in Angliam miſſus, claſſe eò peruenit, omni apparatu ab Anglo exceptus: ut etiam Eduardum filium magnæ indolis adoleſcentem, Regem futurum, obuiam mitteret, qui oratione breui eáque Latina, aduentantem excepit. Cæſaris cùm Germanis contentiones libenter auditæ. Iniecta mentio fœderis cùm Carolo Sabaudiano ineundi. Rex Molinium, ex eo longius progreſſus, circa uicina loca, & Cæſarianis & Germanis, dum tacitus rumores ſparſi in Cæſarem belli expectat, locum interea & arcem, cui nomen Maubertfons, prioribus bellis dirutam, ſitam haud longè à Cedano munijt. Huic Ioannem Loſſum præficit. Lautè autem pleriſque in locis ædificari iuſsit, atque ita ſanè, ut immodicis ſubſtructionibus lætatus uideatur. Miſsi ſunt à Cæſare ad Regem legati, qui auxilium in Germanos peterent. Hi benignè auditi, ſed præciſa ſpe auxilij, ſuo enim conſilio bellum initum, ſuis uiribus exequeretur: nec ultrò quæſitarum inimicitiarum quæreret ſocium. Miſsi & à Germanis oratores auxilium in Cæſarem petituri: quibus reſponſum, ſpectatorem futurum Regem belli: nullam eſſe cauſam uiolandi inita cùm Cæſare fœdera. Vtrique cùm eſſent peditatu potentiſsimi, equitum auxilia expectarant. Rex cùm circa littus quoddam non longè à Bononia portus noui fundamenti iaceret, repentè irruentes Angli magno impetu operas diſturbarunt. Id Rex diſsimulauit, cupidus pacis: eóque factum eſt uti Ennebaldus ex Anglia mox rediret. Interea cùm ad Vlmam urbem Galli aliquot uiſi eſſent, multi conſultò à Rege miſſos putauere, qui Germanis auxilium ferrent: ſed inde mox abeuntibus, neque è Gallia ſeſe Rege mouente, raucus hic rumor factus. Solent feriæ apud Gallos litigantibus apud ſenatus regios dari, à die quinto Idus Septembris ad diem Martinalium: ubi ſoluitur ſenatus, ex ſenatoribus legitur unà decuria, quæ interea uice ſenatus iudicet capitales quidem cauſas omnes, ac ciuiles, quæ certam æſtimationem non excedant. Ad eam decuriam eo anno Lutetiæ ſedentem cùm delati eſſent plures uiolatæ perſuaſionis rei, in eos eſt ſeueriſsimè animaduerſum, ut quatuordecim uiui exurendi ad Meldenſes remiſsi ſint: multi uirgis cæſi, multi mulcta honoraria caſtigati, ubi & mulieres multæ adfuerunt criminis, ut aiebant, participes. Domus unà ſolo æquata, ubi querebantur uiolari ueterem ritum ſacrorum. Sed quibuſdam ex eis qui uiui exuſti ſunt, cùm palinodiam non recantarent, prius lingua execta: cùm periculum eſſe ſeueri pij'que iudices uererentur, ne eorum ſermonibus plebecula moueretur. Hyeme quæ ſecuta eſt, Henricus Angliæ Rex animam emiſit. Poſt eius mortem renouata fœdera cùm Eduardo eius filio, qui adoleſcentulus regno præfuit. Eius funus Rex more regio curauit, pompáque adfuit. Nec multo poſt inuadente Regem ueteri ulcere,

quo

quo ſæpe angebatur, cùm ſæpe conualeſcere uiſus eſſet, tandem apud Rambuletum ritè more Chriſtiano unctus, extinctus eſt. Is ea conſtantia pietate'que deceſsit, ut iam euaneſcente uitali ſpiritu, Dei ſemper nomen piè inclamaret: & cùm uox eum deficeret, animam'que iam emitteret, identidem quaſi lectulo digitis cruces inſculperet, uiſus ſit. Ferunt ab eo, filio Regi futuro commendatos familiares quoſdam, & plebem Gallicam quæ ſe ſemper paratam exhibuiſſet, hanc humanitate ſua comprehenderet; præcipuè uerò nobilitatem, quæ in obſequio Regi exhibendo, omnes omnium charitates unà complexa eſſet. Petrus Caſtellanus hunc admonuit auerteret cogitationes ab alijs rebus, in Deum collocaret, ac ueluti mox euolaturus huic placando ſtuderet, quod ille diligenter curauit. Henricus in fanum Germani Laicum profectus eſt, aula'que iampridem abſentem Annam Mommorantium, uirum prudentem & induſtrium, mox ad ſe reuocauit: nouatis'que prudentiſsimè rebus multis, ſpecimen optimi principis dedit. Incidit autem mors Franciſci Regis in ultimum diem Martij, anno impertitæ à Deo nobis ſalutis M. D. XLVI. Defuncto Regi PATRIS LITERARVM cognomen delatum: Sed & Henrico Rege ſtudia recta à maximis uiris concelebrata enituerunt, induſtria præſertim Caroli Lotharingi Guyſiani, purpurati Pontificij; uiri excellente ingenij magnitudine, & bene morati, qui nihil prætermiſit quantum facere eniti'que potuit, quin ea in altiſsimo dignitatis gradu collocaret. Franciſcus quidem Rex, primus omnino Regum Gallicarum, uidetur uitam umbratilem & delicatam eruditorum hominum, ex umbraculis otio'que ſtudiorum in ſolem & puluerem, & in omnes Reipublicæ functiones perduxiſſe. Teſtantur id eruditiſsimi uiri ſerijs negocijs præpoſiti, ab eo'que honoribus aucti: quales fuere Ioannes Bellaius Cardinalis, Gulielmus Bellaius, Ianus Laſcaris, Gulielmus Budæus, Lazarus Baifius, Ioannes Ruellius, Ioannes Pinus, Georgius Armeniacus Cardinalis, Claudius Diſpenſius, Aemilius Ferretus, Vidus Bræleus, Aemarus Ranconetus, I. Fraiſeus, Renatus Bellaius, Ioannes Monlucus, Ioannes Guillardus Morterius, Aegidius Magiſter, Petrus Stella, Ioannes Fernelius, Franciſcus Deloinus, Iacobus Spifamus, Michael Hoſpitalis, Seguierius, Aubrius, Marrilacus, Ioannes Dauanſonus, Hugo Salelus, Iacobus Minutius, Gulielmus Pelliſerius, Benedictus Theocrenus, Iulius Camillus, Petrus Caſtellanus, Georgius Selua, Petrus Daneſius, innumeri'que alij. Neque mihi tantum relinquitur ocij, aliena ut & extera ſcribam: neque dicatum Gallis laborem, aliorum rebus geſtis inſtitui impendere: & tamen ita bellum Germanicum, quod Franciſco Rege cœptum, Henrico Rege uix tandem finem atque exitum habuit, cùm Gallicis rebus cohæret, ut

 factum

facturi operæpretium uideamur, ſi & aliquid conſumamus operæ in eo perſcribendo. Ac Germanos quidem ſæpe literis ſuis admonuerat Rex, uiderent, cauerent ſibi ab immodica Cæſaris potentia. Cùm eorum armis, alijs terrorem inieciſſet futurum, ut nec quietos illos diu uerſari pateretur. Sic omnia, quæ hoc bello accidere, præmonuit, ut facilè prudentiam eius diuinationem uideamus fuiſſe. Neque enim ea demum, quæ ſe uiuo acciderũt, futura prædixit: ſed & quæ poſt mortem eius uenere, ceciniſſe, ut uates, uidetur. Id uerisſimum eſſe deprehendimus, cùm euolueremus uel Regis, uel aliorum iuſſu eius ad Germanos ſcriptas epiſtolas, uel habitas ad eos, aut ſcriptas orationes. Eſt igitur in oratione Regis, quæ ex caſtris ad Conteum Belgicæ uicum, die VII.
Maij, M. D. XXXVII. ad Imperij ordines ſcripta hoc modo: “
Vos itaque per libertatem communem, per fidem atque amiciti- “
am, atque neceſsitudinem, tùm Chriſtiani nominis tum generis ac “
ſanguinis noſtri obteſtor. Vos per CHRISTI religionem, per “
pietatem obſecro, Viri ampliſsimi, ne Regis hîc tantummodo no- “
men aut Francorum opinionem tentari exiſtimetis: ſed rem etiam “
ueſtram agi arbitremini, exiſtimationis hic ueſtræ, æquitatis, ho- “
neſtatis, utilitatis iudicium fieri. Hoc denique ſolicitè nunc expe- “
ctari, publica'ne conſilij ueſtri authoritate importuniſsimi homi- “
nes, iniquitatum ſuarum atque iniuriarum authoritatem con- “
ſtituant, & ſanciant: atque innocentiæ præſidia uobis conniuen- “
tibus intercludant, an potius iſtic more à maioribus ueſtris tradi- “
to, non nobis tantum, ſed reliquis nationibus, ſed conſenſui & “
concordiæ bonorum, & fidei denique, & æquitatis cultoribus, “
ſpes aliqua iuris ſui obtinendi reliqua ſit. Hac etiam in cauſa exi- “
ſtimetis impotentiam iſtorum, & inſolentiam, per fortunarum “
noſtrarum ſtrages ad libertatis ueſtræ ruinam gradum ſibi facere, “
aditum & uiam munire conſtituiſſe. Deinde alia epiſtola quæ “
ſcripta eſt Lutetiæ Pariſiorum, Calendas Februarij, anno M. D. “
XXXIIII. hæc ſcribit. Ego uerò amici, ſocij, ac fœderati ueteres, ſatis credo uos dudum illuſtribus argumentis perſpexiſſe, “
quàm inſidioſa ſit, & quò tendat hæc in me per quam impudens, “
& commentitia criminatio: qua me deferri qui uolunt, procul- “
dubio infenſiores mihi non ſunt quàm ipſis uobis, quam ipſi toti “
Germaniæ. Quamdiu enim hæc duratura eſt, Gallogermanorum “
& Germanogallorum inter nos amicitia, infirmiores futuros ſe “
perſpiciunt quàm ut ſimul utroſque poſsint opprimere. Sunt igi- “
tur in hoc toti, ut collidi nos mutuo faciant: utricunque parti ma- “
lè ceſſerit, ſuam fore occaſionem rati, quò infirmioribus utriſque “
effectis, in alterutros maiore compendio bellum capeſſant, & mi- “
nore negocio conficiãt. Deinceps in ea purgatione quæ ſcripta eſt “
anno M.D.XLIIII. Omnes propterea hoc loco Germaniæ Prin- “
cipes

„ cipes & hortor & moneo, ut pro antiqua generis nobilitate, fi-
„ de, officio, & tot beneficijs confirmata cùm Gallis ſocietate & a-
„ micitia, diligenter conſiderent quid ſit tandem ex talium homi-
„ num conſilijs ſequuturum, neque ſe tranſuerſos ab his aut illis ra-
„ pi patiantur. Id uerò diligenter imprimis perpendant, quod ad
„ eos maximè pertinet: excidia Regnorum omnium, urbium, & po-
„ pulorum ruinas, teſtari nihil tam perniciosum in hominum uita
„ poſſe accidere, quàm nimium unius hominis potentiam augeri: in
„ quem cùm certatim omnes omnia conferant, aureis ſe compedi-
„ bus uinciendos præbent, neque ſentiunt ſe ſic undique conſtringi
„ & illigari, ut illis effugiendi poteſtas nulla detur. Quemadmo-
„ dum igitur Socrates ſe tam dementem futurum negat, ut leoni bar-
„ bam radere uelit, ſic rectè & conſultò mea quidem ſententia faci-
„ ent, ſi ita ſe totos Cæſari non dedant: cuius hæ artes ſunt, ut tracta-
„ ri ſe tamdiu patiatur, donec nullo diſcrimine in hoſtes & amicos
„ graſſari poſsit. Eodem'que loco: Iam omnes intelligere arbitror,
„ Cæſarem id unum agere & moliri, ut ſpecioſo quodam titulo, Gal-
„ liæ, Daniæq́ Reges petat: expeditionis Burgundicæ aut Campa-
„ nicæ prætextu, Heluetijs & Lotharingis inſidietur, quorum di-
„ tiones ingenita ſibi & auita cupiditate, ſpe deuorauit: ut faciliо-
„ rem poſtea in Lantgrauium, & alios principes illuſtriſsimos ſibi
„ uiam patefacere poſsit, & Regnum illud ſuum Germanorum,
„ quod iamdudum ſibi deſpondet, conſtituere, etiam ſi omni eos
„ humanitatis officio perſequatur. Imò maieſtatis ſuæ faſces
„ (quam ſacroſanctam Dijs & hominibus uideri uult) ſubmittat,
„ quò ijs artibus irretitos, ad extremum ſibi parere cogat. Rurſus
„ alia epiſtola ſcripta anno M. D. XLV. Veniet Cæſar Ger-
„ mani: ueniet ſuccinctus armis ueſtris ad Galliam debellandam.
„ Regno auito, ueſtris auxilijs ſperat me poſſe labefactari: ſed com-
„ poſitis mecum rebus, mihi credite, non diu patietur quietam Ger-
„ maniam. Ardet ſtudio Germaniæ labefactandæ. Huius uoluntas
„ pauliſper reprimi, non in perpetuum comprimi poteſt. Cæſar ita-
que compoſitis cùm Franciſco Rege rebus, incubuit in Germani-
am debellandam, prætexens cupiditatem religionis ſarciendę &
componendæ: apertè'que in proſcriptos Ioannem Federicum Sa
xonem, & Philippum Lantgrauium, quaſi maieſtatis damnatos,
ob uiolatam Imperij maieſtatem, ſententiam ferens. Atque ut id
tempus uacuum periculo, aut periculi expectatione relinquere-
tur, inducias prius cùm Solymano pactus fuerat. Ad hoc bellum
euocati ueterani milites Cæſariani è Neapoli & Mediolano per
Philippum Lanoium, accerſita auxilia à Paulo Pontifice, quę con-
flato iam bello Octauianus Farneſius adduxit: Sed & à Coſma
Medice Florentinorum Duce, & ab Hercule Ferrarienſium Re-
gulo, alij quoque uenere. E Belgis & Pannonia & Germania,

quæ illi fœderata remanebat, excita quoque aliquot hominum millia. Saxo & Lantgrauius, excitis ex fœderatis urbibus auxilijs, copias quoque contraxere. Hi ſi Cæſarem ad Ratiſponam, ſedentem obſediſſent, antequam undique aduenirent auxilia, nullo negocio bellum confeciſſent, aut Cæſarem in Viennam extruſiſſent: Sed uel paratiorem rati, uel ipſi imparati adhuc, aliam inire rationem. Fuit Cęſaris hac in re, toto'que hoc bello cura, ut committens inter ſe proceres Germanos, alios'que alijs reddens ſuſpectos, faciliorem ſibi aditum pararet. Sebaſtianus Scertelius ex Auguſta profectus, Saxoni fœderata & Fieſſam & Cluſam Cæſarianis ademit in ipſo belli procinctu, eo conſilio ut Pontificia auxilia quæ ex Italia ueniebant, aditu prohiberentur. Reſtabat Oenipons; ſed Carolus Caſtrialtius, contractis lectiſsimis copijs, & Oeniponte Germanos prohibuit, & Cluſam tandem intercepit. Iam Lantgrauius, & Federicus contractis multis hominum millibus Danouertum uenerant: Ramia'que recepta, quę præſidio Cæſaris munita erat, Neoburgum uenere. Et iam Landishuto imminebant, oppido aptiſsimo ad belli conſilia, ni Cæſar miſſo Pyrrho prius Columna locum occupaſſet. Eò uenere ad Cæſarem Italici milites à Pontifice, Coſma Medice, & Hercule Eſtenſi miſsi: & qui euocati erant è Neapoli & Mediolano. Germanici fruſtrati Landishuti intercipiendi opinione, Ratiſponam adcurrunt: plena erant caſtra exploratorum. Itaque certior mox factus Cæſar, aliquot cohortibus miſsis auertit hoſtes ab eo conſilio. Hi circa Ingolſtadium rediere. Federicus & Lantgrauius, caſtra munito loco poſuere. Ibi leues utrinque decurſiones: ubi Cæſar Neapolitanus longius euectus, parum abfuit quin opprimeretur. Cæſariani multa de nocte cum Aluaro Sonda & Arzio, caſtra hoſtium tentauere. Sed Lantgrauio ſatis fuit eo tempore uim eorum arcere. Farneſius & Itali dum quodam die inſidiandi locum captant, ut inde in pabulatores impetum facerent, occupato prius à Germanis loco, & pulſi & fugati ſunt. Velites tamen Itali latius excurrentes uariè eos fatigabant. Cæſaris toto hoc bello magna fuit diligentia. Vnus ille anteire agmen, locum caſtris deligere, noctu diu'que aſtutia, ubi periculum poſcebat, manu Lantgrauio & Federico Germanis'que obniti, habitu nihil à gregario milite diſcrepans. Cibus illi idem qui reliquis, aptus idem in demulcendis militibus, peritus'que conſiliorum hoſtilium. Iam Lantgrauius caſtra Cæſaris oppugnaturus, ſummo diluculo riuo tranſmiſſo, aduectiſq; machinis magno ordine progrediebatur, aptiſsime'que collocatis machinis, non paruam ſtragem edebat Cæſarianorum. Fertur & pila una in tabernaculum Cæſaris proruens, ſummo terrori omnibus fuiſſe. Cum horis nouem continuis emiſſę machinę intonuiſſent, in caſtra reditum eſt,

procliui

procliui iam in occaſum die. Sebaſtianus Schertelius ſuadebat, dum uires eſſent integræ, Cæſariani perterriti fragore tormentorum oppugnarentur. Cæſar caſtra longiore uallo producto muniebat. Cæſariani ſæpe congreſsi cùm Germanis, è caſtris prodeuntibus, peritia equitandi & dirigendis glandibus plumbeis cùm eſſent ſuperiores, in caſtra eos compellebant. Erat uillula in qua Germani machinas fixerant. Cæſar aggerem foſſam'que iam munitis caſtris contra eum locum perducebat, ut iam caſtra caſtris collata uiderentur. Pergit iterum Lantgrauius multis emiſsis machinis, infeſtare caſtra Cæſaris. Cæſariani quoque cùm Alphonſo Viue, uallo altero hoſtium tranſgreſſo, ad uillulam eam contenderunt: delerique potuere illi ni obſcura nox recipientibus ſe auxilio fuiſſet. Cæſar iam uillam occupare conabatur, ut ex eo loco caſtra illi mouere compellerentur. Illi rurſus emiſsis machinis, caſtra illius quotidie oppugnare, ut inde detruderent Cæſarem. Cùm crebris noctibus ad arma conclamaretur, attenuata Germanorum corpora uigilijs uidebantur. Itaque Federicus & Lantgrauius caſtra mouere. Id & alio conſilio fiebat, ut Buranum, qui cùm lectiſsimis copijs ad Cæſarem perueniebat, interciperent: at ille à Cæſare monitus deuijs itineribus profectus, incolumis ad eum peruenit. Germani Neoburgum, deinde Danouertum peruenere, Laugingam'que oppidum opportunum ad annonam recipiendam occuparunt. At Cæſar Neoburgo potitus uoluntaria deditione, emiſsis prius Germanis, quem locum tam opportunum miratus eſt à Lantgrauio non firmatum maioribus pręſidijs. Inde ad Vnedinguam contendit, eo conſilio, ut hoſti infeſtam annonam redderet. Et quanquam podagra uariè affectus, par tamen uidebatur aduerſiſsimo eo tempore ad capeſſenda bellica omnia munera: fixerat caſtra medio loco inter Vnedinguã & Norlinguam. At Lantgrauius lectas peditum aliquot cohortes, interea Norlinguam mittit: hæ admiſſæ cùm eſſent, duriores uidebantur Cęſarianis futuræ belli ducendi rationes. Ipſe quoque editioribus collibus occupatis, in tutiora loca traduxerat exercitum, fruſtrato Cæſare nebula craſsiore huius diei: qúa maturius diſcuſſa, pugnandi copiam hoſti facturus uidebatur, ultrò etiã eos ad pugnam fortè prouocaturus. Cùm ſe Saxo & Lantgrauius caſtris munitis continerent, uariè eos Cęſar quotidie leuibus prælijs detinebat. Interea Farneſium clanculum miſit qui multa nocte, ſummoq; ſilentio caſtris egreſſus, Danouertũ intercepit. Eo poſtea peruenit & Cæſar cũ integris copijs, eo cõſilio, ut Danubio potitus, infeſtiora omnia hoſtibus redderet, ita mox & Tilingua potitur, & Haiſtadio, Langinga, & Gudelinga. Lantgrauius ad Giengam caſtra quoq; mouit, loco munito, ut Cęſarẽ ab Vlma occupanda reuocaret. Et iam ita uidebatur conſtituta belli ratio, ut caſtris ſubinde cõmutandis

alter

alter alteri inſidiandi commodiores occaſiones captaret. Cùm fierent quotidie leuia prælia, Philippus Lanoius cùm delecta equitum manu procurrens, eliciens'que Germanos ad pugnam, cùm à Cæſarianis prius in uicino nemore poſitæ eſſent inſidiæ, multis cæſis, in caſtra redijt: Parabat & nocte intempeſta caſtra inuadere tunica ima armatum uelans militem. Sed cùm duplicatas appareret hoſti uigilias, paratos'que eos ad uim excipiendam, irritus fuit conatus. Vexabantur tamen illi quotidianis decurſionibus equitum, impetus'que ſæpe facto in pabulatores, ut iam tæderet eos belli ſuſcepti, quod uix dum affectum, confectum ſibi prius perſuaſerant. Omnino'que cùm Cæſaris callidi imprimis & acris, unius regeretur conſilio exercitus, omnibus inſtructior erat ille rebus & apparatior quàm Saxonis & Lantgrauij, quibus & à ciuitatibus ægrè ſuppeditabatur pecunia: in caſtris tamen Cæſaris magna, ob prædam auerſam, ſeditio inter Hiſpanos & Italos facta eſt. Ea ſeditione & concitatione nunciata, cùm ei obuiam ire pararent centuriones & alij proceres, fremitu & clamore pulſi. Vni Albano apertæ aures. Namque is patria lingua eloquens, & in militibus mulcendis ſuauis, & ornatus habitus eſt, authoritate uerò multum apud ſuos ualebat. Is ubi eas controuerſias, unde irarum exiſtebat ardor, minimè uidet ſedari & reſtingui, atque è conuitijs ad manus irritatos tranſire milites, uincula inijci iubet authoribus ſeditionis. Eo acrius frendere miles. Soluti'sque uinculis extrema uis parabatur. Tum demum Cæſar proruens, nobiliſsimum quemque, & militari decore illuſtrem, ad reſtinguendam ſeditionem hortatus eſt, obteſtatus etiam Deum, cuius nomine & patrocinio induiſſet arma, Lantgrauij potius copijs eam concitationem, hunc ardorem inijceret: ita ſopita tandem ſeditio. Cæſar poſtea ad priora illa ſua caſtra ad Langinguam peruenit: neque acerbiſsima hyeme & copioſiſsimis imbribus, madido militi reſpirandi ocium tribuit. Et ſanè iam Lantgrauius præmiſerat exploratores, qui ſitu caſtrorum animaduerſo, renuntiarant futurum, ut loci iniquitate ille conflictaretur: atque idem & Cæſar Albani monitu præuidens caſtra iam commodiore loco proximo mouerat. Ex eo tempore infeſta omnia Saxoni & Lantgrauio uiſa ſunt, illi'que ſoliciti uiſi. Solicitos autem eos habuit, cogitatio cùm officij tum periculi. Si diſſoluerent hunc exercitum, uerebantur ne deeſſent fœderatis: ne tot urbes opulentas fidem eorum ſecutas, Cæſari prodidiſſe uiderentur. Si manerent ijſdem in caſtris, periculo proprio commouebantur. Namque & Ferdinandus Cæſaris frater, & Mauricius Saxo iam multas urbes Federici occuparāt. Idem periculum mox Lantgrauium ſtimulabat. Cùm enim cætera quæ prudenter principio huius belli Cæſar conſtituiſſet, conſtituta optimè uidebātur,

tum

cum illud uaferrimè, quòd Mauricio ſpe prædæ inuitato, Federici ei oppida ſi quæ bello occuparet, fruenda iure quo optimo maximo permitteret, iniecta etiam ſpe dignitatis prærogatiuæq́ conſequendæ, Cæſaris deſignandi. Ita iam occupatis à Mauricio multis oppidis, uidebantur illi ita conturbati, ut non explicarent quid eſſet optimum. Rationibus ſubductis, ſummam fecere cogitationum: tentandum per literas æquis ne conditionibus pateretur eos Cæſar ab armis diſcedere: id ſi impetrari nō poſsit, æquum eſſe cùm tunica pallio propior ſit, ad ſua quemq́ tuenda redire. Scribuntur itaq́ literæ ad Ioannem Brandemburgenſem, qui & gratia & authoritate apud Cæſarem ualebat, & magnis utriuſque beneficijs ornatus, memor & gratus futurus uidebatur: ſunt autem hæ literæ. FEDERICVS SAXONIÆ DVX, ET PHILIPPVS LANTGRAVIVS HESSVS, FOEDERATIQVE GERMANIÆ PROCERES, IOANNI BRANDEMBVRGENSI S. D. Cùm & nobis conſcij eſſemus quanti te faceremus, & tuam erga nos beneuolentiam experti eſſemus, non dubitauimus à te petere quòd nobis petendum eſſet. Deos hominesq́ teſtamur, arma nos ſumpſiſſe neceſſaria ex cauſa, cùm nullo noſtro meritò proſcripti ſimus. Cæſaris uel oppugnandi, uel contemnendi nulla unquam nos inceſſit cupido. Hunc itaq́ ſi præſtas nobis paulò æquiorem, à nobis Germaniaq́ tota, non leuem es initurus gratiam. Et res eum & dies, & opinio hominum, & ſua etiam natura, ut audimus quotidie leniorem facit. Eoq́ adducti ſumus, ut deflagrare iras eius, purgari poſſe ſuſpiciones, non deſperaremus. Vidimus ſæpè ferociſſimos hoſtes poſitis armis fœdus pepigiſſe. Vidimus priuatas multorum ſimultates, obliteratas. Vidimus qui latus peteret, mox affinitate deuinctos. Neq́ exempla contentionum, neque euentus acerbi, quibus ſeſe fœderati alijs poſtea iugulandos ſubigendoſque præbent, Cæſari tali ingenio prædito, commemorandi. Neque communis Germaniæ calamitas diutius deploranda, Neque uetera patrum noſtrorum cùm Auſtriacis fœdera, Neque ſuperioribus annis pro Cæſare noſtræ grauiſsimæ contentiones. Habemus potius communis utilitatis rationem, quàm doloris noſtri. Ardemus perpetuò incredibiliq́ amore Germanici decoris tuendi. Hic nos amor, & ſubuenire olim impendentibus periculis grauiſsimis, cum dimicatione capitis, et hoc maximè tempore, cùm omnia tela undique eſſe intenta in Germaniam cerneremus, ſubire hortatus eſt, atque excipere ſolos pro uniuerſis. Idem nos in patriam priſtinus animus cum Cæſare reducit in gratiam. Hic monet, ſubmota dignitatis ratione, ut & ferre conditiones æquas parati ſimus, quibus hæ ſopiantur controuerſiæ, & ultrò dextras porrigamus Cæſari. At enim audimus, pergrauiter illum eſſe offenſum:

fenſum:

ſenſum: uoluntatem illius obſtinationem, & in hac iracundia aſ- "
firmationem. Sed enim proh Deûm atque hominum fidem, per- "
que fortunam Germaniæ; quis tam expers humanitatis? Quis "
Germanici decoris uſque adeò eſt hoſtis, ut iſta aut ferre poſsit, "
aut non dolere? Si ipſi per nos cauſam dicere, cur nos ille proſcri "
pſiſſet, poſſemus; taciti euentuum fortunam expectaremus. At ſu- "
mus proſcripti; & hi; quibus publicè ſicut cæteris Germanicis "
proceribus; cum Cæſaribus uetuſtiſsimum eſt fœdus; & hi quo- "
rum nomine proximis comitijs, amicitia nuper Gallico bello re- "
nouata eſt. At merito noſtro ruptis à nobis fœderibus, poſtea "
proſcripti ſumus, cùm malè de religione ſentiamus? Cùm imperij "
oppida aliquot uindicemus? Velet ille ſuos affectus religionis a- "
more. Huius damnatæ ab eo ipſius cultores eramus religionis, "
tum cùm fœderati ſocij, amici uocabamur. An ille expectat rui- "
nam noſtram, dum exhauſti opibus, bellum affectum Turcæ ho "
ſti ferociſsimo tradamus? Cui ex noſtra contentione magis quàm "
ex ſuis uiribus creuit audacia. In hunc hoſtem debellandum ſi "
accingi uult Cæſar, ultrò milites, pecunias, arma, equos, copias "
has omnes lectiſsimas, noſtris ſtipendijs militaturas, Cæſari offe "
rimus. Hæc te æquum eſt Cæſari ſuadere, ut omiſsis his bellis, "
quæ parum habent emolumenti, & decoris, optatiſsima pace Ger "
maniæ reddita, in hac toto animo, & cunctis opibus incumbat: ad "
quæ officium eum Cæſaris uocat, religio hortatur, quæ in ſum- "
mum diſcrimen ſæpius adducta eſt. In hunc hoſtem ita ille anima- "
tus eſſe debet, ſic tota mente incumbere ad hoc bellum, ut non ſa- "
tis habeat Turcas Hungariæ Germaniæque finibus repellere, ſed "
conſtanter uſque in intimas Aſiæ partes perſequi: ut Bizantijs in "
libertatem aſſertis, Aſiæq; & Ægypti opibus potitus, in ſacra il- "
la urbe, teſte ipſa noſtræ ſalutis, præcipuoq; noſtræ religionis ſa- "
crario, uictor Deum adoret, & debitis ſacrificijs pro tanta uicto- "
ria ueneretur. Sed nimis hæc multa præſertim ad te, à quo uno "
omnium optimè hæc cognoſcuntur. Extremum illud eſt, ut patri- "
am ad te allegemus, quã nec nobis ulla unquam res in uita eſſe de- "
bet charior, neque ipſi Cæſari. Hæc quæ tecum nobis commu- "
nis eſt, tecum agit de pace communi, de concilianda nobis Cæſa "
ris gratia. Quamobrem tibi ſic perſuadeto: Si per te nobis Cæ- "
ſar conciliatus ſit, nos ſic exiſtimaturos, cùm autoritate tua, tum be "
neuolentia erga nos nobis, quod maximè cupierimus, contigiſſe. "
Brandenburgenſis acceptis his literis, ut erant obſignatæ, mox ta
bellarium ipſum cum ipſo literarum faſciculo perduxit ad Cæſarẽ:
ne quid fortè hæreret apud eum ſuſpicionis. Lectas ei reddidit
Cæſar, atque is orabat Cæſarem tandem aliquando cùm illi reſi-
piſcerent, latas æquas conditiones ne aſpernaretur, daret ſe ad
lenitatem, uel propter ueterem humanitatem, uel ſuis id condo-

nans

nans precibus. Id ſi diſpliceret, iuberet quid uellet Federico, Lantgrauio'que à ſe ſcribi. Fertur Cæſar omne tempus eius diei in acerrima & attentiſsima cogitatione poſuiſſe. Diu cùm fluctuaret huc & illuc, tandem uocato Brandemburgenſi, iubet præſcribat ad Saxonem & Lantgrauium, hanc unam ſupereſſe conditionem quæ eis à Cæſare feratur, ut ſe ſua'que omnia arbitrio miſericordiæ'que Cæſaris tribuant. Id ſi fecerint, animaduerſurum eum quid æquum ſit eis condonari. Hæc illi cùm intellexiſſent, fruſtráque rurſus colloquio locum petijſſent, eadem ſemper Cęſare proponente, ad alias cogitationes traducti ſunt. Fuere qui putaret Cęſarem ſuæ dignitati potius conſulturum ſi ad hęc haud iniqua poſtulata reſpexiſſet. Alij rectius conſuluiſſe ſibi illum, qui armis uoluerit Germanos coercere. Impolitæ enim res & acerbæ ſi eſſent relictæ (quales erant eo tempore) tamen futurum ut efferrent ſe aliquando, & ad renouandum bellum reuireſcerent. Sed ut ex euentu prudenter id ille uiſus eſt conſuluiſſe, ita ſi quid incurriſſet quod prope iam explicatam Germanici belli rationem perturbaſſet atq; impedijſſet, prudentius fuiſſet Brandemburgenſis conſilium. Paulò antea uenerat miſſus ab his urbibus Germaniæ liberis, quæ Cæſarianæ uocantur, legatus I. Sturmius ad Franciſcum Regem. Is narrabat gentem Gallicam magna ſemper neceſsitudine cùm Germanica coniunctam fuiſſe, ut aui quidem utriuſque gentis & proaui utramque ferè pro una eadem'que gente habuerint. Eam ueterem amicitiam, etſi nullis tabulis obſignatam, in gentis utriuſque pectoribus impreſſam, longa temporum ſerie egiſſe radices altius, quàm ut labefactari hactenus potuerit. Cæſarem horrificum quoddam & nefarium, omni imbutum odio, bellum intuliſſe Germaniæ: eam de libertate retinenda ſolicitam, pro ueteri amicitia petere à Rege, ſuſcipiat cauſam fœderatorum. Nam Cæſaris quidem tantam eſſe inſolentiam & faſtum, non modò ut uocem, ſed ne uultum quidem liberum poſsit ferre cuiuſquam. Quòd ſi Rex ſatis ſuper'que eſſe ſibi ſuarum curarum exiſtimet, alienis implicari nolit, ſaltem ducentis millibus nummûm aureorum mutuò datis, fiduciaria uenditione accipiat oppida. Ita futurum ut amicorum iacentium animum excitaret, induceretq; in ſpem cogitationem'que meliorem. Non deeſſe, ne nunc quidem Cæſari animum ad opprimendam Galliam: at quia uires immaturas uideat, eam interponere moram ut ſubacta Germania, eius uiribus ea tutius moliatur. In mentem ipſe ea reuocaret, quæ olim ad Germanos ſcripſiſſet, dilapſurum quantumcunque formidabilem hoſtem, ſi tantum auditu perceperit Gallos atque Germanos, quæ gens aliquando eadem fuerit, nunc repetita memoria prioris ætatis, iterum ueluti in unam ſtirpem coaluiſſe, uires communis ſalutis cauſa contuliſſe. Vt antea diſsi-

mulauit Cæſar ſe hoſtem eſſe Germanis, ita poſtea diſsimulatu- "
rum eſſe Francis hoſtem, donec oblata occaſione imparatos op- "
primere poſsit. Non illi ſolum in animo eſſe Germanos, at om- "
nem etiam Franciam in ſeruitutem redigere. Itaque Regi homi- "
nem indies creſcentem non negligendum, neque alios interea "
perire, & euerti uidere, iucundum id ſpectaculum tanto Regi fu- "
turum. At Rex & pacis nuper cum Cæſare confirmatæ ratio-
nes, & ueterem affinitatem, & fiſci inopiam cauſatus, ueniam pe-
tijt ſi fœderatis hoc tempore non ſubueniret. Ad XI. Calend. De-
cembr. Federicus & Lantgrauius caſtra mouere, ac pridie eius di-
ei ſumma nocte machinis prius eductis, ipſi ſequebantur, ſequen-
te Albano qui extremum agmen carperet. Vrgente etiam Cæſa-
re coniunguntur Germani. Albanus collem pugnæ aptiſsimum,
deſertum ab illis occupabat. Occupant illi uicinum alium col-
lem, muniuntque machinis: quibus fiebat ut tuti eſſent ab equitibus
Cæſarianis undique procurrentibus. Venit & poſtea cum to-
tis copijs nocte intempeſta Cæſar in collem occupatum ab Alba-
no. At Lantgrauius & Saxo pugnæ ſpe iniecta, accenſis ignibus
nocte ea longum iter emenſi, Prentio tranſmiſſo, ad Haydenam
peruenere fruſtrato Cæſare. Quo factum ut ille in uetera caſtra re-
dierit. Ac ueritus ne illi in Franconiam peruenirent, Boffingam
contendit. Boffingani mox & Otingenſes, & Norlingenſes pace
impetrata deditionem faciunt, eorumque exemplum ſecuti Din-
celpulenſes, & Rotemburgenſes. Tam præcipitato Cæſaris ad-
uentu commoti Saxo & Lantgrauius, diſſolutis copijs ad ſua tu-
enda rediere. Halam quoque ciuitatem inter Sueuos opulen-
tam mox recipit Cæſar. Ibi narrant Federicum Palatinum ueniſſe
ad Cæſarem, ueniam petijſſe à Cæſare quod fœderatis equitum
auxilia miſiſſet: flebilibus'que lachrymis cum culpam ſuam ſup-
plex deprecatus eſſet, ueniam impetraſſe. Vlmenſes quoque in fi-
dem recepti. Dux quoque Virtembergenſis cum Cæſar ei immi-
neret, maluit durioribus conditionibus pacem accipere, quàm an-
cipiti bellorum aleæ ſe committere. Huic imperata ducenta num-
mûm aureorum millia, ademptæ arces tres munitiſsimæ, Aſper-
gus, Scorendorfia, Circembergus, & annonæ refertæ, & machinis
inſtructiſsimę. Interea Francofordienſes per Buranum ſolicitati iu-
gum accepere. Auguſtani quoque cum fruſtra petijſſent ſalua eſſe
omnia, tandem arbitrio illius in deditionem ſunt redacti. Idem ac-
cidit Argentoratenſibus. Iam Saxo pleraque oppida à Mauricio
& Ferdinando occupata receperat: miſſum etiam à Cęſare Alber-
tum Brandemburgenſem, qui ad Roclizam ſedebat, interceperat,
ualle'que Ioachima opulenta potitus erat, Bohemos'que in Fer-
dinandum concitarat. Erat ita cōſtitutum, ut Mauricius & Ferdi-
nandus ad Aegram, ciuitatem Bohemiæ, conuenirent cum Cæ-
ſare:

ſare: ibi conſilia belli exequerentur. Eſt omnino Bohemia Germaniæ limitibus incluſa: ſylua Hercinia tanquam obducto muro undique cingitur. Albi fluuio media irrigatur, & Multauia: ad huius ripam ſita Praga urbs Regia, quæ malè eo tempore in Ferdinandum animata fuit. Coniunctis copijs in Saxoniam primo uere miſſus eſt Albanus. Erat & in armis Saxo, diſpoſitisq́ undique præſidijs ſibi non deerat. Ipſis Saxonibus inſitum à natura armorum ſtudium, paratiſsimi ad bellica pericula adeunda. Ager uini minimè capax. Hordeum triticum' que ſerunt, unde potionem, cui Ceruiſiæ nomen indidere, uulgò conficiunt: ita fit ut uino oblato immoderatè utantur. Contendit Cæſar cum robore copiarum ad Miſniam, uolebatq́ copijs in ulteriorem ripam traductis, pugnandi copiam illi facere. Sed mouetur cùm uidet Saxonem Vitembergam adire. Ac cognoſcens ab eius loci peritis, flumen uado tranſiri poſſe, nihil commotus periculo eo, quod imminebat ab hoſte alteram ripam obſidente, ſumma celeritate conſtituit hoſtem intercipere. Id quo maturius fieret, imperat ut circa uicina dumeta & arbuſculas mille è ſuis collocarentur, qui glandibus plumbeis emiſsis hoſtes terrerent: ita futurum ut reliquis facilius occaſio daretur in citeriore ripa occupanda. Summa difficultate traducuntur Cæſariani, hoſtesq́ à ripa ſubmouentur. Saxo anxius ſuorum fuga, Vitembergam aut Torgam celeri curſu petebat. Hunc ſequuntur equites Cæſariani, extremum agmen uariè carpentes. Saxo iam Cæſarem cum robore equitatus in ſe ferri uidens, Torga omiſſa, uel quòd huic diffideret, uel quòd proximis ſyluis occupatis, tutiorem ſibi ad Vitembergam receptum putabat, ſeſe proripiebat: emiſsis etiam leuibus machinis, quæ Cæſarianis aliquid de celeritate detraherent. Illi in Saxonem inuecti, diſsipant funduntq́ illius copias. Saxo ipſe uulnere accepto capitur, nec ſylua tutus, undique procurrēte Hungaro equite, nec ſatis paratus ad tantas Cæſaris copias excipiendas. Cæſar poſt aliquot dies Vitembergam, & multa Saxonis oppida recepit. Lantgrauius quoque tandem arbitrio ſe Cęſaris committens, ſupplex ueniam petijt, & quibus illi uiſum eſt conditionibus depactus eſt. Deinde Comitijs Auguſtanis, aliquot capita propoſita ſunt iubente Cæſare, quibus oſtendebatur, quo pacto in negocio religionis, donec ea certa atque definita eſſent Concilio, uiuendum eſſet. Hęc conſentire aiebant Cæſariani cum ueteribus ritibus, prętet capita aliquot quę rata manebant donec aliud ſtatutum eſſet. Id temporibus temperandisq́ rebus alijs Cæſar datum aiebat: ex Pariſienſi eòque ſacro & pio cœtu eorum, apud quos de diuinis rebus agitantur quæſtiones, non defuere qui palàm ſcriberent, quòd nondum cœtus cenſuiſſet, nec Pontifex Romanus iuſsiſſet id præiudicaſſe, & ad arbitrium ſuum Cæſarem

M 2 temerè

temerè reuocaſſet: tametſi Franciſci Sfrondati purpurati pontificij, Federici Nauſeæ Pontificis Viennenſis pij hominis, & à factione Germanorum imprimis abhorrentis conſilio, ea Cæſar ſtatuiſſe ſeſe iactaret. Poſtquam uictoria conſtituta eſt, ab armisq; eſſet diſceſſum, conuentionibus acceptis à Federico & Lantgrauio, mirabantur Germani tam arcta cuſtodia diuturno tempore utroſque aſſeruari: Nec à Cæſare iuſtam debitam'que gratiam referri Saxonicæ familiæ querebantur. Albertus & Ioannes, cùm Maximilianus in cuſtodia pari Brugis detineretur, eius liberandi conſilia ea iniere, ut neceſſe fuerit Flandris eum liberare. Ex eadem familia prodiere qui Friſios Cæſari non parentes edomuere. Mathiam Pannoniæ Regem fortiſsimum, Federico bellum inferentem, coercuere. Federicus huius Federici patruus, ſi uera ſunt quæ ab Eraſmo Roterodamo prodita ſunt, cùm renunciatione omnium ſuffragiorum Maximiliano defuncto, Cæſar certus deſignaretur, ipſe maluit in Auſtriacam familiam transferre ſuffragia, deſignato hoc ipſo Carolo Cæſare. Saxonum familiam quis non admiretur ita ruentem? Longitudo Saxonici imperij paulo antea fuerat à Francis Germanis, uſque ad Saxones imperio eorum parentes, ultra centum quinquaginta millia paſſuum: latitudo ab Albi uſque ad Fontes Viſurgis, cui loco Verræ quoque nomen dedere. Lantgrauius, ut erat magno animo, ſæpe ſe ſuos'que diris deuouit, qui ad Cæſarem tranſeundi authores fuere: parum'que abfuit quin cuſtodibus oppreſsis euolaret è cuſtodia, ita arctè obſeruatus, ut uel uigilantem, uel dormitantem obſeruarent recentes cuſtodes omnibus horis. Eamus nunc, & aut dicamus beatos, quibus corpus benè conſtitutum ſit, aut qui diuitijs, aut qui honoribus affluant, aut qui ipſi, aut quorũ aui proauiq;, Cæſares obſeruare ſoliti ſunt: unica contentione effluunt congeſta tam multorum annorum merita. Relatum eſt paulo antè hoc bellum Germanicum, quod geſsit Cæſar aduerſus Saxonem & fœderatos, natum eſſe infantem in pago quodam Francorum, cui exempto ex aluo matris, culter iacuit in uentre, eminente cuſpidè extra uentrem, qui & paulatim extractus ſit. Id accidiſſe aiunt ad ſignificandas mutuas cædes ciuium, qui uelut in uiſcera ſua ferrum poſtea ſtrinxerunt. Paulo pòſt aiunt in Heluetijs conſpectos duos Leones in aere inter ſeſe certantes, quorum alter alteri caput mordicus auulſerit. Eſſe & multorum annorum hiſtoriam, in uiſione Steuicenſi, de his ipſis bellis Saxonicis, ubi poſtrema ſpecies ſit Camelus bibens ex flumine. qua ſpecie ſignificari Turcorum aduentus ad Danubium, aut Rhenum uideatur. Viſa & mulier uenenum ſputis eijciens. Prodidit autem Chryſyppus eadem in corpore uitia fieri, & à mali ueneni hauſtu, & corruptela quæ è corpore prodire poteſt: atque ex intemperie febres

bres ut oriuntur, ita ex putredine longius progreſſa, uenenum in nobis gigni poſſe. Nec deſunt qui prodiderint religionis nomine, hoc in bello Germanico tegere & uelare ſolitum Cæſarem eam cupiditatem, qua Germaniam omnem familiæ ſuæ adiungere uolebat. Nam Germanis, quos habebat plures in caſtris, diſsidentes à piorum moribus, & Germanica lingua hymnos decantare, & concionatorem audire, & alia facere permittebat, quæ abhorrebant ab eccleſiaſtico dogmate. Neque urbibus deditionem pollicentibus id præſcribebat, ut piorum dogmata reciperent. Vlmenſibus quoque, Auguſtanis, Straburgenſibus nominatim permiſſum, hiſce in rebus quæ ad religionem pertinerent, nihil ipſe innouaret. Ea quoque dogmata, quæ poſtea ſancita ſunt, partim ex ritibus piorum, partim ex nouis dogmatibus, diſtrahendorum magis Germanorum gratia prodita uoluere, talemque depingũt Cæſarem, qualis is ſit, apud quem authoritas honeſtatis, utilitatis ſpecie ſit interdum ſuperata. Id hoc bello indicaſſe eum uolunt ex Philippi Lantgrauij deditione: leges deditionis ita callidè præſcriptæ ſunt, ut unius literæ apice ſuppoſito, ille deceptus: Conuenerat autem obſequio exhibito Cæſari, ille ſine cuſtodia liber emitteretur: pactioni ſubſcripturus erat Lantgrauius. At dum obſequium ille exhibet Cæſari, ueniamque deprecatur, tabulæ fœderis, Germanicæ dictioni dempto apice unico, immutatæ ſunt: quibus ille poſtea ſubcripſit bona fide ſecum actum exiſtimans. Mox uerò cuſtodia ſe uidens ſeptum, & uiolari quiritans leges fœderis, perpetuam t[illegible] n[illegible]um cuſtodiam ademptam ſibi intelligit. Proferuntur tabulæ ſubſcriptæ: uerbumque unum Germanicum in aliud tranſiiſſe uidet: pactiones perturbaſſe calliditate & periurio Cæſarianos clamitans, quin & aduerſus fœderis leges poſtea in Machliniam abductus. At Cæſariani Lantgrauium negabant ex perduellium eſſe numero. Hoſtem uero fuiſſe communem omnium, qui ſacra, qui prophana diriperet: cum neque fidem debere, nec iuſiurandnm eſſe commune: Prætexi ab his nugas, & ſine teſte uaniſsimè ea confingi. Quòd ſi olim á Germanis parum abfuerit, quin Iulius Cæſar falleretur, ſi ſimplicitatis ſpecie Cæſares alios fefellerint, ſi ſe ipſi domeſticis ſeditionibus aſsiduè lacerant, non eſſe mirandum, ſi rationibus ſubductis fidem ipſe illis non haberet. Veriſsime à Velleio Paterculo de his ſcriptum, in ſumma feritate uerſutiſsimos, natumque mendacio genus eſſe: ita non ueriti ſunt illi patriæ obtrectare, in qua multos floruiſſe tum acumine ingenij, tum admirabili ſcientia rei militaris uidemus. Principio belli huius Germanici ad Vicum Aquitanicum Peſenaſum, à parturiente fœmina ſerpens emiſſus. Id olim accidiſſe prodidit C. Plinius: contigerit ne autem maiore quadam poteſtate, an ex uteri uitijs, & ea quam molam

uocant malè compacta, unde & monſtra oriri prodidit Democritus, otioſorum diſputationibus relinquendum. Sed & ex cruditate ſtomachi aliisque ex cauſis, in uentriculo hominis generari poſſe animal angui non diſsimile, Eraſiſtratus prodidit: quod & eodem tempore uidit Aquitania. In Gallia interea ſumma erat tranquillitas pacis & otii. Rex Henricus plenus pietatis, religiones publicas, & maiorum ſacra inſtituta ſanctè tuebatur, bellicas curas aliis temporibus reſeruās: auſpiciaq; regni eius plena modeſtię, humanitatis, clementiæ, ſpem omnibus magnam afferebant ſummæ ſolertiæ, ſummæq; induſtriæ: eiusq; Regis, qui & retundere poſſet callida hoſtium conſilia, & eos qui laudem honoremq; Franciscæ familiæ depeculati ſibi uidebantur, ulciſci. Dii faxint, uelim, ſedatis ut omnium principum Chriſtianorum controuerſiis, incumbant illi in eam tandem cauſam, qua diuini nominis hoſtes contundant, reſperſasq; manus ſanguine eorum ipſi prædicare poſsimus aut placatos omnes beneuolētia coaluiſſe in eandem religionem Chriſtianam: quam palmam utinam DEVS OPTIMVS MAXIMVS HENRICO REGI reſeruet, eumq; ipſi uideamus in auguſtiſsimam illam Solimorum urbem cum inſigni illi laurea inuehi. Quod ab eo quidem, quem ornatiſsimum agnoſcimus, Regemque talem qualis & moderatiſsimus & fortuna optima eſſe debet, expectare iure optimo & poſſumus & debemus.

HISTORIAE ARNOLDI FERRONI
de geſtis Regum Gallicorum.

FINIS.

PARALIPOMENA GALLICANÆ HISTORIÆ AD PAVLVM AEMYLIVM ET FERRONVM, ADIECTA.

QVIBVS Trium regum poſteriorum, Henrici II. Franciſci II. & Caroli IX. res geſtæ continentur, quæ intra 20. proximos annos, ab anno XLVII. ad hunc LXIX. acciderunt:

Per

IOANNEM THOMAM FREIGIVM.

PARALIPOMENA GALLICANÆ HISTORIAE, AD PAVLVM AEMYLIVM ET FERRONVM, PER IOANNEM THOmam Freigium adiecta:

HENRICVS II. VALESIVS. LVIII REX FRANCIAE.

FRANCISCO primo, filius Henricus duodetriginta annorum iuuenis, excelſo animo & bello natus, anno à partu uirginis XLVII. ſupra ſeſquimilleſimum, in regno ſucceſsit: ſtatimq́; Annam Momorantium, cui plurimum cõfidebat, ceu poſtliminio reuocatum, priſtinæ reſtituit dignitati, quæ paulo minus ſexennio ante ei fuerat adempta. Nam à Frãciſco patre, anno 1537. ſingulari fauore ad ſecundam ab rege dignitatem Magiſtri equitum aſſumptus, triennio poſt, anno ſ. 1541. faſtidio quodam animi, in Centeliam uillam fuerat relegatus. Hoc igitur reſtituto, Hẽricus palatina deinceps officia, miniſteriaq́; ab imo ad ſummum immutauit. Patri duobusq́; fratribus, quorum alter biennio, alter plus decennio ante obierat, ſimul iuſta fecit menſe Maio: patrem uerò ad phanum Dionyſij maiorum ſuorum ſepulchro intulit. Profectus deinde Lutetia ad Rhemorum urbem, ibi 8. Cal. Sextil. ab illius ciuitatis antiſtite ueterrimo Gallorum ritu, diadema (quo olim Carolum Magnum uſum ferunt) ſolennibus ceremonijs impoſitum accepit: duodecim regni proceribus aſsiſtentibus, ſex eccleſiaſticis, & totidem ciuilibus. Sed quoniam iampridem illarum ciuilium dignitatum quinque ad ſupremum ius regium translatæ: ſexta autem Flandrenſis, dominatu regio recentiſsimè liberata erat: eas nihilominus repræſentabant, tum quidem rex Nauarræus, Vendomius, Guiſianus, Ambarrus, Mompenſerius & Daumalæus. Nouembri ſecuto, Regi altera filia, Claudia nomine, ad Abelleium fontem naſcitur. iam enim duobus liberis Franciſco & Iſabella ſuſceptis, patri in regno ſucceſſerat.



Anno inſecuto, qui fuit quadrageſimus octauus, circa menſem Sextilem per Aquitaniam uniuerſam, in Santonibus & Garumnæ finitimis populis, maximè uerò apud Burdegalam eius gentis caput, ſeditio ob nouum ſalis portorium enata eſt. In qua Triſtanus Monengius, pro abſente rege Nauarræo eius prouinciæ uicarius, crudeliſsimè eſt interfectus. Quo caſu Rex perculſus, Magiſtrũ equitum & Daumalæum Regulum cum exercitu ad reſtinguendum tumultum mittit. Qui citò Burdegala potiti, in autores ſeditionis animaduertunt: armamentarium publicum nudant: ciues arma deponere cogunt: campanas è turribus templorum tollunt: priuilegia igni inijciunt: leges uetuſtæ immunitatis abrogant: immenſa pecunia populum mulctant: uniuerſamq́; multitudinem eò adigunt, ut nullius inſtrumenti alterius beneficio, ſed ſolis unguibus terra à tumulo regeſta, Monengij cadauer effodiãt: quod pompa ſumptuq́; funebri poſtea rurſus honorificè buſto illatum eſt. Rebus eo modo Burdegalæ ac in omni Aquitania compoſitis & præſidijs in ea relictis Nouembri reliquis militibus miſsio data eſt. Circa eadẽ ferè tempora, rex Henricus ut de Scotia ſecurus eſſet, puellam Reginam, Delphino filio deſponſam, ex hæreditario regno ad ſe nauibus tranſuehendam curauit.

Anno 49. tertio Februarij Regina Aloiſium Ioannem peperit: qui Aurelianorum dux deſignatus, nondum trimus uitam cum morte commutauit. Secuto Iunio Catharina ex illuſtri Medicum familia ad fanum Dionyſij ritu Gallicano & ſolennibus ceremonijs coronata inaugurataq́; eſt. Quæ resurioſis ingenijs, omnium rerum initia & ſemina ſolicitè ſcrutantibus, maximam admirationem præbuit. Stupeſcebãt enim

cogitando Medicum familiam à priuata fortuna, derepentè in eam publicam celſitudinẽ progreſſam eſſe. Ex ea ortos duos. Pont. Rom. Leonem X. & Clementẽ 7. Penes eam eſſe Etruriæ dominatũ. Deniq; hanc ipſam Catharinã ad ſuprema Gallicani regni faſtigia eſſe euectã. Nec multo pòſt Rex Lutetiã triumphali planeq; regia põpa ingreſſus, honorificentiſsimeq; à Pariſienſi populo eſt exceptus: quẽ biduo poſt regina eodẽ eſt conſecuta. Vbi nulla opum aut luxus oſtentatio omiſſa eſt. Eodẽ tẽpore, quo gaudio & lætitia Pariſij perſtrepebant in Anglia ob religionis controuerſias ingens rerũ confuſio ac perturbatio erat. Quorũ diſsidiorũ occaſione Rex Henricus incitatus, pactionibus paternis reſciſsis, cõtinuò Bononiẽſem ditionẽ partim ui, partim deditione: & inter cætera Ambletulã ac Montẽ Lamberti, duas ſtationes Bononio finitimas & ab Anglis cõmunitas, recepit. Statimq; inſtructiſsimã claſſem duce Decio, in Scotiã, ut ab illa quoq; parte hoſtis urgeretur, cũ ualido exercitu quib. exercitatiſsimi uiri F. Strozza, Dandolotus & Reingrauius præfecti erãt, trãſmiſit. Hi ſimulatq; in Scotorũ caſtra peruenerũt poſt non exiguos progreſſus, inſigni prælio ad Edintonã Britannos uicerunt. Ita deturbatis ab uſurpata poſſeſsione Anglis, ſumma cum uirtute & gloria regnũ ademptũ puellæ Reginæ uendicarunt. Menſe Decembri Margarita Valeſia, Nauarræ regina, Franciſci primi ſoror, penſum uitæ abſoluit: heroina præter ſexum apprimè literata, & omni uirtutum genere ſpectata.

Anno 1550. menſe Aprili, Antonius Guidotus, patricius Florẽtinus, legatus ex Anglia partim externis bellis, partim inteſtinis ciuilibusq; motib. afflicta exagitataq;, in Franciã traijciẽs, pacẽ his conditionib. impetrauit: ut Bononiẽſem iuriſdictionẽ reſtituentib. Anglis Galli quadringenta millia aureorũ ſcutatorũ duabus penſionib. ſoluerent: Rex Henricus, Anglo adhuc puero filiarũ unã deſponderet: cõiugiumq; quã primũ ambobus ætas cõnubio habilis eſſet, ratũ fieret. His pacis conditionibus etiã Scoti cõprehenderẽtur. Ad eam cõcordiã ſtabiliendã, firmandamq; Reges ſe equeſtri dignitate honorarũt, Anglusq; ab Henrico cõchyliatũ torquem D. Michaelis imagine cõſpicuũ: Henricus ab Eduardo Anglo equeſtrẽ fibulatamq; periſcelidẽ accepit. XV. Cal. Iul. Carolus Maximilianus, Andegauenſiũ Regulus deſignatus, Regis filiorum tertius, ad Germani fanum naſcitur. Cuius ſuſceptores fuerunt Maximilianus rex Bohemiæ per uicarium, & Rex Nauarræ: ſuſceptrix uerò Renata Ferrarienſis ducis filia, Guiſiani uxor.

Menſe Nouembri Ludouicus Aurelianus, ſecundus filiorum regis apud fanum Germani moritur.

Bellum Parmenſe.

Interim Pace cum Anglis, opera legati Antonij Guidoti, ſuperiore anno confecta omnis Gallia à belli procellis commodè reſpirabat, quieſcebatq;. Cum ineunte anno, qui à partu Virginis ſupra mille & quingentos quinquageſimusprimus, ac ab inauguratione Hẽrici Regis, quintus fuerat: nouæ belli faces in Italia excitatæ, præter omnium expectationem exarſerunt. Nam antea Petrus Aloiſius Farneſius, qui Placentiam & Parmam à Paulo 3. Pont. legitimo patre, Cardinalium Purpuratorum collegio aſſentiente, in clientelã traditas acceptasq; poſsidebat: anno 45. ipſo Septembri à cõiuratis, quorũ princeps Auguſt. Landus extiterat, miſerabili cæde crudeliſsimè in arce ſua obtruncatus fuerat: Statimq; Gonzaga Mediolanenſis præfectus, Placentiã armata manu aduolans, eandem occupatam Imp. nomine aſſerere & præſidijs cõmunire cæperat. Quæ res cum uulgaribus rumuſculis in inuidiam odiumq; uerteretur: ipſeq; Octauius Farneſius, interfecti Aloiſij filius & Imp. Caroli gener, ſocerum Cæſarem non ambiguis argumẽtis in ſuſpicionem affectati imperij traheret: uerereturq; ne, quemadmodum antea patri Aloiſio Placentiam abſtulerat, eodem auſu Parmam ſibi extorqueret. Pontificis Iulij 3. qui iam ad gubernacula ſubuectus erat, opem auxiliumq; tentare, eiusq; patrocinium implorare conſtituit. A' quo cum difficultatis excuſationes afferrentur, Octauius uerò arripiendi alicunde auxilij, quo ſe tueretur, neceſsitatem ſibi impendere uideret: ſolicitãte præſertim hortanteq; fratre Horatio, ad Galli regis tutelam ſe contulit & conuertit. Id cùm grauiter Pont. & moleſto animo ferret, ac non modo præcipitis eum conſilij reum peragеret: ſed etiã anathematis ſui fulmine cõfigeret, & Cæſare adiuuante, quę ſua autoritate tueri non poſſet, armis belloq; extorquere conaretur: P A R M E N S E bellum aperiente ſeſe anno, ſubitò enatum eſt. His initijs iam efferentibus ſeſe turbis, cum Gallus ad publicã ſuæ gentis exiſtimationem & ad ſuam præſertim dignitatẽ, cuius maximè fide & patrocinio res ſtarent, pertinere exiſtimaret defendi urbem fiduciariam, in qua ſi incuria uel flagitioſis conſiliis deſereretur, Pont. Cæſarq; eſſent dominaturi, Parmã præſidiis uigiliisq; cõmuniuit. Gonzaga itaq; cùm Imp. iuſſu eòdem ex Inſubria cũ inſtructo exercitu proficiſceretur, occupatam Gallico præſidio urbẽ ipſo Iunio obſedit. Paucis quoq; interiectis diebus, Ioannes Baptiſta Pont. nepos, ut bipartitò hoſtis urgeretur, Mirandulæ mœnibus exercitum admouit, eamq; obſidione cinxit. Interim Dandolotus, uetuſtæ

familiæ

familiæ ornamentis clarus, cum à Gallo Parmã delecta cum nobilitate miſſus, liberè ſoluteꝗ incederet, à Cæſaris militib. qui in Inſubria tum agebant, in itinere eſt interceptus. Hoc initiũ cruentæ & atrocis Tragœdiæ fuit, quæ poſtea cõcuſsis reb. Italiæ, multorũ annorũ curriculo ita uiguit, ut Italia tum ſuo tum externo cruore largiter redundarit. Cæſariani cum Dandolotũ utpote hoſtẽ arma cõtra ferentẽ, gentiũ & belli iure captũ prædicarẽt, & his alijsꝗ prętextib. quæ eo in genere accidiſſent, purgare & excuſare niterẽtur: Gallus eam iniuriã grauius ad animũ admittẽs, fictæ purgationis colores nullo pacto accepturus uidebatur. Itaꝗ primo quoꝗ tẽpore apparatu bellico inſtructus, Cæſarẽ terra mariꝗ adoritur: menſeꝗ Sextili Briſſaco duce felici ſucceſſu Taurinos (quã nunc Pedemontanã regionẽ uocant) ingreſſus, aliquot oppida, atꝗ in his Cheriũ & Sandamianũ capit. Mari uerò ornatiſsimã claſſem educens, Oceanũ Germanicũ multis nauigijs infeſtat. Intenta igitur in omnes euentus Gallica claſſe, accidit, ut naues aliquot Belgicæ precioſis mercibus onuſtæ induciarum tempore in Hiſpaniã uela darent, has ſtratagemate inſigni, miraꝗ uafricie Baro Polinus uicit & ſpoliauit. Is enim quum emiſſo myoparone ſpeculatorio, Belgarũ naues mercium impoſitarũ onere ponderoſas, Subſolano uento lentius curſum tenere intelligeret, memorabili aſtutia Scotiæ reginã ſe tranſuehere ſimulauit, petereꝗ per cataſcopũ à Batauis nauicularijs cepit, ut cõgratulationis & honoris ergò, quemadmodũ ex nautica formula fieri cõſueſſet, uela cõtraherent, & tormenta uno momẽto emitterẽt. Quod cum illi nihil de inſidijs ueriti, uolentes præſtitiſſent, inermes & tormentorũ uſu deſtituti, repentè à Polino oppugnari cepti ſunt. Eo in cõflictu ex uiginti duabus nauibus, nouẽ duntaxat, reliquis omnib. captis periculo ſe eripuerunt. Præda uerò, quæ quingentorũ millium aureorũ ſcutatorũ precio æſtimata fuit, Rotomagũ Veromanduorũ urbem magna cum mercatorũ Belgarum iniuria ac iactura tranſuecta eſt. Interim dum hæc à Gallis gerũtur, dies Concilij Tridentini exierat: Huic Pontificis iuſſu Creſcentius ex numero Purpuratorũ præſidebat. Et iam ad illud celebrandũ Pontificij omnes, præcipuè uerò tres Germaniæ Electores Archiepiſcopi, Imperatorisꝗ & Regis Ferdinandi legati, Oratoresꝗ cõuolarant. Sed Gallus Pontificis fulmine conſciſſus & edictis decretisꝗ laceſsitus, per ſuos legatos conciliũ Tridentinũ refutare, ac in unius tantũ Pontificis gratiã coactũ: ideoꝗ nec legitimã Synodũ, ſed factioſam potius coitionẽ, ſtabiliendæ illius potentiæ cauſa initã, dicere. Quæ etſi aurib. Pontificijs parũ grata acciderent, egregiè tamẽ diſsimulato ſtomacho cõtempta, nec publicis eius cõcilij actis inſerta aut aſcripta ſunt. Paulo pòſt circa menſem Septemb. Regina Alexandrũ Eduardũ enixa eſt, isꝗ in locum Caroli Maximiliani fratris (qui in Aureliani mortui dignitatẽ pariter ſucceſſerat) Andegauenſiũ Regulus deſignatus eſt. Eodẽ propè tẽpore cum claſsis Turcica Melitã fruſtra tẽtaſſet, cõuerſis uelis in Africã deflexit, ac illic Tripolim obſeſſam expugnauit. Cuius urbis iacturã Imperator Gallo tanꝗ non dubio damni autori acceptã ferre uidebatur. Interea cum res bellica Italia caleret, Gallus Lutetiæ quæ Pariſiorũ caput eſt, publico edicto cauet, ne flagrante inter ſe & Pontificẽ bello, Romã, in ipſamꝗ Italiã quicquã auri aut argenti exportaretur. Et iam Cæſar quoꝗ editis libellis cauſam originemꝗ Parmenſis belli publicare, cur Placentiã ſui fidei & patrocinio debitã defenderet, oſtendere: Octauij facta & perfidiã deteſtari. Galli cõtra Octauij ducis pericula exaggerare, cauſam qua rex inductus eum auxilijs ſubleuaret, prædicare: Imperatorem tanquã iniuſta & immodica cupiditate Placentiæ inhiantẽ, in odium uocatũ traducere. Sed Pontifex qui harum turbarũ autor & architectus fuiſſet, cum Parmæ & Mirandulæ capiendæ ſpe fruſtraretur, ſequenti Aprili certis conditionib. cum Gallo tranſegit, deſerto ſocio Cæſare, & concitato exitiabili bello, quo cum alij multi egregij uiri, tum eius quoꝗ nepos apud Mirandulã concidit. Gallis igitur & Cæſarianis, terra mariꝗ acriter rẽ gerentib. accidit anno 1552. ut Mauricius Saxoniæ Regulus, in Imperatorẽ, quòd is in liberãdo ſocero ſuo Cattorũ regulo morã facere ac rem longius differre uideretur, grauiter indignari, de perfidia eius cõqueri, bellũ apertè minari, ac iam parare etiã inciperet: Ad cuius belli ſocietatẽ ille Ioannẽ Albertũ Megalburgenſem, captiui Cattorũ reguli familiã, Albertũ Brandeburgicũ & Henricũ 2. Gallorũ regẽ (qui ſe in eo cepto uindicẽ Germanicæ libertatis publicis ſcriptis proclamabat) fœdere ſancito aſciuerat. Quod fœdus ut ſecundũ promiſſa hinc inde data acceptaꝗ exequerentur, uno quaſi momẽto, eodeꝗ tẽporis articulo, hinc Mauricius ex Saxonia, illinc rex ex Gallia mouebat. Mauricius per Rotpurgũ & Aras Flauias, quæ hodie Nordlinga eſt, ad Danubij inſulam ac inde Auguſtã Vindelicorũ pergit: eamꝗ pridie Non. Aprilis ad pactiones adigit. Qua relicta Erenpergã in anguſtijs Noricarũ Alpiũ ſitam expugnat, ac Oenoponte Villacũ cum cereo funali profunda & opaca nocte tranſcendit: inde Tridentũ uerſus infeſto exercitu moturus. Audito autem Cæſaris aduentu, ſignis conuerſis, ẽmenſaꝗ rurſus Germania, Quintili menſe Francofurtũ ad Mœnum obſidet His tur-

 bis

bis cum Germania laboraret, tum aliorum Germaniæ regulorũ, tum præcipuè Ferdinandi inſignis opera extitit, cuius potiſsimũ ſtudio, Imperatori fratri, Mauricius conciliatus eſt ea lege, ut remiſſo ſocero Cattorum regulo, cõmunia in Turcam auxilia Cæſari præſtaret. Ita Mauricio reconciliato, Megalburgenſi uerò ad Francofurtum interfecto, ſolus Brandepurgicus reſtabat: qui Gallicis auxilijs neruisq; ſubnixus, nouũ bellum tum contra alios, tum præcipuè Norimbergenſes, quos ſummoperè oderat, concitauit, quod poſtea multorum annorum curriculo flagrans, tanto ſpacio temporis ſopiri aut extingui nondum in totum potuit.

Rex in Germaniã proficiſcitur.

Dum hæc à Mauricio Regulo geruntur, interea Rex Gallus è Rhemis cum exercitu mouens, uicinos Leucos (quos hodie Lotharingos uocant) armata manu adit: eorũq; ciuitates, Tullum ad Obrincam fl. hodie Moſellam, imperij oppidum: & Nanceium, eius regionis caput, occupat: indeq; captum Lotharingũ Regulũ octo annos modò natũ urbem Metim, ad Obrincã itidem ſitam & Imperatori confœderatam cum exercitu pergit. Mediomatrices nomen inde aſſecutos ferunt quod Metis ipſorum metropolis, cum à Septentrione Treuirorum urbem, à meridie Tullum, ab occaſu Verrodunum habeat, medio interuallo intra tres urbes interiecta ſit. Ab his Gallus per præmiſſos internuncios lautia & commeatum exercitui petit, quem ſi impetret, ſe ſine iniuria & maleficio omni tranſiturum promittit. Itaque urbem quarto Idus April. Magiſter Equitum amicitiæ ſpecie ac ſimulatione cum parte exercitus ingreſſus eam repentè occupat. hanc rex ipſe paulo poſt conſecutus, præſidio firmat, ciues'que in ſuam fidem iureiurando aſtringit. Mediomatricum urbe in poteſtatem redacta, Gallus ad Tribocos hodie Alſates, conuerſus: Numeno, Lunæuilla, Blamonte & Saleperga præteritis, Tabernas Alſatiæ, oppidum quatuor ab Argentorato milliaribus diſtans tertio Maij peruenit. Hic illum Heluetiorum legati adeuntes, Argentinam amiciſsimam ſibi ciuitatem, tanquam ueteri ſocio commendant: ac ne quid in eam grauius ſtatueret, rogant orant'que. Rex quid ſibi tam officioſæ commendationes uellent, aſtutè coniectans, Heluetijs benè ſperare iuſsis, Haganoam & Vuiſſeburgum, quod non procul à Spira Nemetum abeſt, iter conuertit. In his locis hærentem, Germanorum legati adeunt, eius tam promptam paratam'que in tuenda & uindicanda Germanica libertate operam, Germanorum Regulis quàm gratiſsimam eſſe confirmant. Cæterum rebus iam utcunque ſopitis & in tranquillo collocatis, ipſius officio ſibi ulterius opus non eſſe oſtenduit. Hic demum rex conſilijs Germanorum intellectis, cum ne dominatus cupiditatem proderet, tum quod Martinum Roſſemum Sicambrum, Mariæ Reginæ iuſſu, Rhemorum agrum excurſionibus incendijſque uaſtare cognouerat, à Nemetibus ſiniſtrorſum deflectens, Obrincam fl. tranſit: Ingreſſus'que Veromanduos, quem Lucemburgenſem agrum hodie uocant, Aſtenæum, Danuillerium & Verrodunum, quod imperij oppidum, Moſæ imminens, medium inter Rhemos & Leucos ſitum eſt, Iunio menſe capit. Inde Momedio arce à tergo relicta Iuoſium præter expectationem Cæſarianorum, qui illic in præſidio cum præfecto Lucemburgico Petro Erneſto Mansfeldenſi curabant, contendit. Cum enim Iuoſini incolumi Momedio, à Gallo ſe tutos putarent, uicinos Momedienſes munitione commeatu'que inſtruxerant. Illi itaque licèt inopinato & repentino hoſtium incurſu ita obruerentur, ut uix ſpacij ſatis ad ſe inſtruendum haberent: conſtanti tamen animo ad ſtationes ſuas comparent: tormenta in muris collocant: cuſtodias militum idoneis locis inſtruunt. Mons Iuoſio imminet quem cum Galli occupaſſent, repentè colubrinas aliquot (ita enim minora quædam tormenta appellant) eò pertrahunt, ut Iuoſii propugnatoribus negocium faceſſerent, & in muro aut intra urbana propugnacula, in uallo'que conſiſtere prohiberent. Itaque cum defenſioni Germani (quod robur eius præſidii erat) diffiderent, fruſtra Mansfeldenſi nunc pollicitationibus, nunc obteſtationibus, autoritate etiam ad auitæ fortitudinis memoriam reuocante, Iuoſium regi deditione traditur. Mansfeldenſis & alii primi nominis, capiuntur: reliqui milites, armis exuti à Gallo ſinguli cum candidis bacillis ignominiæ cauſa dimittuntur. Iuoſio capto, Gallus nondum inalbeſcente cœlo, ad arcem Momedianam rurſus ſe oſtendit, eam'que aliquantiſper tormentorum globis concuſſam à præſidiariis uitæ uſuram, arma, impedimenta'que depactis, deditione capit. Inde Lucemburgenſi oppugnatione, quòd affecta aliquantum ualetudine eſſet, relicta Sedanum reficiendi colligendi'que ſui gratia diuertit. Sed Magiſter Equitum rem gerere iuſſus, Lumeſina arce quæ Moſæ fl. impendet in poteſtatem redacta retrò ad Guiſianum agrum ſe conuertit, ut Belgas qui Picardiam depopulabantur, maleficio prohiberet. His cedentibus, Hannoniam uerſus deflectit. Trelonem (ubi Rex confirmata ualetudine ſuos iam conſecutus erat) & Glaionem, duas munitas arces capit: Cimaum urbem cum arce excindit, tanto tam'que præcipiti furore & inconſiderantia, ut turris, quam ſulphureo puluere diſsipandam referſerant, ſubitò incendio

plusquam

pluſquam centum audaciſsimos milites uiolenter abſumpſerit. Quibus rebus geſtis, cum fœdæ cœli tempeſtates, præter naturam æſtiui temporis, plus quàm menſtruo ſpacio perduraſſent, Rex extremo Quintili exercitum miſſum fecit, plurimos tamen milites in præſidia deduxit. ipſe Lutetiam Pariſiorum, tot uictoriarum monumentis ſuperbus, publica populi gratulatione, applauſu'que & planè regio triumpho ingreſſus eſt.

Cæſar interim pacatis utcunque Germaniæ tumultibus ijs'que qui rebellarant in gratiam receptis: ingentes copias, quibus recepta Mediomatricum urbe in Franciam irrumperet, celeriter conducit, his'que ducem Albanum præficit. Sed Gallus id maturè perſentiſcens, nullis nec diurnis nec nocturnis laboribus intermiſsis, Metim munire inſtituit: uallum, aggeres, loricas reficit: ſi quid uſpiam metator minus commodum, habile, aptum'ue defenſioni, aut periculis & iniuriæ obnoxium iudicaſſet, id nullo reſpectu reſcindit ac uaſtat: ueteres moles diruit, nouas extruit: ut'que propugnatoribus colligendi ſui, & facile explicandi copia eſſet, pomeria ampliat & complanat: denique ueterana manu ſtationem implet, & delecto præſidio firmat. Cuſtodiam uerò Franciſco Lotharingo committit, ei qui patri in poſſeſsione Guiſiana ſucceſſerat, & Magni Chambellani, ut uocant, dignitate conſpicuus erat: quem Lupanus libro de Magiſtratibus Francorum, Cubicularium ſummum appellari Latinis ſcribit, qui cubiculi Regij præcipuam curam & cuſtodiam habeat, & publicis conſilijs cum duodecim Franciæ proceribus ſeu Paribus interſit. Huic delectæ nobilitatis flos, ſummo'que loco nati, bello'que inſignes uiri adiuncti erant, Anguianus, Condæus, Vendomij fratres, Mompenſerius, Nemurcus, Horatius Farneſius, Momorencius Magiſtri Equitum filius: & in cuius ſagacitate præcipuè ſumma rei conſtitiſſe uidebatur, Petrus Strozza, uirtute militari & bellica experientia clarus, eques eius ordinis, quem Ludouicus undecimus Cal. Auguſti anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimoſexto, Ambœſæ inſtituerat. Eo enim more regis ſodalitio aſcribuntur & in eius fidem conceptis uerbis adiguntur, honeſtæ laudatæ'que uitæ equites, conchyliato'q; torque aureorũ ducentorum honorantur: quem donare, uendere, aut alio quouis modo oppignerare uel alienare nefas exiſtimatur.

Dum hæc in Mediomatricibus geruntur interim Salernitanus Regulus, ob diſsidia & inimicitias cum Prorege Neapolitano P. Toletano ſuſceptas, relictis Cæſaris partibus, ad Gallum tranſiit. Senenſes quoque antiquiſsimus Hetruriæ populus, ad 6. Cal. Quintil. cùm auxilio Gallorum, arcem ſuæ libertati ab Imp. impoſitam demoliti eſſent, inde'que præſidium Hiſpanum eieciſſent, recuperata libertate & ſeruitutis iugo excuſſo, ad Gallum palàm defecerunt.

Cæſar uerò Carolus coactis, ut ſupra diximus, copijs, Oeniponte mouens, per Vindeliciam, ac inde per Tribocos, ſecundum Argentoratum pergens (fruſtra primoribus ducibus & in his præcipuè Marigniano Iuſubre, exercitatiſsimo bellatore, ut expeditionem in commodius anni tempus differret, monentibus) decimoquarto Calendas Nouembris in Mediomatrices exercitum duxit, & ſub ipſa Metenſium mœnia caſtra poſuit. Ipſe uerò quòd parum bellè haberet, Thionuillam, Meti quatuor milliaribus diſtantem, ualetudinis cauſa ſeceſsit, euocata eodem iuuentute Belgica: cui præerant domi militiæ'que clariſsimi, Aegmondanus, Arnbergius & Brederodus, ſodales Auguſtales, uel ut hodie uocant, aurei uelleris Equites. Sed recuperata ualetudine Cæſar ad 12. Calend. Decemb. Thionuilla in caſtra recurrit, munitiones ſubitarias ea parte qua Metis in Auſtrum ſpectat, opponit. Vimineis turriculis, quas copioſo ſabulo, multa'que glarea compleuerat, aditus qui ab urbe in caſtra pertinebant, continuo exercitus labore communit, foſſas'que idoneis locis ad interrumpendos aditus perducit, ut tormenta in occulto collocari ac emitti tuto in hoſtes poſſent. Ipſe aperto in loco Prætorium ſuum inter Germanorum tentoria medium explicat, ita ut ad ſiniſtram Germani pedites, ad dextram Germanorum equites circum Cæſarem tenderent: ante Prætorium uerò, medio inter Cæſarem & tormenta loco Dux Albanus, ad dextram propius urbem, Hiſpani, Boemi & Itali conſiſterent. Ab auerſa uerò urbis parte Septentrionem uerſus Belgica iuuentus: ad occidentem ualida cum clientum manu, Albertus Brandeburgicus caſtra poſuerat. Ille enim, poſteaquam cum Gallo de ſtipendio, ſuo militi regijs ſumptibus præbendo, conuenire non poſſet, ad Imperatoris partes ſe contulerat: cui in illis ipſis ad Mediomatricum urbem caſtris, poſt uulneratum captum'que à ſe Daumalæum Regulum, (qui magna multitudine hominum, Lotharingiam ingreſſus, Brandeburgicum adortus erat) egregiè reconciliatus fuit. Gallus interim collecto ad diui Michaelis fanum ſubitario, ualido'q; exercitu, Magiſtrum Equitum rem gerere iubet: is in agrum Barrenſem egreſſus, intra arcem

Carolus V. Metum occupat.

Claramontanam & Varianum oppidulum, accuratè Cæſaris conatus obſeruabat. Dum hæc à Cæſ. & Gallis adminiſtrantur, circa eadem tempora, menſe ipſo Octobri Reucius Belga, Picardorum agris depopulatis, Nouioduno, Nellaq; & alijs oppidis in poteſtatem redactis, Heſdinũ ſigna conuertit: captoq; oppido cum emiſſa tormentis pilarum procella arcem obrueret, defenſores Galli uitæ uſuram & ſarcinas militares pacti, in continenti ſe dediderunt. Sed non multo poſt præſidium à Reucio impoſitum, Vendomius rurſus alieniſſimo hyemis tempore deturbauit.

Cæſar nullo neq; nocturno neq; diurno labore intermiſſo, quæ ad expugnationem Metenſem opus erãt, diligẽter curare, uineas agere, ſinuoſos cuniculos ſubter fundamẽta occultis itinerib. excauare. Oppidani cõtra tranſuerſis meatib. hoſtiũ inſidias ſagaciter explorare, & ut reſerato hiatu iniectæ flãmæ euaneſceret, occultorũ locorũ latibula ſuffodere: muros, pinnaſq; tormẽtorũ ꝓcellis deiectas inſtaurare: aggeres, loricaſq; cemẽtis & materiatis molib. firmare: omnibuſq; Cæſaris conatib. obuiam ire. Itaq; cũ fruſtra aliquot dies ibi Cæſar cõmoratus eſſet, totiſq; caſtris, ac omnib. propè tuguriolis, umbraculis & tectorijs, ꝓpè infinita funera cõſpicerẽtur, & hyemis magnitudo prorſus intolerabilis eſſet: tertia ferè parte nõ modo contagioſa lue & fame, quę plerunq; militẽ infeſtare ſolet, ſed etiã frigore amiſſa, ſoluta ad 4. Non. Ian. anno 1553. Metenſi obſidione, multũ apparatũ bellicũ, aliaq; munitionẽ, ut infirmas & multis incõmodis debilitatas copias expeditius reduceret, in flumẽ abijcit, nouiſſimeq; ad uaſa cõclamat, & in Belgiũ ꝓficiſcitur. Diſcedẽte Cæſare, Guiſianus præſidij præfectus laudẽ ex militari fortitudine cõtractã, humanitate eximia, ſingulariq; liberalitate noua cumulauit, amplificauitq;. Eos. n. qui uel inualetudine uel uulnerib. impediti, in campis ac tentoriolis relicti erant, abeunteſq; cõſequi ſocios nequierant, benignè excepit, uiatico pecuniaq; inſtruxit. Quadraginta millia ex exercitu Cæſaris partim in caſtris, partim extra caſtra, morbis abſumpta, uulgaris opinio tũ ferebat, & quod mirũ eſt, Cæſarianæ oppugnationis tonitrua, quatuor ultra Argentoratũ miliarib. quæ ciuitas uiginti circiter miliaria inde abeſt, humano auditu apertè percepta atq; intellecta fuiſſe. Hoc ad Metim incõmodo & dedecore accepto, Cæſarẽ incõparabili dolore affectum fuiſſe, ideoq; quamplurimos dies eum colloquio hominũ & publico abſtinuiſſe perhibent. Sunt etiã qui huius ignominioſæ expeditionis recordationẽ, maximã cauſam fuiſſe exiſtimẽt, quòd is poſtea abdicato imperio & in fratrẽ Ferdinandũ tranſlato, quod reliquũ uitæ fuerat, priuatus, ſolitariuſq; in Hiſpania Bætica trãsegerit. Sed is qui in Mediomatricib. modò male pugnauerat, in Morinis, tanq; æqualia faciẽte fortuna, rem benè gerit. Paululũ infra Lyſiæ fl. fontes: Pleumoſijs, Arteſiæ & Picardiæ finitima fuit arx Terouana, uetuſtiſſima Morinorũ ſedes, loci natura & artificio munitiſſima. Hanc Reucius Belga, Cæſaris iuſſu, extremo Aprili obſidione cinxerat. Eius rei cũ Rex nuncio rumore certior fieret, ſtatim obſeſſis auxilio eſſe decreuit. Miſſoq; bellicoſo, circumſpectoq; ordinis Equite Decio, Momorenciũ Coneſtablij filium ei cum delecta nobilitate adiungit. Illi, quòd laxiora adhuc Reucia caſtra eſſent, & lentius obſeſſi urgerentur, ſine magno periculo Terouanã peruadunt: præſidia diſponunt, defenſores militari diſciplina confirmant. Sed Reucius dum in hanc ſtationẽ tota mente intentus eſt, in morbum fatalem incidit, & paucis interiectis diebus moritur. Eo extincto in Pontium Lalaniũ Bencuriũ, Reucij collegam, ſumma rei transfertur. Is omnibus quæ ad oppugnationem opus eſſent, inſtructis: operibuſq; & machinis, tormentiſq; per pluteos diſpoſitis: murum, cuius ea craſsitudo fuiſſe fertur, ut quadriga in eius latitudine circumduci facilè potuerit, decẽ continuos dies deſtinatis tormentorũ ictib. cõcutit: & cum ad immittendũ militẽ ſatis ſpacij deiectũ uideretur, irruptionẽ pertentat. Sed Terouanenſib. impigrè & militari cõſtantia reſiſtẽtib. & Decio ſe in oppugnatorũ copias uoluntaria morte immittẽte, magno incõmodo feretariorũ repulſus eſt. Ab aperto igitur prælio, ad inſidias cõuerſus, aggerẽ (quẽ pluteũ antiqui uocabãt) uſq; ad ipſa ꝓpè mœnia pertinentẽ erigit, ut milites inſtitutis cuniculis ſubterraneũ opus tutò inchoare poſſent. Quorũ labore, fundamẽta murorũ dolabris, aliiſq; ferramẽtis ſuffoſſa & labefactata, tignis, ſtipitib. trunciſq; arborũ fulcit. Hoc ſubterraneo ſpecu ita cõfecto, puluerẽ tormẽtariũ copioſum immittit: quo ſuccẽſo, uno momẽto & quaſi puncto tẽporis, nõ modo directa & linearis murorũ ſymmetria: ſed etiã tota moles, quã Galli firmiſſimã ſe extruxiſſe putarant, extemplo horribili cũ fragore & ſtrepitu reuulſa atq; diſtracta procubuit. Tum uerò Momorencius (qui in locũ Decij ſuffectus erat) tantæ & tam inopinatæ cladis miraculo perculſus, cũ hoſte de cõditionib. agere cepit: ſed interea dũ ultro citroq; in conſilia itur, Cæſariani milites, qui iam ad irruptionẽ parati, ſub ſignis ſtabãt, mutuis cohortationib. incitati, ſtationi ſuccedũt: ac Terouanã nullo ferè labore ad 12. Cal. Quint. capiũt. Momorencius in poteſtatẽ Bencurij uenit & cum eo Dãpierius, Loſſus & Martingus Vicecomes, alijq; magni nominis delecti, euocatiq; principes. Terouanã Imp. Maximilianus

Terouana à Cæſarianis capta.

Nota

milianus primus, huius atauus, & Henricus 8. Britannus, uicto Ludouico 12. Gallorũ rege ante 40. annos incendio ruinisq́ defœdauerãt. Sed ea de integro inſtaurata, nouo more, longeq́ à ue tuſtate diuerſo, uaſtiſsimis murorũ, uallorumq́ molibus, propugnaculis & tormẽtis adeò munita erat, ut Franciſcus primus, inter familiaria colloquia ſæpè iactarit, duob. puluinis ſe nixũ uelut in utrãuis aurẽ ocioſè dormire. Quo apophthegmate, Tarbellorũ illã ad Pyreneos mõtes in Aquitania, & hãc Morinorũ arcẽ diſsimulãter innuebat: quib. ſtantib. uniuerſi regni incolumitatẽ metiebatur. Terouana capta, Cæſar ob excitatã inter quoſdã Tribb. milit. altercationem, æmulationẽq́, Allobrogẽ Taurinorũ principẽ, totius exercitus imperatorẽ in caſtra mittit. Is Terouana mouens, Heſdinũ qđ diei ꝓpemodũ itinere inde abeſt, extremo Quintili adoritur, primoq́ impetu capit. ſed reſtabat arx munitiſsima: hanc cuniculis actis & muro per ruinã deiecto inuadit: ex defenſorib. magni nominis interfecti ſunt, Horatius Farneſius regis ex naturali filia gener, ænea pila cõtuſus. Dãpierius itẽ & Martingus, qui paulo ante Terouanæ capti, uictoribusq́ minus noti, paruo ſe explicarãt, fumũq́ illinc, qđ dici ſolet, fugiẽtes, hinc in ignẽ planè inciderãt. Capti ſunt Mareſchallus Robertus à Marca dux Bullonẽſis, Reucius, Lobæus, &c. Arcẽ uerò Cæſariani itidẽ ut Terouanã funditùs diruerũt, ut amœniore & aptiore loco ad amnẽ Cancen, nouã priore lõgè firmiorẽ cõderent. His cõfectis reb. Allobrox ad Dorlenij expugnationẽ animũ adijcit: id ab Ambianis ſex diſtat milliarib. Quorũ in agris cum Frãciæ rex exercitũ collegiſſet: & hoſtẽ in Rhemos iter facerẽ intellexiſſet, Comeſtabliũ cum parte copiarũ cõtra Allobrogẽ, ut eius conatus impediret, tranſituq́ ꝓhiberet, præmittit. Qui traductis Somonã copijs, ſimulatq́ in Cæſarianorũ cõſpectũ uenit, collocatis inſidijs repẽte claſsicũ canit: ibi anceps, acre, longumq́ præliũ cietur. Sed præmeditato magis ſtratagemate q̃ uirtute uincente Gallo Cæſarianorum cõplures, & in his Areſcotus regulus, capti. Is tamen callidè è cuſtodia ad caſtellũ Vincennatis nemoris, quod duobus miliarib. Lutetia abeſt 10. Mart. anni 56. feliciter eſt lapſus. Rex uerò decem millib. Heluetiorum auctus, ineunte Septembri exercitum ad Corbiam luſtrat: Equitum numerata ſunt decem ferè millia: peditum numerus ſeſquialter extitit. Has copias in Arteſiam ducit. Bipalmam ob aquationis difficultatem, qua ille ager natura laborat, obiter tranſit. Poſtremò à Perona, Cameracum, quæ Iulio Cæſari & Ptolemæo Samarobrina eſt, exercitum ducit. Ibi cum Cæſarianos nulla arte caſtris elicere poſsit, ac in incautius ſubeuntes Gallos tormenta repente emitterentur: impendente præſertim autumnali tempeſtate, ſigna uellit: ac ad Fontes Somonæ (quod oppidũ à Sanquintino duob. miliarib. abeſt) 13. Cal. Octob. copias traducit: & relicti ad uaſtandam Arteſiam Sanctandreæ Mareſchallo, ipſe ad Lutetianas delicias ſe contulit.

Heſdinum à Cæſarianis capitur.

Sequenti anni, qui fuit à Chriſto nato 54. ſupra 1500. Iunio menſe, Gallus cum ualidas copias in Picardia cõtraxiſſet, Rocha-Sur-Yonẽ Gallũ in Arteſiã, Comeſtabliũ cum robore exercitus in Hannoniã mittit: Is inter Auenã & Landreſium inſtituto itinere, facilè expugnatũ Cimaũ incẽdit: indeq́ progreſſus, Treloni Glaioniq́, arcibus eaſdẽ faces, quib. biẽnio ante deflagrauerãt, inijcit. Cumq́ præſidij exiguitatẽ, q̃ Mariæburgi erat, per exploratores cognouiſſet, Sanctandreã Tribb. Milit. eò cum parte copiarũ præmittit, ut & itinera ſeruaret, & metatores locũ caſtris idoneũ deſignarẽt, caperẽtq́. Sanctandreas ad Mariæburgũ per ambages & occultos anfractus uiarũ, ſyluæq́ Arduẽnæ 9. Cal. Quintil. peruenit: eũ poſtridie reliquæ copiæ cõſecutæ. & quæ ad oppugnationẽ opus erãt, cõparata ſunt. Mariæburgicæ ſtationis præfectus erat Riſartes, nec aſsiduus nec ſtrenuus dux. is cùm ad ferendã opẽ non modo uicini, ſed etiã ipſa Regina, quæ arcẽ illã ſuo nomine cõdidiſſet, affuturi eſſent, & per ſe oppidũ ita firmum eſſet, ut quiuis tenui apparatu, nullo propè defenſore aut alia munitione bellica, perfacilè quẽuis impetum hoſtis ſuſtinere potuiſſet: turpi cõditione, ut ipſe cum primi pilis caperetur, gregarij aũt milites dimitterẽtur, ſtationẽ hoſti prodidit. Huius uictoriæ fama Rex incitatus, prid. Cal. Iul. in caſtra ꝓficiſcitur, & Mariæburgo præſidijs firmato oẽs copias Giuæo admouet. Hinc exercitu in duas partes diuiſo, ipſe cũ parte una Non. Quintil. Bouinũ municipiũ perpuſillũ cis Moſam fl. qđ Cæſari parebat, inuadit: cũ altera parte Ambarrũ ad Dinã ſeu ut alij uocãt Dionãtũ, finitimũ oppidũ trãs Moſam ſitũ, Eburenicę ditiõis trãſmittit. Bouino tormẽtorũ frequẽtib. ictib. cõcuſſo captoq́, rex ad Dinã, ut Ambarro ſuppetias ferret, pergit. Hi cõiũctis copiis oppidum ex utraque parte oppugnatum, tandem capiunt, funditusq́ excindunt. Interim Cæſar magna celeritate contractis copiis & his Allobroge duce in hoſtem præmiſsis, ipſe quòd peiuſculè haberet, Gonzaga, Ianbaptiſta Caſtaldo, & delecta nobilitate comitantib. quamprimum eſt conſecutus & propè Namurcum, quà hoſtẽ uenturũ ſuſpicabatur, Giblurũ uulgò Iamblacũ, Meſa & Sabi fluminib. circũfuſum, locum caſtris idoneũ, capit. Rex igitur iter ſibi interſeptũ eſſe uidens, relicto Namurco, retrò flectit, ac per mediã Hannoniam incedẽs, omnia igne ac ferro uaſtat. Binciumq́

Rex Hãnoniã uaſtat, Binciumq́ occupat.

Mariæ

Mariæ Reginæ delicias ex improuiſo occupat: & quia Virginẽ illã, quo'd incẽdiorũ &
dépopulationũ in Picardia toties factarũ, cauſa, autorq́; extitiſſet, ingẽti odio ꝓſequẽ
batur, ut irã ſimultatemq́; cõceptam aliquo modo ſatiaret & ebulliret uillam regiam
Folembriũ (militibus, qui tam operoſi laboris rationem habendam ducerent, propè
reclamãtibus) iniecto igne deuaſtat: ac ut ſatis genio ſuo irato indulgeret, fortunas in
feſtiſsimæ ſibi Reginæ ita decerpebat, ut ſuis ipſe manibus plantas lectiſsimas reuel-
leret, ſtirpes nobiliſsimas reſecaret, arbores fructu ſpecie'que eximias radicitus extir
paret: quod deliciarum genus Franciſcus pater in beneficij & honorarij muneris lo-
co cognatæ aliquando donauerat. Nondum autem expleto animo ampliſsimum
quoque prædium, quod uulgò Mons Mariæ dicitur, Bincio propinquum, incendio
& ruina deformat. quod ad arcis ſimilitudinem illa ipſa regina ex ſuo nomine con-
diderat, ac ſuauitate odorum, qui è floribus efflabantur plantarum elegantia, delicia
rum'que uenuſtate: omni denique apparatu hortenſi ſtudioſiſsimè excoluerat ac re-
ferſerat. Ita ut Mariano illo loco, nihil ſecundum ad eam uſque tempeſtatem Bel-
gæ habuerint. Inijcit deinceps ardentes faces in affabrè factum arcem Ruſculũ quo'd
eius fundi dominus Reucius Morinos Rhemos'que excurſionibus & incendijs non
ſemel afflixiſſet. Bellouacorum etiam antiquiſsimam ſedem, in Rhemenſi prouincia
ſitam, incendit. Ad Fanum Inuidiæ, uulgò Creuecœrium, uel ut pauliſper ab itine-
ris labore exercitum fatigatum reficeret: uel ut, quod ipſe iactitabat, cum Imp. qua'm
Rentini obſidio. primum collatis ſignis acie decertaret, octiduum deſidet. quo elapſo, in Artoſiã per
git, ac nouiſsimè Rentinũ obſidet. Hoc loco demum Cæſar contractis auctus uirib,
Gallũ inſequi cõſtituit. Gallus ex amnenſi tribu, uiciniſq́; Somonę municipijs, noua
munitione ac belli apparatu ampliore comparato, duabus ex partibus Rentinum
quaſſare ac tormentorum pilis concutere incipit. Itaq; Cæſar inſtare, & ſub hoſtium
aſpectum ducere ita ut inter utraq; caſtra ſola conuallis interiaceret. Sed cum ne tũc
quidem Gallus de tormentorum tempeſtate quicquã remitteret, magnaq́; iam mu-
rorum ruina edita, defenſores continenter fatigaret: Imp. exercitum inſtruere, &, me
liore etiam Tribb. parte reclamante, Martis aleam experiri conſtituit. Itaq; expeditã
Hiſpanorũ peditum manum in uicinũ locum, Gulielmi cognomento, quem diſpo
nendis ſubſidijs idoneum aptumq́; ex militari diſciplina iudicarat, præmittit: uel ut
Gallica præſidia, quæ eum ſaltum occuparant, deturbaret, uel ne ex ea parte hoſtium
inſidiæ aliquid detrimenti afferrent. Ipſe cum robore exercitus conceptã animo ui-
ctoriã conſequitur. nec mora Gallus ſuam aciem educit. Guiſianus frontem cum par
te copiarũ ſibi ſumpſerat, hic primam impreſsionem dedit. Ab latere Nemurcus &
Tabenna incurſant. Cõmittitur ingens & atrox prælium: in quo Cæſariani, etſi un-
diq; Gallico ſtratagemate premerentur, tanta uirtute tamen & alacritate initiò certa-
runt, ut perruptis perfractiſq́; Gallorũ ordinibus, eos diſsiparent. Sed Guiſianus uir
bello apprimè exercitatus & manu promptus, diſpalatos ſuos colligere & cum fratre
Daumalæo, qui uniuerſum leuis, armaturæ equitatum ſecum in aciem inuehebat, ua
cillantes confirmare & omnem uim in ora atque oculos prementium Cæſarianorũ
conuertere, præliumq́; redintegrare ea uiolentia & impetu cepit, ut ſclopettarij Ger-
mani equites inſtar torrentis, inducto per medium agmen ſulco, diffluerent fatiſce-
rentq́;: ac fuſi diſpalatiq́;, dum urgẽtium Gallorum tela uitare ſtudent, ſociorum aciẽ
atque ordines loco pellerent, perturbarentq́;. Ambarrus quoq; quem ducem Niuer
ranum alia's uocant, Hiſpanienſi legiunculæ: quæ Gulielmi ſaltum occuparat & iam
una cum equitũ turma laborãtibus ſuis auxilio ueniebat, cataphractorum equitum
alam, obijcit atque opponit. Cuius uim atque impetum cum ſuſtinere Hiſpani non
poſſent, in lucum unde proſilierant, diſperſi refugerunt. Hoc pacto cu'm aliquãtiſper
acriter pugnatum eſſet, & iam Galli ad minimè dubiam uictoriam aſpirare uiderẽtur,
repentè horribilis pilarum grando, quæ à Cæſarianis ad ſupremum pugnæ euẽtum
reſeruata erat, in irruentes emiſſa, impetum Gallorum repreſsit, eoſq́; ſe recipere coe-
git. Itaq; perturbatæ aciei cohortibus, partim in proximos colles euadẽtibus partim
in fugam ſe conijcientibus, impendente præſertim iam nocte, Imp. copias ſuas ad ca-
ſtra ſigno dato reuocauit. In eo conflictu Gallorum non amplius qua'm quadringẽti,
Cæſarianorum ſeſquialtera parte plures interfecti feruntur: quorũ eo iniquior quoq;
eo die fortuna fuit, quo'd aliquot ſigna militaria & cum his nonnihil de apparatu bel
lico amiſerunt. Apud Gallos uerò huius prælij gloria, hoſtium quoq; teſtimonio, uir
tute Gallici equitatus & Aquitanorum peditum pugnacitate ſtetit. Itaq; Rex collau-
datis in concione militibus, donatiui nomine magnã uim pecuniæ erogauit: multos
quoq; in equeſtrem ordinem recepit, & in his Tabennam torque, quem in collo gere
bat, ſupremi beneficij & gratiæ loco honeſtauit. Docuit in eo prælio Cæſarianorũ ca
ſus, ſclopetarios illos equites, qui uernacula lingua uel Brunſuicẽſes, à quib. originẽ
uidentur

uidentur traxiſſe, uel Nigri (nomine ab epheſtrium & armorum, uernice oblitorum, colore facto) appellantur: ſi ſubito haſtatorū equitū incurſu circumueniantur, paruo aut nullo uſui in ſtataria pugna eſſe. Quod equitum genus nō ita pridem à Germanis inſtitutum eſt, leuis armaturæ equitibus non uſque adeò diſsimile, niſi quod illi haſtis, hi ſclopettis ſeu tormentis manuarijs utuntur. Quorum plerique præter thoracem, loricam, galeam, pugionem, præter'que ualidum enſem acinaci Turcico non diſſimilem, & malleum equeſtrem, alia'que ferramenta: plerunque ſena aut ſeptena, non nunquam etiam octona tormenta, palmorum duum plus minus longitudine, quorum glans ciceris magnitudinem æquat, in ephippijs, cingulis, ocreis'que equeſtrib. circumgeſtant. Atque in prælio eiuſmodi è tormentis, ſulphureo puluere modicè infuſo & pyrite ad eliciendum ignem in cylindrum chalybeum, qui motu cōtrario uerſatur, impacto impoſitas glandes plumbeas inſtar uiolentæ grādinis, in aduerſos hoſtes horribili fragore explodunt. Horum diſciplina in hac Rentina pugna primum cognita eſt. Nocte, quæ pugnam conſecuta eſt, utrinque ſub ſignis & in armis parati exercitus ſteterunt. Poſtridie uerò cùm Gallus ad intermiſſam pridie oppugnationē rediret, rumor in caſtra perfertur malè ſuos in Hetruria pugnaſſe, & à Cæſarianis, qua ſi paria faciēte fortuna, fuſos profligatos'que eſſe. Quo triſtiſsimo nuncio perculſus, maximè quòd frumenti inopia exercitus laboraret, non auſus ultra ſe fortunæ committere, receptui cecinit, ac Monſtrulum traductas copias miſit. Imp. quoque aliquāto poſt exercitum dimiſit & ad regiam Bruxellanam, à diuturnis bellis conquiſcendi cauſa ſe conuertit. Gallorum illa clades in Hetruria iſtiuſmodi fuit P. Strozza, qui ſub Gallo multos ante Senenſe bellum annos ſtipendia meruerat, libertatis patriæ: defenſionem palàm iactitabat. Itaque ad eam rem à Senenſibus in ducem electus, à Gallo uerò, qui ob recētes Belgicas uictorias nihil non impotēter ambiebat, uicarius Italiæ eſt conſtitutus. Is igitur cum afflictæ Reip. ſedulam operam nauaſſet, tandem ex agro Mirandulano & tranſmarina Gallia numeroſum exercitum coegerat. Contra Florentinorum regulus, cuius id maximè intererat, cum Imperatorem literis docuiſſet, qualis iſte motus eſſet, quorſum'que niſi in tempore occurreretur, ſpectaret: magna induſtria reb. ſuis proſpicere: & ex Inſubribus, à Neapoli, ac Cæſarianis clientelis copias euocare cepit: quibus pro Imp. & Rep. Florētina Marignianus uir acer & bello ſtrenuus præerat. Cum igitur aliquandiu duces bellum pari contentione duxiſſent, & iam illi duo iuſti exercitus opes Hetruriæ uniuerſas affligerent: tandē 3. Non. Sextil. in limitibus Florentini & Senenſis agri, ad eam conuallem quæ inter Martianum, Lucinianum, & Foianum media relinquitur, manus conſeruerunt. Sed breuis admodum fuit illa dimicatio. Galli enim equites poſt primum telorum iactum diſsipati, fuſi'que, à Marigniano profligati ſunt. Ita ut minimum abfuerit, quin ipſe dux in pugna uiuus caperetur: qua deſperata, Lucinianum primò, duabus glandibus plūbeis percuſſus, ſe recepit: inde'que ſtatim ad Alcinoi montem, ut illic curaretur eſt traductus. Decembri ſecuto, Briſſacus Mareſchallus & Trib. mil. Hybernam Taurinorum caſtellum, Duriæ amni impoſitam, occupauit. Qua tanquam ianua reuulſa & repagulis effractis, tota iam Gallis Italia patebat. Oppidum Biella ſeptem Hyberna miliaribus diſtans, uix Gallicis ſignis conſpectis, deditionem uoluntariā fecit. Ipſe quoque Briſſacus Fanum Iacobi non exiguum contra Italos propugnaculum, communiuit. Circa idem tempus memorabile facinus in Mediomatricibus à Franciſcanis fraterculis tentatum eſt. Cum enim Gallorum dominatum indignisſimè ferrēt & patriam acerbæ ſeruituti mancipatam conquererētur: arma autem capere & hoſtem ex uſurpatæ urbis poſſeſsione eijcere, ſuæ uitæ inſtituto profeſsioni'que conuenire non exiſtimarent: quod animo. cogitatione'que informatum & conſtitutum habebant, inſigni techna, artificio'que uaterrimo præſtare conati ſunt. Cum enim illius ordinis uniuerſi conuentus, innumerabili fratrum frequentia peragendus celebrandus'que indictus eſſet, hinc opportunitatē rei gerendæ captantes, cum Cæſarianis qui Thionuillæ curabant, communicant, quid inſtituant, aperiunt. Cum igitur his conſiliū placeret, conſtituitur ut lectiſsimus quiſque ac fortiſsimus miles mutata ueſte cucullum & palliaſtrum ſubcinericij coloris induat, eo'que pacto perſonatus profeſsionem ſimulet & quocunque armorum genere, quod ſtola occultari, tegi'que poſſet, ſupra tunicam ſemuniat. Quo probè curato, ſenſim ſine omni turba bini, quaterni'ue per interualla tanquam ad diſputationem ſolennem in urbem accedant. Ad id negocij etiā arma grauiora dolijs abdita, quaſi uinum ac penum copioſiorem ad alendum contubernium importarent, uafricie ſubtili præparauerāt. Placuit deinde, ut paratis inſtructis'que omnibus rebus neceſſarijs, certo deſtinato'que die, qui Thionuillæ eſſent, ex improuiſo ſe oſtenderent, turbā concitarent & arma conclamarent: quo rumore ſuburbano ac tumultu exciti cuſtodes Galli, qui Metenſi in præſidio erant, dum Cæſarianis ex

Franciſcanorum Menſium facinus.

nis ex diſciplinæ militaris formula occurrerent: uno eodem'que tempore, hi perſonati milites & cum ipſis una coniurati ciues ex clauſtro in reliquias Gallorum, qui in urbe hæſiſſent, armati inſilirent: portas occuparent: ſtationes'que Gallicanas deturbarent. Sed in extremo artificioſæ machinationis conatu, fraude detecta patefacta'que, in Franciſcanos ipſos mali conſilij autores, dolus ac perfidia uertit.

Annus, qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus quinquageſimus quintus propter multas uarias'que rerum commutationes maximè memorabilis inſignis'que extitit. Galli enim 3. Martij Caſalem urbem Mantuanæ iuriſdictionis, Pado impendentem duce Briſſaco, ſed opera potiſsimum Saluazonis uiri nobilis, occuparunt. Inde in comitatu Montisferrati alias plurimas urbes exciderunt. Paulò poſt XV. Cal. Aprilis, Regi Gallo quinta proles nata eſt Hercules Andegauenſium regulus deſignatus. Interim ab Hiſpanorum rege Philippo, Dux Albanus rerum Italicarum procurator in Italiam miſſus, delectum militum habuit, breui'que ingentem exercitum in togata Gallia ac Taurinis coegit. Quem ſimulatq; recenſuit, menſe Quintili Vlpianum, longa Gallorum obſidione extenuatum, noua munitione & commeatu firmauit ac refecit. Quo peracto ſtatim cum ipſo Sextili ſub Fanum Iacobi mouit, ibi'que caſtra poſuit. Sed eo fruſtra aliquot hebdomadum ſpacio per tormentorum grandinem oppugnato, cum præſertim hoſtem in campo uerſari exploratores referrent, & militem tum æſtiuis caloribus, tum perpetuis laboribus fatigatum haberet, accepto magno detrimento caſtra mouit. Galli eius uictoriæ facilitate elati, conuerſis ſignis Vlpianum repetunt: ubi 24. dierum oppugnatione Vlpianenſes fatigati 10. Calend. Septemb. ad pactiones deſcenderunt. Cuius uictoriæ laus militum contentione ſtetit: inſignia uerò militiæ'que præmia Regulus Daumalæus, quo autore expeditio illa & ſuſcepta & confecta erat, reportauit. Is deinceps Vlpiano mœnibus nudato & arce eius funditus exciſa, Moncaluum tormẽtis concuſſum, obtinuit communiuitq;.

Naualis pugna inter Cæſarianos & Gallos.

Dum hæc in Italia geruntur, interim menſe Sextili Cæſariani cum Gallis memorabili nauali pugna ad anguſtias Britannici Oceani depugnarunt: in qua non claſsis claſsi ut belli conſuetudo fert, commiſſa eſt: ſed Gallicanæ bellicæ naues, onerarias nauicu latorum mercatorum'que Belgarum inuaſere. Belgæ enim ex Hiſpania in patriam Flandriam forte redibãt, trahentes ſecum Batauos myoparones ad 22. peregrinis mercimonijs onuſtos. Id cùm per ſpeculatores, emiſſarios'que Galli reſciſſent, qui in illo ſuo Septentrionali littore inſtructas paratas'que ſemper naues habent, actuarias celeres undeuiginti, cataſcopia ſex inſtruunt: ſocios nauales, nautasq; imponunt, ut quæſtuoſam illam mercaturam Belgicam intercipiant & myoparones merciũ onere ponderoſos diripiant. Quos ubi conſpexerunt Galli, ſublato nautico clamore, inflatisq; tubis, paululum ſupra Douerum Anglicanum portum lentè adnauigantibus Belgis occurrunt. Contrà Belgæ memores iniuriæ, quæ ſocijs ac ciuibus ſuis à Polino ante quadriennium eſſet illata, & nauibus conſtratis ad belli pericula inſtructi, ad defenſionẽ illicò egreſsi ſunt. Deducitur res ſtatim ad exitiale utriſq; prælium: Galli primo impetu, qua confertiores hoſtes uidebant, illati 15. Belgicas naues ferreis manibus, quos harpagones uocant, iniectis, cum ſuis colligatas retinuerunt: & continuò formidabilis pugna orta eſt, qualis à multis ſeculis in illo mari nulla fuiſſe fertur. Nam etſi Galli nauium & epibatarum numero præſtarent. Belgæ tamen econtrà nauium ſuarum altitudine latitudine'que & earum uaſtitate ac firmitate anteibant. Eas enim ex antiquiſsima apparatus naualis cura & cõſuetudine habebant, ut Gallicana aphracta, nauigiola'que Belgicis Liburnicis collata, longè late'que deſpicerentur, & Belgæ tanquam ex turribus, tabulatis'que & eminentibus tranſtris, in ſubiecta demiſsiora'que Gallica nauigia, glandibus, pyrobolis'que & quouis armorum genere ſæuirent. Sed tanta fuit utrinque conſtantia & contentio, ut à nona eius diei hora ad tertiam pomeridianam pugnando, Galli tandem feſsi, manus ſuſtollerent, pugnæq; remiſsionem peterent. Sed in tanto armorum ſtrepitu & rerum omnium perturbatione, cum Belgæ, quid peteretur, non animaduerterent: Galli deſperatione coacti in ſuarum nauium uela ignem coniecere: rati fore ut Belgæ periculo & uicinitate incendiorum perterriti, protinus naues ſuas à Gallicis explicarent. Sed cum naues permiſtè ita colligatæ, uncis'que ferreis connexæ eſsent, ut difficillimè diſiungi poſsent, flamma'que quam armamentorum nauticorum materia, æſtiui aeris ſiccitas & uentus inualeſcẽs haud obſcurè alebat, contra Gallorum opinionem ex uelis in antennas, in malos, in rudentes, in proras ac puppes, in carinas, tranſtra, foros: denique in meliorem partem colligatarum nauium, ſe diffudiſſet, cunctis æquè neceſsum fuit & pugna excedere & uoraciſsimo incendio occurrere. Cum'que immenſa ignis uis omne remedium ſuperaret, ipſi epibatæ nautæ'que in mare ſe dare & ad integras naues promiſcuè nullo partium reſpectu, annatare ceperunt. Galli itaque poſt naufragium ſuarum nauium

in Belgi-

In Belgicas tranſgreſsi, circũſpecta paucitate nauiculariorum Belgarum, mutua cohortatione incitati, eos qui ſupererant, captis quinq; nauibus, capiunt abducuntq;. Atq; hic illius pugnæ exitus fuit, in qua prætoria nauis una ex Gallica claſſe depreſſa, merſaq; eſt, ſex uerò incendio conflagrarunt, totidemq; ex Belgicis. Eorum uerò qui in eo conflictu perierunt, numerus diſpar fuit. Belgæ ſocios nauales trecentos, Galli pluſquam mille, & in his præfectum claſsis deſyderarunt. Circa eadẽ ferè tempora Henricus Nauarræ Rex extremum diem clauſit. Cui Vendomius in aſſem ex dote uxoria in reliquias fortunarũ ac regni ſucceſsit. Nam eius regni meliorem partem anno ſuprà ſeſquimilleſimum duodecimo præoccupauerat Ferdinandus Aragonum Rex, is qui propter excluſos tota Hiſpania, uel ſub iugum redactos & ad fidem Chriſtianæ profeſsionis adiunctos Maurorum regulos & ſubditos, primus Hiſpanorum regum Catholici nomen uſurpauit.

Secuto anno *M. D. LVI.* de pace inter Cæſarem, Gallumq; agi cœptũ eſt. Cùm enim nec Pont. Iulij *III.* nec Britannicæ Reginæ interceſsio illos à redintegrato bello retrahere poſſet: tandem mutuis incommodis fracti debilitatiq;, ſua ſponte reconciliationem pacificationemq; deſyderare uidebantur. Sed cùm Carolus Lalanius Hannoniæ prætor, à Cæſare: Caſpar Caſtalio præfectus litori & oræ maritimæ, à Gallo, ea de re legati miſsi, controuerſias omnes prorſus eximere, aut pacem planè conſtituere non poſſent: id tantùm effecere, ut apud Vacculam Samarobrinis finitimum muncipium Non. Febr. quinquennales induciæ fierent: interim ſibi quiſque retineret, quod ex alterius iuriſdictione præteritis bellis uſurpaſſet. Eiuſdem anni menſe Martio, die quarto, ingens & luridum ſydus ſpacioſo limite flammiferum crinem trahens, in octauo Libræ gradu conſpici cœptum, *XII.* ferè dies arſit. Id funebrem oblongamq; caudam principiò uerſus Orientem extendebat: ſed cùm ab ecliptica Aquilonem uerſus uelociſsimè in dies moueretur, cœpit eam uerſus meridiem porrigere. Hoc ſimulatq; Carolus *V.* aſpexit. Iſtis indicijs, inquit, me mea fata uocant. Sequente Iunio regina Franciæ gemellas uno partu edidit: quarum uni ob continentes præteritorum annorum uictorias, ſuperbum uictoriæ nomen fortunati parentes impoſuerunt. Altera autem Ioanna eſt nominata. Vtraq; breuem lucis uſuram habuit, ſicut breuiſsimum etiam fuit uictoriarum Gallicarum curriculum. Atque ita ſummo regi accidit, quod pleriſq; inferioris notæ ſæpè quoque contigere ſolet, ut futurorum euentuum & diuini conſilij ignari, ſuis ipſi rebus uel bene uel malè ominentur, & fortunam præſagijs prouocent, præueniantq;.

Anno inſequente *M. D LVII.* Gallus ut Neapolim inuaderet, Mediolanumq; tentaret, fœdere facto cum Pontifice (qui propter Palicanum captum cum Philippo Hiſpano bellum gerebat) & Ferrario Regulo, quem ſuum in Italia procuratorem eſſe uolebat, bellum redintegrauit, in quo Philippum regem (quem Carolus pater abdicato imperio anno 1555. ſuorum regnorum hæredem conſtituerat) terra mariq; ſibi inimicum cepit. In Italiam igitur Guiſianus cum duabus legionibus, ex Celtis miſſus, cùm per Inſubriam iter faceret, & ab incolis prouocatione laceſſeretur, Valentium in Ticini ripa ac Mediolanenſi ditione ſitum, hoſtili more expugnauit, præſidiumq; eidem impoſuit. Circa eadem ferè tempora, quibus Guiſianus Italiam infeſtabat, Galli itidem in Arteſiam excurrebant, eamq; depopulabantur. Nam cùm circa Epiphania, alieniſsimo hyemis tempore Catuacorum urbem, quam hodie Duacũ uocant, fruſtra tentaſſent, ab inani ſpe in furorem uerſi, Lenſam medium inter Inſulam & Atrebatum ciuitatem, municipium ui ceptum diripuerunt, incenderuntquè. Inde innumerabili præda abacta, in Picardiam ſe conuerterunt. Ita quinquennales illæ egregiæ induciæ, non toto uertente anno elapſo, ruptæ & uiolatæ ſunt. Subindeq; diſputatum eſt acerrimè, uter Regum ruptarum induciarum uiolator dici deberet. Contendebat pro ſuæ quiſq; gentis gloria, & prout erga alterum erat animatus, ita alterius factum uel laudabat uel repræhendebat. Sed tamen quia Gallus exercitum in Italiam tranſmiſerat: Valentinus Inſubrum ſocijs, Philippiq; confœderatis uim intulerat: Duacum tentauerat, Lenſam expugnatam, direptamq; conbuſſerat: Arteſiam flamma ferroq; infeſtarat: deniq; prius cum telo fuerat, quàm à Philippo aut inſtrumenta belli parata fuiſſent, aut conturbatarũ induciarum ſignum apparuiſſet: collatis inter ſe litigatorum cauſis, æqui ac neutri parti addicti arbitri, ſecundum Hiſpanum contra prouocatorem Gallum ſententiam tulerunt: compoſita, conſtitutaq; ſemel Rep. quicq; per uim agi, nulla prægrediente iniuria: minimè ciuile aut ex formula æqui boniq; eſſe, iudicantes. Sequẽte interim Aprili, Galli Valſenarium & Chariolum Taurinorum oppida expugnant: Guiſianus diuerſa ex parte in Samnites irrumpit, eo conſilio ut Neapolim aliquando inuaderet, moræquè impatiens quòd multum temporis in Flaminia deſediſſet. Cum igitur ea irruptione Campu-

Rex contra Philippum Hiſpanum bellum ſuſcipit.

lum occupaſſet,& iam Citadellam (ubi Sfortia Sanctoflorus cum præſidio agebat) obſideret: aduentante Albano & Sfortiæ ſuppetias ferente, ad uaſa cōclamauit, multa Pontifici dira imprecatus quòd nec pacta auxilia, nec munitionem aliam bello neceſſariam, ut promiſerat, in tempore ſuppeditaſſet. Sic Gallorum ille conatus in irritum nulla cum gloria ducis aut militum recidit. Britanni interim, rege præſertim Philippo ſolicitante & flagitante, *VII.* Id. Iunij bellum Gallis terra mariq; indixerunt. Ipſe uerò Philippus, dum Galli ad Neapolim, Mediolanumq; aſpirant, ex propinquo Belgio in Franciam contendit. Cumq; Belgarum ſuorum iuſtum exercitum comparaſſet & Germanorum auxiliares copias diplomatis euocaſſet, ex compoſito de Rhemenſi expeditione, peculialiter uerò ad Moſaream Eſſuorum ciuitatē, in Moſæ ripa ſitam, rumorem ſpargere cœpit. Eius rumuſculi credulitate Galli inducti, citeriore interim Picardia neglecta, Moſaream & Rhemos ſocios, uicinosq; diligenter cōmunierunt. Id ita futurum Philippus ratus: quò maximè intendebat, ad Sanquintinum (quæ ueteribus Samarobrina eſt, ſecundum alios Auguſta Veromanduorum) Allobrogem, ſuum ex Emanuelis Luſitanorum regis filia conſobrinum, mittit. Is ſine moleſtia *III.* Non. Sextil. eò peruenit: & loco per metatores caſtris delecto, ſuburbijsq; & propugnaculo flumētano, quòd in aduerſa Sabis ripa erat, occupato pluteos diſponere, tormenta admouēre & obſidionem adornare cœpit. Quod quàm primùm Ammeralis eius prouinciæ præfectus cognouit, ilicò ſex equitum turmas, tres grauis armaturæ, leuis totidem: ac peditum quinq; ſigna accerſit: quibus copijs ſtipatus, noctu ad obſeſſos cum tertia parte cataphractorum & peditibus 250 tranſuolauit: reliqui partim ob animorum defectionem, partim ob diſciplinæ militaris confuſionem, ab urbe ſocijsq; excluſi ſunt. Aliquanto pòſt è uicina Perona cum *XV.* ſignis Dandolotus nobilis Gallus egreſſus, obſeſsis ſuppetias ferre conatus eſt: qui ambages & uiarum anfractus, quàm peruadere poſſet, cautè ſoliciteq; rimatus: ſimulatq; in Philippianorum conſpectum uenit, tertia ſignorum parte amiſſa profligatus eſt.

Philippus Hiſpanus Sanquintinum obſidet.

Ad *VI.* Id. Auguſti cum, Conneſtablius murato habitu caſtra Philippi regis ingreſſus, curioſis oculis omnia perluſtraret: animaduertit equitatum omnem in citeriore amnis ripa conſiſtere, & trans Sabim paucas admodum diſpoſitas eſſe peditum ſtationes. Itaq; ex occaſione nata ſpem bonam rei gerendæ exequendiq; conſilij arripit: Ammiralem qui paulò ante ad urbem peruaſerat, de ſubſidio per foſſam nocturno labore ductam introducendo certiorem facit. Cùm igitur biduum caſtra hoſtium Conneſtablius ſpeculatus eſſet, ipſo D. Laurentij die omnes copias, quæ erant circiter *XVI.* millia peditum, equitum uerò *IIII.* unà cum tormentis quindecim, ad deſtinatum inſidijs locum adducit, munitionemq; aliam ingentem & naues fluuiatiles curribus ſecum aduehit. Itaq; antequàm illuceſceret, in aduerſa fluminis ripa ſuperbè conſiſtens, tela uibrat, irruptionemq; minitatur: & impoſitos nauibus milites ſecundo flumine in urbem tranſmittit. Ea ratione cùm lectiſsima militum cohorte & ſpectatæ nobilitatis iuuentute, Dandolotos delabitur. Sed Philippiani animaduerſo Gallorum ſtratagemate, cæteros tranſitu facilè prohibuerunt: & Sabi confeſtim traiecto terga uertentem Gallū, hortante præſertim & auſpice Aegmondano, inſequuntur. Is enim ſimulatq; Gallum cedere uidet, admiſſo equo primus in hoſtem fertur. Allobrogemq; regium legatum, ut reliquum equitatum ſubmittat, hortatur. At Galli dum præcipiti fuga omnes in propinquum nemus Baineum nituntur, peditesq; à ſuis equitibus obteruntur & perturbantur: diſciplina militaris ita interrupta eſt, ut ne primum quidem Philippianorum impetum ſuſtinere potuerint, & diſsipatorum militum, ordinesq; & ſigna deferentium, dira & immanis cædes fieret. Duo circiter millia & quingentos illic conciſos eſſe: ex Philippicis uerò uix quinquaginta interijſſe, fortiſsimorum militum teſtimonio, qui pugnæ interfuerunt, ſatis conſtat. Ex Gallis ſummo loco nati multi ceciderunt: capti uerò ſunt primò Magiſter equitum, glande plumbea ſummo in femore ſecundùm nates traiectus, & unà cum ipſo duo filij: Deinde Mompenſerius, qui in capite uulnus acceperat: item Longæuillanus, Mareſchallus Sanctandreas, Ludouicus Mantuani reguli frater, Curtonius, Reingrauius, Rupeſucaltus, Obigninus, & alij plures. Fuga ſibi conſuluerunt Ambarrus, Momerencius Condenſis, Sanſerranus & Bordelio. Atq; hinc animaduertere licet, quanta ſit Gallicæ nobilitatis ubertas: quando ſimul in Italiam multi Guiſianum eſſent ſecuti, multi ſimul apud regem, apud reginam, apud regios liberos Palatinis erant miniſterijs, officijsq; dediti. Rurſus multi Remp. tractabant, prouincias obtinebant, ciuitates regebant, præſidia cuſtodiebant, arces defendebant ac propugnabāt: nec pauciores tamen interim in Belgio ſub Philippi legato militabant. Quapropter ante quinquenniū ferè, cùm Bullonenſis regulus, qui tū in arce Heſdinenſi ab Allobroge captus erat, interrogaretur qua nam ratione aut diſciplinæ militaris fiducia, tot tan-

tique

tiq; heroes arci exiguæ & infirmæ ſe credidiſſent: ſalsè argutèq;, quia (inquit) his Gallia ſatis ſuperq; abundat. Hac uictoria poſt captū ad Ticinū in Mirabelli horto Franciſcū regem, nullam illuſtriorem ex Gallis Auſtriaci hactenus conſecuti ſunt. Hanc Sanquintini & aliarum Gallicarum urbium expugnatio ſubſecuta eſt: hæc Philippi res in Italia cōfirmauit, indeq; Guiſianum, in afflictam patriam reuocauit: ac retraxit: hæc deniq; fecit ut Philippi autoritas magnum pondus etiam apud exteras haberet nationes, maximè quòd iuuenali ætate, quòd ab ipſo regni auſpicio & fortunarum initio, ac deuiq; quòd tyro rem multò præclariſsimè ac ſumma cū laude geſsiſſet. Qui ſi hac uictoria tam inſigni uti ac fortunā perſequi ſciuiſſet, ad ſummas anguſtias Franciam uniuerſam fuerat adducturus: quando illa non modò affecta, ſed etiā uiribus penè exhauſta, ipſe etiamnum firmiſsimū exercitū, ac uictorē, ex 30. acerrimorū pugnaciſsimorumq; peditum millibus: equitum uerò 14 ferè conſtantem: & in his lectiſsimos, exercitatiſsimosq; duces haberet. Mouerat etiā ex Burgundis nouas copias uerſus forū Seguſianorū, Burgenbreſſam, Nicolaus Boluillerus: quod municipiū Lugduno non amplius milliaribus decem diſtās, Allobrogicæ iuriſdictionis, Gallus iam diù tenebat. Sed Philippus diutius in Veromanduis cōmoratus, pulcherrimæ rei gerendæ occaſionē è manib. dimiſit. Huic igitur cū ad Cameracū deſidenti lætiſsimus huius uictoriæ nuncius afferretur: Gallus tum forte Cōpendi ſeſsitabat, quòd à Sanquintino 14, à Lutetia duodeuiginti milliaribus abeſt: auditaq; ſuorū clade, mirū in modum initiò eſt conſternatus. Sed mox animo à cogitanda moleſtia auocato, & ad dignitatem tum ſuam tum publicam tuēdam traducto: conſtanter circumſpecteq;, quanta celeritate potuit, nutanti regno proſpexit, oppida continuis laborib. cōmunijt, & diſpoſitis præſidijs, excubijs, cuſtodijs, uigilijsq;, uti quæq; infirma aut periculis obnoxia uidebantur, firmauit. Ambarro quoq; nouorum habendorū delectuum & maioris conſcribendi exercitus apud Laodunū negotiū mandat. Guiſianum continuò ex Italia diplomate, reuocat: auxilia Heluetiorū ueterrimorū ſociorum, & fratrum accerſit, Germanorum etiā nonnullos regulos, cū quib. nuper amicitiā inierat, ſollicitat: fœderatorum Galliæ opē implorat: deniq; quæcunq; ad defenſionem neceſſaria eſſent, comparat: militemq; frumentū & munitionē belli tota Gallia conquirit: ac ſpeciatim immenſam pecuniæ uim grauiſsimis edictis, ſeuerè continenterq; imperat, & per certos quæſtores cogit. Dumq; his rebus uacat, interim Reginā unà cum ſuo Gyneceo & palatino aulicoq; ſatellitio, Lutetiam amādat, & ut extra periculum eſſet ſi quid fortuna auerſi moliretur, & ut illius populi animos, qui fugā parare & deuertendo ſolo cogitare ferebatur, confirmaret. Tanta fuit illa popularis leuitas, ut qui Philippum antea fortunata felicitate abutentes, publicis conuicijs & ludibrio conſciderant: nunc ante tubam timidiſsimis animis, maximo ſtultitiæ ignauiæq; argumento trepidarent. Sed rex, quòd facillimum imperiū in bonos eſt ac per ſe officioſos (qua laude Galli cæteros populos anteeunt) impendentibus difficultatib. ſine moleſtia prouidit: cui Lutetia ſola tercentū millia numûm, ſua ſponte mutuò dedit, obtulitq;. Sed ut ad Sanquintini obſidionē redeat oratio. Cùm nuncius ſociarum ruinarum, defenſores ſummoperè terruiſſet, & ab his qui Forū uicinā urbē tenebant, auxiliares aliquas cohortes, quas ſibi in extrema difficultate poſitis ſubmitterent, petijſſent: Forenſes data opportunitate, 300 ſclopetarios extruſerunt: qui tamen à Philippianis de uia intercepti ſunt, ita ut dūtaxat tertia pars intra præſidiū peruaſerit. Atq; ita auxiliorū hoc ultimū fuit. Cùm aūt Philippus in caſtra iā ueniſſet & Allobrox cuniculos agere cœpiſſet, oppugnatio adornata eſt: præſtructiſq; pluteis & tormentorū ordine diſpoſito, longiſsimo tractu à porta D. Ioannis ad Flumentanam uſq; *XII.* Cal. Septemb. inchoata pilarū tēpeſtas, totos ſex dies continuata eſt, tanta ui & pertinacia, ut turrib. deiectis murorū directi parietes rimas agere & ruinam minitari cœperint. Ceſſante aūt tormentorū uſu, cuniculis ſimul trib. in locis incenſis, magna ſtrages propugnaculorū edita eſt. Sed cū propter anguſtias ruinarū adhuc difficilis aſcēſus pugnatoribus in uallū uideretur, Philippus ſaluti militū conſulens, cautè & ex militari prudentia extremā irruptionē in poſterum diē reiecit. Interea temporis plurib. tormentorū ictibus à primo diluculo uſq; ad horā ſecundā pomeridianam tēpeſtatē pilarū ad ampliandas ruinas conduplicauit. Tū demū parati inſtructiq; milites tripartitò emiſsi, uno tempore ſimul ex partibus trib. Germani, Hiſpani Belgæq;, & Britanni, ab uxore Anglicana in auxilium Philippo paulò ante ſubmiſsi, egregia uirtute in propugnatores euolarunt. Sed breuis fuit urbis defenſio: pleriq;. n. omnes præter Dandolotū & Iarnacem, ſtationem deſeruere. Irrumpentib. igitur undiq; Philippianis, fit ingens militū ciuiumq; cædes. Si quib. interim lucis uſurā dedit uictor, hos uiuos cepit & ante alios Ammiralem & Dandolotum: quorum hic percallida deinde fuga elapſus eſt. Atq; eo pacto ob nimiā quandā inconſyderantiā, quòd eā præſidio, quātò opus erat, tempeſtiuè nō firmarint, Veromanduorū Auguſtā, omnis eius

 prouin-

ꝓuinciæ & maximã & locupletiſsimã rex Galliæ amiſit. Cæterùm quia hæc urbs in
Somonenſium municipiorum numero, nec poſtrema nec infima eſt, de cuius poſſeſ-
ſione olim inter Heduos ſeu Burgundos, & Gallos armis diu diſceptatum fuit: mini
mè ab inſtituto alienum uidetur, cõtrouerſiarum fontẽ & originẽ diuturni belli pau
lò altius repetere atq; hoc loco intertexere. Nã Carolus eius nominis *VII.* Gallorum
rex, calamitoſo difficiliq; bello quòd aduerſus Heduos & Britannos geſsit, implica-
tus, & meliore regni parte ſpoliatus (cuius titulũ etiãnum Britãnicis regib. ab illo uſ-
que tẽpore cõmunem, Henricus *VI.* Britãnicus in urbe Pariſiorum inauguratus, ꝓ-
palã arrogauerat) magno cum ſuo tũ Reip. bono, cũ Philippo Bono Burgundionum
regulo apud Atrebates anno 1435. optatiſsimã pacẽ his conditionib. fecit, ut Sãquin
tinum, Peronã, Ioſedum, Ambianũ, Abbæuillã & alia oppida amnẽſia ſeu ad Somo-
næ ripã ſita, Philippus interea & eius legitimi nepotes maſculi poſsiderẽt: donec eã
iuriſdictionẽ uel ipſe Carolus *VII*, uel eius ſucceſſores quadringẽtis millib. aureorũ
redemiſſent. Carolo itaq; mortuo, filius Ludouicus *XI*, ex conuentione ea oppida ab
Heduo Philippo redemit: ſed is multa de Ludouico cõqueſtus, quòd quinquennio
amplius indignatione paterna è Curia eiectus, magnificè ſe in Heduis aluiſſet: quòd
à ſe ſplẽdido comitatu & magnifico ſumptu in patriã eſſet reductus: quòd ingentem
pecuniã, qua die ipſi diadema eſſet impoſitũ, erogaſſet: ideoq; gratitudinis ergò & ſan
ctè ꝓmiſiſſet, ſe etſi ſpõſioni pecuniariæ ſatis eſſet factũ, uſum nihilominus cõmemo
ratæ iuriſdictionis ſuperſtiti Philippo ſe cõceſſurum, & loco accepti beneficij, cõſimi
li liberalitate hoſpitalitatẽ Hedui cõpẽſaturũ: horũ tamẽ omniũ immemor & malè in
gratus, lõgè aliter factis proderet, q̃ uerbis oſtẽdiſſet. Excipiens igitur hãc querelam
Carolus Philippi filius bellicoſus atq; acer, dũ pater Brugis graui morbo detinetur,
anno 1465. Lutetiana ad mœnia cũ exercitu cõtendit. Ea neceſsitate Ludouicus com
pulſus, & ad ſummas anguſtias adductus, aduerſariorum poſtulatis acquieuit. Fratri
Carolo, quẽ in ſocietatẽ Carolus Heduus aſciuerat, Normandiã: Heduo uerò cõtro-
uerſam regionẽ ſtipulando conceſsit. Alterò aũt ab hinc anno, ſimulatq; Philippus
Bonus deceſsit; Ludouicus neglecto iureiurando, Auguſtã hanc Veromanduorum
& Ambianũ primò occupauit, ad reliquã itidẽ Somonenſem ditionẽ animo adiecto.
Hĩc immanis demũ cõſecuta eſt cataſtrophe. Nã dum Carolus amiſſa oppida armis
acui repetit: & cæterorum uſum mordicus defendit: cõtrà Ludouicus hæreditatẽ iu
re mancipij ſibi arrogat: ingenti ſanè & implacabili bello utrinq; uario euentu, ob al-
ternã eius regionis poſſeſsionẽ eſt cõflictatum: donec ad extremũ Carolus apud Nã-
ſeum anno 1477. cum Heluetijs & Lotharingo regulo, tertium collatis ſignis malè
pugnans, eſt interfectus. Tum demum Ludouicus, quẽ minimè fugiebat, ſolã puellã
à Carolo ſuperſſe, non modò municipiorũ Somonenſium reliquias, quas Hedui retĩ
nuiſſent, recepit, uerum etiã Geſſoriacum, Arteſiamq; inuaſit, uniuerſamq; Heduorũ
Sequanorumq; ciuitatẽ uſurpauit. Ita illa ipſa querela tot Gallorum atrocium ſemi-
narium fuit, q̃ propè cõtinenter duæ illuſtriſsimæ omnium Europæarum familiæ in
ter ſe ab illo ſeculo geſſerunt, uſq; ad nouiſsimã pacem q̃ poſtea anno 1559. Cameraci
cõſtituta eſt. Verùm ut eò unde digreſſa eſt, oratio noſtra redeat: Sanquintino capto
Amperganus à Philippo cum parte copiarum Caſtellum miſſus, id deditione obti-
nuit. Paucis indè dieb. Hanum petitur, quã arcẽ multis tormẽtorum ictib. cõcuſſam,
defenſores Philippo tradiderunt. His trib. locis muniẽdis multorum dierũ opera po
ſita & Hanum præcipuè ita firmatum eſt, ut expugnari uix amplius potuiſſe credere
tur. Inſtante hyeme bellũ paululùm cõticuit & requieuit Philippo in Veromanduis
benè pugnante, nihil nõ triumpho dignũ eius in Italia duces itidẽ geſſerunt. Nam ad
damnũ in obſidione Citatellæ factum, hoc etiam incõmodi Gallicanis partib. acceſ-
ſit. M. Ant. Columna legatus in exercitu ab Albano relictus, Pontifici multa oppi-
da in Latino agro rurſus eripuerat: qua clade perculſus Pontifex crebris literis Gui-
ſianũ euocabat: quo Tybur regreſſo, cũ Albanus liberatam terrore Neapolim uide-
ret, in Latiũ cõuertendas uires eſſe cõſtituit. Egreſſus igitur è Cumanis, ſub medium
Auguſtũ mẽſem, Colũnæ ad Ponteſaccũ ſe cõiungit: ubi dũ de ſumma rei deliberant
auſpicatiſsimæ illius uictoriæ Philippi in Veromanduis partæ, lætũ nunciũ accepe-
rũt, Itaq; cũ Pont. cõditiones honeſtas obſtinato animo repudiaret, illiq; armis diſce
ptandũ & uictæ urbi leges gladio & ui imponẽdas eſſe iudicaret, Columellam uſq;,
duodecim millib. paſſuũ ab Vrbe diſtantẽ, præproperè duxerũt. Indeq; noctu anteq;
luceret mouentes, ad mœnia quidẽ urbis acceſſerũt: ſed cũ Romam armatã & noctur
nis ignibus, facibus, luminaribusq;, ut in media luce, coruſcantem reperiſsent: Ro-
maniq; ſuũ de repentino tẽtando incurſu conſiliũ excepiſſe uiderẽtur, maximè quòd
ex captiuis P. Strozzam pridiè ueſperi Tybure Romam cum turna D. equitum & X.
Aquitanorum peditum ſignis conuolaſſe didiciſſent: mutato priore conſilio, unde
uenerant, reuerterunt; & nouiſsimè Palicanum obſederunt. Iiſdem diebus cum Gui-
ſianus

ſianus rege reuocante, in Galliam eſſet reuerſurus: Pont. quam pacem antè ſuperbè reiecerat, tunc abitum parantibus Gallis perattentè ambiebat: eamq; poſtremò interceſsione Veneti Senatus ac Florentinorum reguli, apud Caueam caſtellum menſe Septembri eſt aſſecutus certis conditionibus, quibus præcipuè cautum fuerat, ut fide publica inſtructo Guiſiano in Taurinos ex Latio quà commodum ei eſſet, etiam per officioſam Philippo Italiam, liceret tutò exercitum traducere. Atq; ita Pont. concitator belli, idemq; uictus, mera liberalitate regia æquabiles pacis conditiones inuenit: quales ſi ipſe uictor extitiſſet, uerisimile eſt eum Philippo laturum conceſſurumq; non fuiſſe.

Interea cùm Guiſianus & Strozza mari, Daumalæus terreſtri itinere in Galliã exercitus traducerent, multæq; Heluetiorum Germanorumq; copiæ concurrerẽt: Rex in Picardia ingentem uim armorum renouauit, quem quin ſummo uindictæ ardore aliquod memorabile facinus ad exiſtimationis ſuæ uulnus ſanandum proponeret, nihil anni tempus hyemale maximè incommodum retardabat. Ac regium inſtitutum confirmabat P. Strozza, quo ſuaſore & impulſore Caletes antiquiſsima Gallorum ciuitas, Britannis eripi poſſe uidebatur. Ipſe enim à Gallo quodã, qui inde euaſerat, inſtructus: X. Nouẽb. obſoleta ueſte indutus, extrinſecus ſitũ eius urbis perluſtrauerat, & circunſtantiũ propugnaculorũ formam ac firmitatẽ curioſis oculis ad topographi ſolicitudinem perſpexerat. Rex igitur hanc Strozzæ opinione uerò non abſimilẽ reperiens, propoſitæ oppugnationis fortunam periclitari conſtituit. Guiſiano ſumma rei attribuitur: cui præter Strozzam, legatos adiungit Momoranciũ & Dandolotũ. Hos alieniſsimo tẽpore per Morinorũ agros, media ferè hyeme in Caletes mittit. Hi ciuitatẽ etiamnũ eo loco habent quo antiquitus. Iccium portum promontoriumq; fuiſſe, Coſmographorum tabulis & à Iulio Cæſare eſt notatũ: in extremis Belgarum Morinorumq; finibus ad Britannici Oceani anguſtias poſitam. Hinc commodiſsima è Pleumoſijs in oppoſitam, obiectamq; Britanniam eſt trãſmiſsio: Dobram enim Britanniæ municipium ex diametro ſpectat. Galli igitur Cal. Ianu. anno 1558. uſq; ad pontem arcis quæ Nouambriga appellatur, acceſſerunt. Caſtellum illud eſt, mille ab Vrbe paſsibus: unde per emiſſarium & ſecretiores meatus uelut aquæductus exundante mari in ſubiectam planiciem inſtar lacus cuiuſdam aqua in foſſas camposq; urbis undiquaq; circumfunditur. Hîc igitur maturè habito conſilio deliberant uno eodemq; tempore ſimul hanc arcem & pharum ſeu ſpeculam, quam Riſbanum uocant, in faucibus portus ad coërcendum introitum poſitam, tormentorum ui concutere. Sed Angli repentino hoſtis conſpectu deterriti, maximè quod nauium bellicarum claſſem ex Armoricis ciuitatibus comparatam, pleniſsimis uelis in ſtationem ferri cernerent, utrumq; locũ reliquerunt. His itaq; repagulis effractis ianua aditusq; Gallis ad urbem patebat, cui tum præerat Veudofordus. Sed cùm fruſtra tormẽtis urbs ob murorum uaſtitatem exagitaretur, oppugnationem Galli ad arcis, quæ ſecũdum mare ſita eſt, demolitionem conuerterunt. Itaq; manè, Epiphaniorum die tanta pertinacia admotis XXXIII. omnium capaciſsimis tormentis pilas coniecerũt, ut fragor ille terribilis Andouerpiæ, que 33 miliaribus Germaniæ inferioris inde abeſt, exauditus fuerit. Poſteaquam igitur per totum eum diem continuata oppugnatione luculentã ruinam edidiſſe ſe Gallorum duces conſpexerũt: qui poſt receſſum maritimi æſtus, ad patefactam arcem accedere, & cedente ſtagno irruptionem tentare, illa ipſa ueſpera cogitarunt. Erat autem noctis hora tum ferè quarta, cœlumq; ualdè ſudum & luna perluſtris. Inſtruit igitur ordines Guiſianus, & Tribunis ſtipatus muris ſuccedit. Vbi etſi initiò Gallis, uexilla & lilia in ſublimi figentibus, aliquot Angli obſiſterent: continuò tamen defenſionem reliquerunt. Guiſianus igitur arci præſidium imponit, urbis oppugnationem matutino tempori reſeruat: maximè quod iam Oceani æſtus identidem reciprocarentur: quorum acceſſus & receſſus Lunæ motũ gubernari, idq; die quolibet naturali bis accidere, omnium qui de rerum natura ſcripſerũt opinione conſtat. Britanni uerò quia ſciebant quamdiu ſtagnum conſtitiſſet, uelut in medio clauſos Gallos nequaquam poſſe ſociorum ope ſubleuare eos qui in arce erant, continuò magno clamore & ferocia ex ponte inuadunt. Sed cum à Gallis acriter reijcerentur, & illorum omnis conatus irritus exiſteret: ſummo manè miſsis ad caſtra legatis, pacem conditionibus certis confecerunt, primò omnibus uitæ luciſq; uſura daretur, & quocunq; uideretur, fide publica commigrandi poteſtas eſſet. Quinquaginta obſides uictori darentur, milites in Britanniam traijcerent, ſigna tamen militaria, inſtrumenta belli, munitionem, annonam relinquerent: integra omnia, ſalua, intactaq; finerent: ab ædificiorum demolitione, direptioneq; abſtinerent: ne clauiculum quidem refigerent, nec lapillum loco mouerent aut ſolum pauimentaue ſuffoderent: quod à Gallis limitatum erat propter Britannorum peruerſitatem, qui an-

Galli Caletum urbem capiunt.

tea reſtituta ex conuentione Gallis Bononia Belgica, in contemptum hoſtis omnia uaſtauerant) deniq́; aurum, argentum, æs ſignatum, fictile, rude: raudusculum, merces, ſupellex, equi, iumenta & quæcunq́; rerum mobilium nomine intelligerentur, ad arbitrium uoluntatemq́; Guiſiani reuocaretur. Atq; in hunc modum turpiſsima illa præſidiorum ſocordia, Britannis decus regni detraxit, quod ducentos & *XI* annos, ab anno Chriſti 1347. Philippo Gallo ademptum, in ſua poſſeſsione retinuerāt. Vnde non ſolū uicinis Morinis, ſed & Galliæ ipſi frenos & compedes inijciebant, ita ut regū Britannicorū quidā ianuam eā Franciæ appellarent: quidam etiā, quādiu Iccium portum poſsiderent, claues Galliæ ſe in cingulo circumferre dicerent. Has Gallorum machinationes cum diuinaſſet Philippus Hiſpanus, easq́; uxori Anglicanæ per literas denunciaſſet, opemq́; ultrò & præſidiū obtuliſſet: iſtiuſmodi eius præſagio nō modò non patuerunt aures, ſed etiam falſa opinione cauillatū eſt: Philippum tali ſtratagemate Hiſpanico, illū ipſum dominatum aucupari. Quam tamen ſuſpicionē liberalitas regia diluit, cū laborantib. Guinēſibus, qui trib. miliarib. ab Iccio portu abſunt, deeſſe nollet, quib. auxiliū Hiſpanorum obſeſſa Caletum urbe ſubmiſerat. Caletum igitur reb. cōpoſitis, Guiſianus Guinū cōtendit: quod etſi acriter defenderetur, neceſſitate tamen compulſi qui in præſidio agebant, ad conditiones deſcenderunt. Atq; ita Galli, Britānos tota cōtinente ſemel excluſerūt, & Pleumoſios uicinos inimicosq́; populos in anguſtum redegerunt. Aprili menſe Lutetiæ Franciſco Valeſio, Henrici filiorū natu maximo, Maria Stuarda unica Iacobi *V.* Scotici regis filia, & regni ex aſſe hæres nupſit. & continuò maritus, cū ad eū diē uſq; Delphinus appellaretur, glorioſum regis nomen ſibi deſumpſit. Caletum ſtatu recuperato, Galli ad occupandū uniuerſum Belgium animū adiecerūt. In hoc.n. uires undiq́; inſtaurauerāt, ut Belgas duabus ex partibus: hinc à Mediomatricibus & Lotharingico territorio, illinc à Caletib. adorirentur.

Galli Belgas duabus ex partibus aggrediuntur.

Quapropter Bordelio nobilis Gallus exeunte Maio præmiſſus, Thionuillam nobilem uetuſtamq́; Caroli Magni ſedem, obſedit, quē aliquanto pòſt Guiſianus cū P. Strozza, Nemurcio & Ambarro eſt ſubſecutus. Cingitur itaq; circūductis caſtris oppidum loco maximè cōmodo poſitā ad Moſellam fl. natura ac operib. æque firmum: extrinſecus molibus ac propugnaculis eminentibus, intrinſecus aūt uallo & aggere munitum: inq́; amæniſsimo loco ac in perpetua planicie ſitum: Guiſiano igitur ſtatim à partitione munerū militariū, inſtrumēta oppugnationis omnia ſolerter præparante: Quadereb. Brabantinus, cuius ſumma illic, erat autoritas cū perpuſillū præſidiū uix ſuffecturum iudicaret, dominos ad ferendā opē ſolicitat. Accurrit igitur Hornus Belga cū trib. Hiſpanorū ueteranorū cohortibus: ſed ad obſeſſos interceptis itineribus penetrare nequiuit: quod idē *IIII.* Hannoniorū Condruſiorumq́; ſignis auxiliaribus, qui triduo pòſt ad obſeſſos nitebantur, accidit. Igitur poſt difficilem oppugnationem extenuati præſidijs Diuodurani ad *X.* Cal. Iulij ſeſe certis pactionib. dediderunt. Perijt in eius arcis oppugnatione P. Strozza glande ictus: quem uirū non uniuerſus tantum exercitus: ſed ipſe etiam Rex atq; omnis Francia, fidelitatis, operæ, officiorum & uirtutis eius memor, publico luctu eſt proſecuta. Hoc oppidū captum decadem expleuit his poſtremis bellis captarū dolabra alijsq́; ſubtiliſsimis machinationibus arcium: quæ antea nulla ratione expugnari potuiſſe uidebantur. Ea ſunt nominatim citra alpes, Iuoſium, Terouana, Fanum Quintini, Iccius portus, Guinum; Theonuilla. ultra Alpes, Inurea, Vlpianum, Valſenaria & Chariolum. Quæ omnes tormentis concuſſæ & nouum genus cuniculorum ferramentorum atq; operū expertæ: ad extremū aut manū dederunt, & uinci capiq́; ſe paſſæ ſunt, aut ſaltē ad conditiones, pactaq́; uenerunt. Ita ut recentes earū fortunæ teſtes luculentiſsimi ſint moles ac propugnacula urbib. confidentiā quidē afferre, ſed ſecuritatem præſtare minimè poſſe. Guiſianus cū pluſculos dies Diuoduri cōmoratus eſſet, Cal. Quintil. Arlodunum: inde Vertodunū ad ſtatiua mouit, ut rerū Lucēburgenſiū ſtatū ꝓ prius exploraret ac perſcrutaretur. Porrò dū is dubius hæret, nec quò ſe uertat cognoſcit: Thermus Gallus cum alteris copijs apud Caletes paratis, exeunte Iunio ab Iccio portu egreditur, ut uno tempore ipſe Pleumoſios & propinquā Flādriam inuaderet, Guiſianus à Lucemburgo in expeditionē iret: & ita Belgium inimicum à ſummo & imò infeſtaretur. Tranſgreſſus igitur Thermus foſſam Bulanam, Grauelingam & Burburgum à tergo relinquit: ac ſexto Non. Iul. Dunckercham maritimū oppidū, ſexto ab Iccio portu miliari, ex inopinato duxit. quod præproperè conſcenſis muris occupatū & direptū eſt. Philippus interea in Condruſios Allobrogem cum parte copiarum, ut Guiſiano occurreret, præmiſerat. Sed cum Guiſianum non prodire ac tempus fallere intelligeret: Thermū qui uiribus intus ualebat, celeriter adoriri conſtituit. Attribuit igitur imperatoriam autoritatem Aegmondano: is præproperè in Flandriā euolans, apud Grauelingam, mediam inter Iccium portum & Dunckergam, Bencurio præfecto caſtro-

Thermus Flandriam infeſtat.

rum

rum coniunctus,paucis diebus iuſtum exercitũ,12.ſcilicet peditum millia,equitũ aũt ferè tria,ex propinquis præſidijs conflauit.Interea tẽporis Thermus cũ ab incurſatione Pleumoſiorũ,copias ob arthreticũ dolorẽ,quo infeſtabatur, Dunckercham reduxiſſet:prope Grauelingã caſtra poni iuſſit,ut ſi opus foret, propinquior ei eſſet ad Caletes receſſus. Sed ſimulatq; nunciatũ eſt hoſtes coijſſe, neglecto articulorũ cruciatu, ad caſtra cõtinuò accurrit:nec multò poſt cũ inſtructis copijs Aegmondanus & Becurius cõparuerũt.Thermus itaq; cũ uideret militũ numero ſe lõgè eſſe inferiorẽ, poſtridie recedẽte æſtu maris ſecũdũ littus, ad Icciũ portũ refugere cõſtituit. Et iã ad fauces Adæ,qua ex parte ſupra Grauelingã ille ſe in mare exonerat,Galli trãſmiſerãt,cũ Aegmondanus accepta Gallorũ fuga,infra id oppidũ raptim traiecit, & fugiẽtib.ad Caletũ cataractũ 3.Idib.Quintil.occurrit.Itaq; Thermus cũ à cœpto itinere intercludi ſuos uideret,aciẽ inſtruere cœpit:cuius dextrã partẽ uerſus Septẽtriones mare tegebat:ab læua parte uerſus meridiẽ,carri pro uallo munierant:à tergo erat foſſa Baulana. Ante ordines colubrinæ ſex, falcones tres erãt locati ita, ut interualla equitibus ampla relinquerentur,qua hoſtẽ infeſtarent:horũ utrunq; latus claudebant ſclopettarij Vaſcones.Aegmondanus licet tormenta nulla apud ſe haberet,ſola tamẽ uirtute nixus, hoſtẽ inuadit.Suſtinent interim impetum Galli,& tormentorũ fulmine anteſignanis luculentã plagã infligunt,ſic,ut Aegmondani equus primo procurſu conciderit. In eo prælio nouũ illud atq; admirabile fuit,quòd ea cũ æquabilitate & omniũ ordinũ paritate conſimiliq; planè commiſsione pugnatũ fuit,qualẽ ne à ſeculo quidẽ bellicæ rei ſcientiſsimi incidiſſe ferebant.Quo certamine cũ neutri faciẽ uerterent,caſus quidam fortuitus ac mirificus interuenit. Præteruehebantur forte fortuna decẽ bellicæ naues Britanorũ:qui procul ex undis conſpecto conflictu,in litus appulerunt:& Gallici exercitus latera,tormentorũ tẽpeſtate eminus percuſſerũt.Hac rei nouitate Thermi exercitus perculſus,ab hoſte acrius urgente profligatus eſt.Ipſe Thermus accepto graui uulnere captus,tormenta, ſigna & præcipuè præda è Flãdricis municipijs collecta,ab hoſte recepta eſt. Huius prælij aduerſo caſu, graue toti Franciæ uulnus illatũ eſt: quo etiã illa quæ uix conſanuiſſe uidebãtur,recruduerũt. Nã,ſi leue certamen ad Rentinũ cõmiſſum,omittamus:intra quadriennium trib.grauiſsimis prælijs uicti ſunt, primò ad Martianũ in Hetruria,deinde ad Sanquintinũ in Veromãduis,ac tertiò ad Grauelingã in Pleumoſijs.Porrò ad caſtra recurrens Thermus, quemadmodũ ſuprà oſtẽdimus,Dunckergæ tres cohortes militũ reliquerat cũ mandatis, ut derepto incenſoq; oppido ſe ſtatim ſequerentur.Quæ mandata ſumma cum crudelitate effecerũt: ſed ij dũ ad ſuos ſe recipere conãtur,reditu interclusi & in itinere ad unũ ferè omnes iugulati,ſui ſceleris pœnas fumum deflagrantis oppidi reſpectantes, iure merito dederunt. Hac clade nunciata perculſus Guiſianus, Vertoduno in Picardia copias reduxit, caſtriſq; loco delecto,ad Petrã pontẽ ſubſtitit. Poſt ingentẽ illã uictoriã,cũ Philippus nouis delectib.priores manus augeret,& in Arteſia copias in unũ cogeret: Angli numeroſam claſsem ex centũ circiter bellicis nauibus,& in his circiter decẽ militũ milia, præter nautas & epibatas,adornauerãt.Huc accedebãt XX Liburnicæ uaſtæq; naues bellicæ,ex Oceani oris,q̃ Philippo parent,euocatæ: q̃ ob uaſtitatẽ arciũ inſtar erant, Britannicis collatæ:ſed in nauigando illis tardiores. His uirib. cõiunctis Idib.Quint. Angli ab ulteriore Britannia.Coro uẽto(q magnã partẽ tẽporis illic flare cõſueuit) ꝓuecti,Cãtio naues ſoluerũt & pleniſsimis uelis ad Armoricas ciuitates in obiectæ inſulæ orã hoſtili ui adnauigarũt portũq;, cui Cõchulæ nomẽ eſt,occuparũt parteq; copiarũ in cõtinentẽ expoſita,incẽdijs & excurſionib. maritimã orã & uicina caſtella uaſtarũt.Ad hũc inopinatæ excurſionis tumultũ, Cherſimus nobilis Gallus excitus,circiter 9 millia hominũ tacitè collegerat:& incõpoſitè temereq; uagantib. Anglis occurrerat.Illi cũ in litorib.paſsim oberrarent,aut in gurguſtijs deliteſcerẽt,in umbriſq; dumorũ apricarẽtur,nõ modò hoſtis conſpectũ nõ tulerũt, ſed ad nauiculas,quæ in ſummis uadis ad palos in arena deligatæ ſtabãt,præcipiti fuga cõtendere cœperũt. Ita nõ multò tempore Angli in Britonib.cõmorati,paucis dieb.leui flãte Africo è cõtinenti ſoluerũt,& ad eoſdẽ portus,ex qb.erãt nõ multò ante egreſsi, magna tẽpeſtate iactati appulerũt. Philippus interea cũ in Atrebatũ ciuitate eſſet,belloq; totus uacaret XII Cal.Septẽb.in caſtra ꝓuenit,q̃ ſeſquimilliario à Dorlente Fraciæ ditionis oppido iam aberãt.Erat eius exercitus peditũ ad tricena millia,æquitũ dimidio minus:hiſq; tot et tãtis militũ copijs ſtipendiũ plenè erat perſolutũ.Cuius omnis militiæ pars tertia ferè ex Germania ſuperiore cõſtabat:reliqui erãt ex inferiore & municipali Belgio collecti:minima pars Hiſpanorũ erat. Gallus cõtra ad Petrã pontẽ cõflatũ itidẽ exercitũ habebat,meliore ex parte ex Germanis mercede cõductis & Heluetijs. Secũdæ partes erãt Gallorũ:minima acceſsio ex Italicis cohortib.fuit.Gallorũ hoc maximè ꝓprium eſt,ut ubi aliquid ſiniſtrè euenerit,nõ modò timidius ſe fortunæ iterũ cõmittant:

Prælιũ al Grauelingam.

Anglicana claſſis Armoricas ciuitates uaſtat.

ſed plane obſequātur & aliquādiu locū dēt. Itaq; rex Gallus, etſi p̄potentem exercitū
habebat, q̄a tamen recētiſsima clades Grauelinga uulnus illud quod ſuperiore anno
ad Sanquintinū acceperat, refricabat: pedē tertiò collaturus ægerrimè uidebatur: ſo-
lūq; ſūma obſeruatione hoſtis id agebat, ne q̄ is ſuæ ditionis urbē inuaderet aut op-
primeret. Ob id ꝑ Ambianorū agrū iter faciēs cū omnib. ſimul copijs Somonā tranſ
miſit, & ſecūdū eius ripā Aquilonarē caſtra Philippianis caſtris oppoſuit. Nā paruo
inde interuallo Philipp9 ꝓpè Auſtralē ripā Auctiæ fluuioli, cōmodæ ęquationis cau
ſa cōſederat. Quo loco dū caſtra utriq; militarib. operib. cōmunijſſent, lētū ſanè bellū
diuturnūq; negotiū futurū uidebatur: & quanq; interdū leuib. prælijs ad exercitatio
nē militarē ſit certatū: nunq; tamen ſūmæ rei periculū eſt factū. Interea reges imaginē
rei totius cōſyderādo: ſi omnib. uirib. cōcurriſſent, ex eo cōflictu Rēp. Chriſtianā tāq;
fulmine cōflagraturā ꝓuidebant: & q̄niā ſui exercitus robur ex peregrinis bellicoſiſ-
ſimis gētib. cōſtaret, ciuitates ſuas exteris prædæ, futuras diuinabāt. Itaq; ad cōmunē
ſalutē reſpiciētes, cōfirmatis tandē rationib. ad pacificationes rē deducere cōſtituerūt
legatiq; ea de re primò Inſulā, deinde Cerecāpū, tertiò ab Dorleote miliario, miſsi ſūt.
Interim commeatus inopia exercitus laborare & ob Autumnales tēpeſtates, impēden-
tēq; hyemē nō optimè habere cœpit. Eā ob rē exacto Octobri melior pars militū ca-
ſtris exceſsit: quib. Nouēbri ſtatim ſecuto miſsio data eſt, ita tamē ut delectū aliquem
certū Reges præſidiorū loco ſibi retinerēt, in hybernisq; diſponerēt. Interim dū de pa
cificatione in ſupradicto cōuentu ageretur & ſola Caletū cauſa ſcrupulū inijceret, cu-
ius rei edictū è Britānia ꝓpediē expectabatur: reb. futuris incōmoda Reginæ Angli-
canæ mors nūciata eſt q̄ tū cauſam publicā ſperatæ pacis nōnihil perturbauit. Extin
cta aūt eſt *XV* Cal. Nouēb. Circa eadē tēpora Magiſter eqtū ea lege remiſſus eſt, ut bis
centena millia aureorū redēptionis nomine pēderet. Iā antea quoq; maximū natu fi-
liū apud Terouanā captū appenſis q̄quaginta aureorū millib. redemerat. Deinde cō
flictu Sanquintino, accepto in femore graui uulnere, ipſe cū duob. filijs captus, quin-
cuncē ſupradictæ pecuniæ perſoluit. Venit itē paulò poſt in Philippi poteſtatē Am
miralis eius nepos & cū eo affiniū ac ꝓpinquorū nō pauci. Ita ille cōſultor ſuaſorq; ca
lamitoſi belli, ſuo capiti non minimū mali aſſuit: eoq; magis quòd ad rei familiaris ia
cturā exiſtimationis diminutio & famæ dedecus acceſsit. Eò grauius. n. in Sanquinti
na illa clade erraſſe uidebatur, quò maiorē acutiſsimi ingenij, prudētiæq; opinionē in
Gallorū animis antè impreſſerat, quē ſerpētis oculū habere uulgū ipſi iactitabāt poſt
miſsionē Magiſtri equitū, Ammiralis quoq; pactis 50 millib. aureorum, eſt dimiſſus.
Anno ſequēte, qui fuit 1559, ad *XI* Cal. Feb. Lutetiæ Carolus Lotharingicus, Claudiā
Hērici regis filiarū alterā in matrimoniū duxit. Secuto ſtatim Feb. ad Cambreſiā arcē
q̄ ſexto à Cameraco miliari diſtat, Hērici & Philippi cōtrouerſiæ diſceptatæ atq; con
poſitæ ſunt: Sed unus tātū nodus ſuper Caletū ſtatu reſtabat, quos Philippus Britan
nis reſtitui omni ratione petierat. Quæ diſputatio cū refelli ſine iracūdia uix poſſe ui
deretur: & qua nō cōceſſa, nulla fortaſſe fuerat ſecutura cōpoſitio: à regina Angliæ Eli
zabetha (q̄ hoc anno ad 17 Cal. Feb. in ſororis Marię demortuæ locū inaugurata erat)
nuncius interuenit qui afferebat, reginā cū Gallo pacē hac lege inijſſe, ut exacto octē-
nio Britānos in poſſeſsionē ueterē Rex reſtitueret: aut 500 millia aureorū penderet: &
eius rei quos regina optaſſet, quatuor ex nobilitate Gallica obſides daret. Ea ratione
accepta, cū cætera ſatis inter reges conuenirent, ad Cābreſiā optatiſsimā pacē 3 Non.
April. inter ſe legati fecerunt: ex quib. ꝓ Philippo erāt Albanus, Auraicus, Ant. Pere
notus Atrebatum antiſtes, Melitæus, & Viglius Zuichemus, uir equeſtri dignitate,
ideóq; à priuatis cōſilijs. Pro Gallo, erāt Cardinalis Lotharingus, Cōneſtablius, Mare-
ſchallus Sāctandreas, Aurelianus Epiſcopus & Laubeſpina à ſecretis. Atq; ita magna
omniū ordinū uolūtate bellū illud, quod ferè cōtinenter uiginti quinq; annis Auſtri
aci cū Gallis geſſerūt, cōpoſitū eſt; ad cuius ſtabilimentū & ad iniuriarū ſuperiorū ob
liuionē ſanciendā, Philippo Iſabella Galli regis filiarū maior natu 11 annorū, cū dote
CCCC. Mille aureorū: Allobrogi uerò Margarita regis ſoror, quæ præter dotē CCC mil
le aureorū, ducatu Barrēſi uteretur frueretur, deſpōſa eſt. Atq; hæc pacificatio eò ma-
iore cū uolūtate duorū illorū Principū coibat, quòd iā per omnē ferè Hiſpanā & Gal
liā atroces de religione Chriſtiana cōtentiones exarſerant, quæ nō obſcuro argumen
to pleriſq; ciuitatib. anſam præbebāt, ut in officijs uacillarent claudicarentq;. Et ipſe
Henricus iam antea Edicta, à patre Franciſco contra Lutheranos promulgata, ſub in
cudem reuocauerat, & ad uetera de ſuis etiam quædam adiecerat. Verùm tanta mo-
les curarum ex regni ſtatu & bellicis tumultibus tum incumbebat, ut ea quæ propo-
ſuiſſet, pro ſua uoluntate & arbitrio exequi non potuerit: donec pace cum Hiſpano
confecta, ſanguinolentas manus & bellico cruore aſperſas abſtergeret, ut ocium in-
terim carnificib. daretur, qui liberè miſerā Galliā omni genere ſuppliciorū inundarēt.

Quæ

Quæ cùm tacitè adminiſtrarentur, multiq́ eorum conſiliorum conſcij, bonis ſpebus ſatiarentur, pingueſceretq́: interim Albanus, à Philippo in Galliã, ad petendã honorifica legatione ſpõſam, delecta cũ nobilitate miſſus: & Allobrox ſuã itidẽ ſpõſam petiturus, magna cũ põpa Lutetiã ingreſsi & à rege excepti ſunt. Non ſegnius interim rex negotia religionis perurgebat, qui quòd eo tẽpore nuptijs celebrandis Palatium deſtinatũ erat, ad X. Iunij curiã apud Auguſtinianos fraterculos coegerat. Ipſe Carolo Lotharingo Cardinale, & ſatis magno numero Equitũ ordinis comitatus, Mercurialẽ eũ conuentũ acceſsit. Mercurialẽ uocãt, cũ omnes curiæ cõgregantur, quod non niſi magnis de cauſis, quæ alioqui niſi tali couẽtu expedire nequeũt, fieri cõſueuit: in quo ſenatu omnib. liberè ſentẽtias dicẽdi ius & facultas eſt. Eò cũ rex perueniſſet, ſtatim præſentiæ ſuæ cauſas aperit oſtẽditq́ ſe duab. de cauſis intereſſe his deliberationib. uelle, primò ut cognoſceret, cur quatuor Lutheranæ religionis homines, qui adhuc in ſua opinione pertinaciter perſiſterent, uinculis liberati per curiã eſſent: deinde cur edictũ à ſe cõtra Lutheranos editũ, nondũ ꝓmulgaſſent. De his duab capitib. rex ut uidebatur, æquo animo differentes erat auditurus: inter quos Burgus cõſiliarius nihil eorũ quæ ad priorẽ partẽ pertinebãt, omiſerat: quod uerò ad illud edictũ attineret, ſe nequaq́ autorẽ eſſe dicebat, ut id promulgaretur: ſed potius ut tã exquiſita ſupplicia tãdiu differretur, donec aliquo generali cõcilio ſatis maturè, ut res tãti momẽti requireret, illud negotiũ diſceptatũ eſſet. Sed Rex ira furoreq́ percitus, cõſiliarios e ueſtigio captos, Ludouico Mongomerio, cuius pater celerũ Scotorũ præfectus erat, cuſtodiẽdos tradidit, qui Burgũ cũ alijs quatuor ad Baſtillã D. Pauli parochiã in uincula & cippos cõiecit. Interim cõparatis inſtructisq́ theatris & ſcenis, Iſabella, ad ſummũ Pariſiorũ tẽplum, Rege & Allobroge utrumq́ latus claudentib. eſt deducta. In põpa inter faces tibiasq́ nuptiales, Albanus pronub. præibat: hunc mater ſponſæ regina Galliæ, & Margarita Allobrogi promiſſa comitabatur. Spõſam Scotiæ regina, Delphino ante ſemeſtre nupta, cũ duab. puellis ac ſororculis ſponſæ, ſequebatur: hæ loco miniſterij, lacinioſæ ueſtis, quã ſpõſa trahebat, diffluẽtes caudas & ſyrmata ſolo ſubleuabãt: Aliquo deinceps interuallo Delphinus, rex Scotiæ, cũ trib. fratrib. ſuccedebat: quorũ omniũ ueſtigijs nobilitas uniuerſa, curia, ſenatores & penè infinita hominũ cuiuſuis ordinis multitudo inſtitit. Hoc modo, Albano ſpõſum nomine & facie tenus repræſentãte, indiſſolubili uinculo ſpõſa marito Philippo per Pont. Vrbanũ eſt cõiuncta. Poſtridiè ſtatim ab imaginarijs nuptijs, Rex ad ſingularia certamina & decurſiones equeſtres multò ante in familiæ luctũ & Frãciæ funus inſtitutas, ſe cõuertit: nihilq́ ſibi reliqui fecit, quominus hilares illos dies ſibi ſumeret, quib. filia Iſaſabella in matrimonio regis Hiſpani ſpectari deberet. Itaq́ die 28. Iunij carceres aperti ſunt, ipſeq́ Rex inter primos ſpectabilis cũ Frãciſco Lotharingo duce Guiſiano, Alphõſo Aeſtenſi Duce Ferrariæ affine ſuo, & Iacobo Allobroge Duce Nemurci uiſebatur. Cum igitur decurſionibus iſtis, prouocato fortiſsimo quoq́ totius Europæ equite, haſtas forti lacertorum connixu torſiſſet: tandem ex laſsitudine & totius corporis immodica iactatione, tertio ludorum die artus quodammodò dormire & obſtupeſcere animaduertit. Quod cùm coniunx regis ſentiret, blandè obſecrabatur maritum, ut eo die decurſionibus abſtineret: Enimuerò honori ſuo, præteritis laudatiſsimis duabus decurſionibus, quibus tot & tales uiros equitesq́ defatigaſſet ac uiciſſet, abundè cumulateq́ ſatisfeciſſe. Id quod Regina tum quidem enixius orabat, quòd in ſomnis eadem nocte uiſa ſibi fuerat regem uulnere confectum, & exanimẽ uidere. Antea quoque Gallicus uates occultè pronunciarat, fore ut ad uitæ regiæ periculum illæ ludicræ decurſiones ſpectarent: id quòd iam popularibus quoque ſermunculis non obſcurè iactabatur: & eo etiam die mane familiariſsimi quiq́ admiſſionalium regem, cum eum ex continuo præteritorum dierum labore defatigatum repeiſſent, dehortati erãt, ne tertiũ ludis ſe cõmitteret: ſatis.n. ſuperq́ priorib. duab. eius contentionib. uniuerſo equitatus ordini palmã laudis & gloriæ præreptã uideri. Sed rex neglecto ſuorũ cõſilio, ſomniũ quoq́ uxoriũ & oracula contẽnens, luctuoſo omnia exitu comprobauit. Armatus.n. & generoſo equo uectus, in arenã ſummo cũ ſplẽdore deſcẽdẽs duab. amplius horis ſumma cõtentione atq́ ardore egregiè decurrit. Cumq́ pauci adhuc in eqs haſtas uibrarẽt. quòd eo die finis huiuſmodi decurſionum futurus erat, Rex Mongomerium, Hordei Scoti prætorianæ cohortis præfecti filium, à quo ſupra conſiliarios regios in uincula cõiectos diximus, quiq́ eo fortè die mãdata acceperat q̃ ſtatim finito ludicro certamine cõtra Lutheranos expediret, nominatim ꝓuocauit. Is dũ impata facit, ad tubarũ clãgorẽ eq admiſſo occurrẽtẽ regẽ magna ui excepit. Verũ cũ cuſpis haſtæ in regiũ pectoreduro brachio impactæ in multas minutiſsimas particulas & ramẽta diſsipata in ſublimẽ ferretur: ſimul cũ ictu uiolẽtæ impreſsionis acies trũci, quæ adhuc preſſa manu tenebat Mõgomerij, galeæ regiæ ocellũ) ita.n. appellãt anguſtã illã foraminũ διάφαξιν, quib. armati eqtes à lumine undiq́

Nuptiæ Iſabelæ cũ Hiſpano.

Rex Henricus in decurſione equeſtri letaliter ſauciatus.

diq; circūcluſo,rudiū uiſus certius dirigūt iaciūtq;) offēdit neſcia qua incuria apertū. Itaq; ſubleuato eo ocello(quē rex quòd ab illa concurſatione, finē facere ſuarū decurſionū uolebat,obditis clauiculis præcludi nolebat)per aduerſum galeæ hiatū, ſeu labrū,Mongomerius dextrū regis oculū ita confodit,ut contus cerebro hęſerit. Quo letali uulnere accepto, priuſq; ſemiuiuū animus deficeret, certatim admiſsis equis occurrētes equites ſuſtinuerunt, coniunctiſq; dextris ex ephippio & ſtapedib.(ſic.n.lunata ephippij cornua & hemicyclos ferreos, quos pedib.equites induūt, noua uoce appellāt)ſuſtulerūt confeſtimq; detractis armis,in triclinio eſt depoſitus. Quo ſtatim undiq; accerſiti omniū expertiſsimi medici,mortē denunciarūt. Andreas quoq; Veſalius,in Anatomiæ omniū qui ad hāc ætatē uixerint,Medicorū facilè princeps, quē Philippus generē Belgio diſpoſitis equis & magnis itinerib. eò ad opē ſocero ferendā allato nuncio miſerat,cōſpecta plaga, ob teſtulas & cuticulā cranei perdolatas,cōcuſſaſq;,Chironiū(inquit)uulnus.Interea rex, ſi quādo paululū ſe remittebat dolor, grauiſsimè ſuſpirabat,dolebatq;,ſe fortunę ſumma iniuria in lecto deſidioſa iſta morte occūbere:quādo ſemper aut in acie aut in memorabili quopiā cōflictu potius mori conſtituiſſet. Cū igitur grauiter ſe debilē ſentiret ac dolores ingraueſceret, nulliſq; adminiculis impendentis fati uim reprimi poſſe uideret:ad 9. diē Iulij nuptias, quæ octauo ab illo die demū celebrari debebant,inter ducē Allobrogē & Margaritā ſororem in turricula ſine omni pōpa cōfecit,quo in loco ipſe X.Iulij intra duodecimam & primā horā expirauit,eadē ipſa hora qua paulò ante X. Iunij ſuos conſiliarios in carcerē cōiecerat.In ea turricula circiter quindecim dies in tūba cadauer ſtetit: demumq; XI Auguſti, cū pōpa funebri ex turricula in ſummum tēplum Pariſienſe delatū & inde poſtridie ad phanū Dioniſij deportatū, dieq; ſequenti ſolēni ritu maiorū ſepulcro illatū eſt. Huius regis interitus, ſicuti ſplendida oratione Ludouicus Regius cōmemorat,plurimis ſignificationib. denūciatus eſt: Nā ut uxoriū illud ſomniū omittamus,cōſtat anno antè circiter Id. Maias ,ueſperi ſereno cœlo, uiſos ardere lōgiſsimis tractib.ſupra Lutetiā,maximos clariſsimoſq; ignes. Eodēq; anno Layæ celebri uico cōſpectū Autūno,ſummo mane grāde inſolitūq; cœlo lumē magnitudine amplæ trabis. Et ibid.4.Cal.Ian.aliqt pueros in ptorio ante oſtiū aulæ regiæ ſuos dominos ſub multā nocte præſtolanteis,ſolutis lapidib.quib. foris ad ſcalas nitebātur de loco ſuperiore in pauimentū decidiſſe,& partim luxatis fractiſq; mēbris: partim eliſis ceruicib.expiraſſe.Itē Cometē ſydus magna ex parte terrificū & regnis exitiale apparuiſſe ea æſtate,qua uidimus in Ambianorū et Atrebatū finib.uires Galliæ Hiſpaniæq; cōtractas.Magnū uerò illud portentū fuit,quòd eo ipſo die anteq; cōcurreretur,puer ſexennis qui ludos ſpectatū cum parentib.uenerat, uelut impos ſui flens clamitauit: Heu,regē uolunt interficere.Quendam etiā uaticinatū ferunt, regnaturū filiū maiorē intra decimumſextum annū, quæ uaticinatio confecta putabatur, cū reginā Scotiæ in matrimonium duxit. Deniq; Gauricus aſtrologus Italiæ celeberrimus obſeruata quinquennio antè ipſius genitura, perinde ac ſi hominum fata ſecundum conditiones ſtellarum diſponerentur , monuerat per literas, ut circiter unum & quadrageſimum ætatis annum uitaret duellum: aſtra minari uulnus in capite, quod uel cæcitatem uel mortem continuò afferret. Siue igitur præſenſio quædam & ſcientia rerum futurarum eſt, ſiue ſuperſtitione implentur animi, ad talia temerè credenda proni: communis certè fortunæ& humanorum caſuum memorabile exemplum, in quo ſe principes contemplari, & ad cuius cogitationem ſuas actiones inſtituere debeant, ne fortunæ flatib. ac ſucceſsib. ebrij , rebus proſperis efferantur,aut ſupra humanam ſortē quicq; ſapiant,quando Henricus hominis fortunā quodāmodò trāſgreſſus,pro feliciſsimo principe totius orbis,haud dubijs præiudicijs ſe numerabat æſtimabatq;: Nuſq; non ſuam magnificentiā oſtentans, & tanquā in arce proſperitatis ac extra fortunæ aleā iā poſitus,omnib.ſuis inſcriptionib.titulū ſummæ fœlicitatis præferēs. Sed huic tantæ proſperitati Deus frenū iniecit, quo ille ad cōmunium humanæ uitæ caſuū normā & regulā reuocatus,in ipſo ludo, in ipſis delicijs ac animi ſui affluentib.uoluptatib. ſuæ mortalitatis teſtimoniū ferre coactus eſt. Sed habuit rex ille ſuas quoq; præclaras dotes.In primis enim bellicoſus atq; magnanimus fuit, mira præterea comitate atq; ſermonis affabilitate, qua animos populariū conciliabat: iuſtus quoque ſanctus & religioſus. Ob quas uirtutes, ſicuti uiuū naturali amore proſequebantur Galli,nec niſi optimo erant in eū animo(eſt enim inſita ei genti & à natura tributa erga ſuum regem incredibilis quædam charitas) ita ſanè tenerrimè mortuum deplorarunt. Vnde ad multos dies luctum publicum uiduitas & ſolitudo eſt conſecuta regni & Francia omnis,in grauiſsimis angoribus & moleſtijs implicata iacuit, impendentium calamitatū tempeſtates præſagiens.Nam etſi tū ab externis bellis & tumultib. Gallia requieuit,in ſeipſam tamen uires ſuas poſtea conuertit: quorū omniū malorum initium & protaſis in Francīſcū ſecundum , epitaſis uerò & ſumma periculi in

Carolum

Carolũ incidit,ut audiemus. Reliquit poſt ſe Henricus liberos omnino nouẽ, quorũ ex coniuge mares quatuor, fæmellas tres: naturales uerò duos utriuſꝗ ſexus ſuſtulit.

Fuit omninò hoc tempus multorum magnatum exitu funeſtum, nulla alioqui peſte, luéue aut alia aliqua extraordinaria calamitate in uulgus graſſante. Quæ res occultarum cauſarũ ignoratione, in re noua admirationem plurimorũ auxit. Nã præter Carolũ *V.* duasꝗ eius ſorores Mariã & Leonorã (quæ regi Franciſco *I*, nupta fuit) præterꝗ Mariã Britannicam, Philippi Hiſpani uxorem, qui omnes ſuperiore anno (qui Philippo orbitatẽ quandam affinitatis & regni Britannici attulit) uitã cũ morte cõmutauerant: hoc anno 1559. Bona Sfortia Sarmatiæ regina: Chriſtiernus et Chriſtianus Daniæ, ac Henric. I *I*. Galliæ, reges: præterea duo Duces, Laurentius Priulus Venetus, & Hercules Areſtinus Ferrarius, cui filius Alfonſus ſucceſsit: deinde Pont. Rom. Paulus IIII, ordine quodam ſucceſsionis ita humanis exempti ſunt, ut eorum mortes propè connexæ & quodammodo conſectariæ fuerint.

FRANCISCVS II, REX *LIX. FRANCIAE.*

HEnrico ſecundo, Franciſcus filius natu maximus, Delphinus & Scotorum rex, natus annos quindecim, mẽſes quinꝗ, in auiti regni poſſeſsionẽ, legitimo hæreditatis iure ſucceſsit anno 1559. & ad *XV*. Cal. Oct. more maiorũ, ſed ſumptu, ob extenuatam ſuperioribus bellis Remp. tenuiore, Rhemis eſt inauguratus. Anno inſequẽte, qui fuit 60. poſt ſeſquimilleſimũ, cũ omni propè Scotia, partim aduerſus reginã uiduã, partim aduerſus præſidia Gallicana, tumultu ac ſeditione laboraret: Rex Franciſcus, qui ad ſuũ arbitriũ illud negotiũ reuocare uelle uidebatur, militũ aliquot cohortes, quæ interea ciuitatib. præſidia eſſent, eò traduxit: mox copias maiores quoꝗ ſubmiſſurus. Sed inſtitutũ Gallicanũ Elizabetha Britanniæ regina odorata, attentè circumſpecteꝗ ſibi præcauebat. Cumꝗ à Scotiæ regina, nuper Franciæ innupta, nomen regiũ cũ inſignib. præpropera prenſatione uſurparetur, unde regni ſui propinquas ciuitates Gallus inuaderet, meritò ſibi timẽdũ putaret, ad defendendã Reip. dignitatẽ animũ adiecit, ſtatimꝗ claſſem inſtructam miſit, quæ in uicinam Scotiã uela faciens ad fauces Tuedæ fl. ut occupatis illis anguſtijs, ex ea parte aditu inſulæ atꝗ continentis Gallica auxilia prohiberet, ſubſtitit. Letha nauiũ ſtatio ab Alatis caſtris (quæ eſt totius regni eius metropolis) paſsib. non amplius mille abeſt, quem portum natura per ſe firmiſsimũ Galli operibus ſic cõmunierant, ut nullo ingenio humano, nulliſꝗ uirib. capi poſſe uideretur. Huc quoque regina Elizabetha cõſcriptum ex omni Britannia firmum exercitum (cuius imperiũ ſummamꝗ autoritatem Norfolcus obtinebat) exacto propè Martio, cum præfecto copiarum Greio, uiro acri magnis itineribus contendere iuſsit. Adhæc Scotici exercitus fere 12 millia peditum ducebat, comes Haranes proregis Scotiæ filius. Quas copias ſimulatꝗ Greius ſuis coniunxit, terra mariꝗ Letha obſeſſa eſt. Hoc conſilio Britannorum cognito, Gallus tùm ex Armoricis ciuitatibus: tum ex Aquitania maritima; magnum numerum nauium inſtruebat, obſeſsisꝗ Lethanis ſubſidia comparabat. Sed hæc omnia grauiſsimis diſſenſionibus domi natis (ut poſtea referemus) difficilius, ſeriusꝗ confiebant: acciditꝗ ut, præterquàm quod tardiuſculè naues, quibus exercitum trãſportandum curauerat, è portubus egrederentur: etiam maritimi æſtus Oceani, Luna adulta maximi eſſent. Ipſaꝗ claſsis diurna nauigatione uix aliquantulum prouecta, noctu fœda tempeſtate coorta ita affligeretur, ut nulla Gallicarum nauium (quanquàm breuiſsimus eſſet tranſmiſſus) curſum temere aut inſulam capere poſſet: ſed exundante mari diu multumꝗ agitata, aliæ eòdem unde ſoluerant, referrentur: aliæ in ultimam Aquitaniam: quædam uerò magno ſuo cum periculo propius Cantabros & occaſum Solis reijcerentur: ſic ut uectoribus omnis facultas aut adminiſtrandi aut opitulandi ob-



di obſeſsis adimi uideretur: Afflictis itaque nauibus, acceptoq́; maximo armamentorum & commeatus bellici incommodo, Galli cœpto deſtiterunt. Interea, qui in præſidio Lethæ agebant, etſi ab Anglis & Scotis obſidebantur, tamen, quia in ſingulas horas auxilium è Gallia expectabant, non modo fortiter obſidionem ferebant, ſed etiam diurnis nocturnisq́; eruptionibus hoſtem crebrò laceſſebant. Interea menſe Iunio regina Scotiæ uidua angoribus moleſtijsq́; domeſticis diſtracta, humanis exceſsit: fœmina dotibus animi ac uirtute rara. Cuius morte in Galliam perlata, Rex ualdè ſollicitus & multis ſimul difficultatibus implicatus, quòd inteſtinorum diſſidiorum malum, quo Gallia conflictabatur, externo longè eſſet periculoſius, nec quantumuis laborantibus ſuis apud Letham opitulari iam poſſet: id quod conſultiſsimum rebus afflictis fuit, menſe Quintili, reconciliata ſibi Britannica, in has pactiones deſcendit: Vt regnum Scoticum poſthac à proceribus regni adminiſtraretur, præſidia Gallicana ex inſula tranſmitterent, nec militem illum in Scotiam Gallis traducere liceret. Atque hoc quidem pacto Franciæ rex breuiſsimo temporis interuallo, tota cauſa uxoriæ dotis cecidit. Huic cumulus acceſsit, quod peruetus illa amicitia & mutuis officijs accenſa beneuolentia, (qua ad multa iam ſecula Francia & Scotia pace belloq́; familiariſsimè utebantur) in odium conuerſa ſit pernicioſum ac pertinax, diſiunctis rurſum duobus echinis, quorum ſymbolo rex hanc mutuam cōciliationem, duorumq́; regnorum conſpirationem ambitioſè denotabat.

Sed in aliud iſto Scotico longè maius diſcrimen ex occulta quadam coniuratione ortum, adduci tunc Francia uidebatur. Cui malo regis immatura ætas, rebus'que turbandis & quieti interpellandæ maximè ooportuna, occaſionem dediſſe non immeritò rectè iudicantibus uideri poſsit. Lex enim diuturna conſuetudine & communi totius populi conſenſu recepta ac ſtabilita, in Gallia fuerat, ut cum regni hæreditas legitima ſucceſsione ad eum, qui rebus gerendis per ætatem adhuc immaturus eſſet, perueniret: tum tres regni Gallicani ordines, nobilitas uidelicet, eccleſiaſtici & plebs inſtituto publico conuentu de regis adhuc immaturi gubernatione prudenter deliberarent, ita ut ad hunc conuentum regni totius adminiſtratio, ſed nomine & authoritate regia, ſpectaret: in eoqúe maximè honorificus locus eorum principum, qui è regis familia prognati eſſent, haberetur. Atque ad hunc modum Carolus ſextus lege à ſe ſancita & compoſita iuſsit, ut ſi prius ſibi humanitus aliquid accideret, quàm filio natu maximo Aquitaniæ duci, regni adminiſtratio Francorum legibus permitteretur: tum eius regni cura & tutela: nomine tamen regio ad hunc trium ordinum conuentum pertineret, ſpectaret'que. Quæ quidem ratio tum quoq́; obſeruata eſt, cùm mortuo Ludouico undecimo, Carolus eius filius annos quatuordecim natus ſucceſsit.

Itaque cum nuper Henricus ſecundus regnum Franciſco filio annos nato circiter quindecim reliquiſſet, Gallicanus populus eandem rationem conuocandi cogendi'que Senatus expectare, & maximoperè poſtulare uidebatur. Sed principes duo Guiſani, Franciſcus & frater Carolus Lotharingus Cardinalis, qui è familia Lotharingia Galliæ inſerti ſunt, iam ante quàm rex è Nauarra in aulam perueniſſet, rerum modiperatores mandato regio conſtituti erant: quorum ille belli ſummam penes ſe teneret: hic uerò iuridicundo & regni theſauris præeſſet. His rebus ita conſtitutis, ordinatisq́;, cur qui regni ordines congregari iuberent, non cum rege apertè inimicitias ſe gerere & ſe crimine læſæ maieſtatis polluere uiderentur: qui id maximè agere, eò tendere ac ſpectare exiſtimari poſſent, ut ſi ſemel facultas conuocandi Senatus ſibi traderetur, facilè poſtea ſuo ſub imperio Regem ita retinerent, ut illi præter nudum titulum, principe dignum nihil relinquerent. Denique cur non uiderentur apertiſsimè regis prudentiæ illudere & inſultare, qui iam eius ætatis eſſet, quæ rebus gerendis, imperio'que adminiſtrando matura & habilis inueniretur. cùm præſertim huius ſui arbitrij, iure quoque publico pleniſsimam poteſtatem haberet. Cùm ius ciuile Gallorum regibus ſuis, etiam adhuc intra legitimum tempus conſtitutis, uirilem togam ſumere, regnumq́; adipiſci & αὐτοκράτορες, ſuiq́; iuris eſſe, modo conſilijs ordinarijs utantur, magna æquitate permittat.

Cuius rei luculentiſsimi teſtes (præter hiſtoriarum monumenta) antiquiſsima diplomata, edicta & Senatuſconſulta Galliæ extent: quibus conſtet, exploratiſsimumq́; ſit reges Gallos ſtatim ab anno quatuordecim, ſuæ tutelæ cenſente Senatu ſæpè eſſe redditos.

Quæ conſuetudo, Solomonis, aliorum'que Hebrææ gentis regum exemplo confirmata, in hæc uſque tempora apud Hiſpanos, Luſitanos, Belgas, aliosq́; potentes populos uigeret & conſeruaretur. Hinc igitur prima mali labes & fons ac origo tot concertationum & miſerarum inſequentis temporis calamitatum.

Ea enim re principum aliquot animi, quorum antea in arbitrio, & poteſtate res regni ſitæ erant, adeò exacerbati, incenſiq́; ſunt, ut hanc regni adminiſtrandi rationem, quæ ſibi prorſus contra rationem ab extraneis & peregrinis, ac omninò illegitimè fieri uideretur, nullo pacto ferendam eſſe publicè teſtarentur: ac horum tanquam nouorum dominorum intolerabile iugum quàm primùm de uita ac fortunis ſuis & ceruicibus reijciendum excutiendumq́; dicerent. Interim ut rebus ſemel motis, & ad perniciem mutuamq́; exagitationem ſpectantibus uſuuenire ſolet, clandeſtinæ conciones fieri, & populi coitiones ac murmur oriri. Alij ſuam ſeruitutẽ, quam ſibi iam impendentẽ uidere uiderentur, deplorare: alij in Guiſianum nomen debacchari, illorum uerba factaq́; ſingula captare & ponderare: nonnulli etiam apertiùs de illorum conſilijs occultioribus cõiecturam facere, imò etiam audaciùs quidã pro uero affirmare, eos (quoniam à Caroli Magni familia, è qua Guiſiani ſe oriundos dicerẽt, ad Hugonis Capeti poſteros regnum translatum ſit) nõ obſcurè Gallicani imperij ἀξίωμα affectare: quod ut ueroſimilius eſſet, multi opportunas occaſiones & eorundem ambitionem, potentiamq́; qualem uix quiſquam principum aliorum haberet, commemorare & exaggerare. Accedebant & Cadmæi fratres, qui etſi ſibi rerum politicarum ſcientiã iure uendicabant, cuncta tamen diſputationibus exquiſitis, & callidis interpretationibus miſcebant: Itaq; magna tum cõtentione agitari cœptum: oſtenſumq́; adminiſtrationem eam regni Gallicani illegitimam, nec ullo ſolenni aut recepto iure firmatam ſtabilitamq́; eſſe. Primò, quod Rex ipſe per ętatem regno gubernando nondum idoneus eſſet. Deinde, quod ij qui ad rerum gubernacula ſederẽt, ſine legitima appellatione uocationeq́; contra leges, moresq́; regni adminiſtrationi ſe ingererent. Nullam itaq; eorum, quæ publicè ad regis iuſſum & conſtitutiones fieri proſcriberẽtur, rationem habendam eſſe. Nec enim rationabile uideri, ut ipſe pupillus ſibi tutorem cõſtituat, aut qui minoris ætatis ſit pro ſuo arbitrio ſibi curatorem legat, cum legitimè dari eos ex iuris formula præſcriptoq́;, & cuiuslibet populi more, fas uerumq́; ſit. Quod ſi hoc ius in priuatorum hominum perſonis & rebus ſeruari deceat, quantò magis id tuendum in rege, cuius in ſalute publici boni & communis tranquillitatis ſumma & ratio poſita ſit. Eò etiam minus ab hoc recepto more recedendum eſſe, quòd certum & exploratum ſit omnes retrò reges Galliæ, qui quidem in ætate tam immatura fuiſſent, eo iure uſos eſſe & liberali ac æquo animo legibus & moribus ſui regni ſe ſubieciſſe, ne tanta tamq́; auguſta Gallicani regni Monarchia, quæ meritò Chriſtianiſsima appellaretur, aliquo tempore commutaretur, aut in tyrannidem aliquam degeneraret. Cuius rei iam egregiè fundamenta iacere Lotharingus purpuratus tentaret, & publicè ſub ænigmate teſtaretur. Quid enim ea hædera, quæ pyramidem cõplexa ad ſummum eniti in ipſius ſymbolo cerneretur, aliud ſibi uellet quàm ut imperium Guiſianum in rege gubernando & ad ſuum arbitrium moderando, eſfloreſcens & perpetua ſerpigine latè repens, deſignaret? Quibus, quoniam propria autoritate ad regis tutelam ſe ingerant, & certos comitatus ducatusq́;, in quibus aliquid iuris ſe habere exiſtiment, quærant: legibus autem ciuilibus, qui curam aut tutelam affectent, tanquam ſuſpecti remoueantur: & qui aliquid iuris in pupillaribus bonis quærant, ab adminiſtratione arceantur: meritò omnis locus pręcludi, nec aditus ad regni gubernacula patefieri debeat. Suppetere omnium ætatum exempla, quibus manifeſtum ſit, ſæpe ſub tutelæ colore ac prætextu, inſidioſo officij genere aditum ſibi homines ad regnũ aperuiſſe: quemadmodum in Tarquinio Superbo, alijsq́; cognitũ ſit, maximè uerò memorabili exemplo Andronodori conuinci & monſtrari poſsit. Is enim ab Hieronę Siciliæ rege cum alijs XIIII. tutor Hieronymo filio relictus, ſimulata familiaritate & beneuolentia inſigni, conſilia inuadendi Siculi regni callidiſsima inſtituit. Quod ſi hæc noua regni adminiſtrandi forma permittatur, profectò nullum iſto præſentius Gallię periculum imminere: nihil eſſe quod cuiuſquã ſolitudinẽ atq; inopiam contra uim & gratiam, nihil quod ueritatem contra opes tueri amplius poſsit: nihil iam ſanctum atq; ſincerum in Rep. futurum, non ius par, non agendi poteſtatem eandem, nõ magiſtratum æquum repertum iri: eosq́; qui plus propter opes & potẽtiam poſsint, in eiuſmodi rebus potiſsimum uim ſuam experturos: cuncta proſtraturos, quoniam cuncta illis cum metu ſint coniuncta futura: in omnes ſæuituros, ut potentiores exiſtimentur: nec ullam tam tetram beluam eſſe, quæ eiuſmodi hominum rabiei in libera colla & altiſſimos ſpiritus ſæuiẽti comparari poſſit, cui nulla pœna ſatisfactura ſit, cum eũ in quem ſua indignatione incurrit, odio habeat execreturq́;. Iam quæ ſpecies, quę imago eius Reip. futura ſit, in qua omnia rapinis fœdabunt iſtæ harpyiæ: in qua plurimi emiſſarij & ambacti inuenientur, qui clam perueſtigabunt, ſi quid uſquam precioſi pulchri'ue ſit, & quæ quis feraciſſima latiſundia habeat, ut cõfeſtim fictis accuſationibus per ſubornatos calumniatores colore aliquo iuris, his priuetur: ubi illi

iudices ipſi futuri ſint, qui in ſua manu omnia tam publica quàm priuata iudicia habeant: ubi ſubitis imaginibus repentinaq; felicitate adulatores adeò florere cernētur, ut qui modo uiliſſimis officijs addicti erant, quiq; tabernis, gradibus, pauimētis purgandis præſtare operam ſuam ſolebant, iam purpurea chlamyde, aureis fibulis, baltheiſq; ornati ingreſſuri ſint: cùm ueteres opulentæq; familiæ ad incitas interim redigentur: ubi deniq; ſciet ipſe rex harum rerum nihil, ut qui omnibus libellis edictiſq;, quæ modo horum nomina præ ſe ferent, promiſcuè ſubſcribet: nec quicquam curabit, habebit'ue, niſi quod ex eorum autoritate illi licebit: donec tanta indole partum Galliæ regnum, alienorum hominum fraude eneruatum debilitatumq;, in procliue detur, euertaturq;.

Hæc & eiuſmodi multa ab utraque parte circa ea tempora publicè ſparſa fuêre & agitata: eodemq; momento quo Rex Amboſæ de ſumma rerum, euocata eò curia, deliberabat, ſimul Gallicanus populus coire, ac de duce, cuius auſpicijs rem gereret & ſe ab iniuria defenderet, communi decreto conſenſu'q; deliberare cœpit. Ad id munus maximoperè idoneus uiſus eſt, quidā Renaudius nobili familia ortus, qui ad XXX bellicoſos duces, quorū conſilijs niteretur, circum ſe habebat. Inter eos uerò qui huic inſtituto adhærebāt, nomenq; dederāt, quamplurimi, qui doctrinæ Euangelicæ profeſſionem ſequi ſe affirmarent, numerabantur. Qui etſi (ut tum editis libellis ipſi de ſe prædicabant) non ea de cauſa, quòd humanis uiribus religionē defendere, aut contra Regem quicquam moliri, ſed quòd politicum & ciuile negotium ad uindicādum regni priſtinū decus & uetera inſtituta, leges, & conſuetudines reuocandas, ſuſcipere cuperent anniterenturq;, arma ſe ſumere & ad ſaga ire profitebantur: tamen his haud inuitis, imò optantibus hæc moueri uidebantur, quòd ſimul ſpem conceperant, fore ut ſtatus regni aliquando numero legitimo conuenirent, quibus confeſsionem ſuæ fidei ſcriptam proponerent, quorumq; moderatione rebus ſuis duris anguſtiſq; aliquā laxationem conſequerentur. Et iam paulo antè plena ſpes proſperi ſucceſſus obiecta erat, quòd anno ſuperiore, menſe Iunio, cùm adhuc Henricus in uiuis eſſet, per conſilium Mercuriale, res eò deducta fuit, ut minimū abeſſet, quin quod ad religionis contentionem attinet, utrinq; tolerabilibus conditionibus ad ſtabilem optatamq; tranquillitatem, tranſigeretur: niſi quorundam importuna interceſsione id tum interruptum fuiſſet, ſtatimq; aliquot ex ijs, quos tum in conſilium ſibi aduocauerat Rex, in uincula coniecti eſſent, ex quibus Burgenſis quoq; Senator, 24 die Decembris, hoc anno LX, ad palum deligatus, igniq; exuſtus eſt. De horum tumultuum initijs, cum ad curiam crebri & non belli rumores perlati eſſent, Rex, id quod erat, ueritus, ne cum ruinæ luculento periculo ad Turſium (quod municipium Amboſa iter unius diei abeſt) aliquid turbarum ſe cōmoueret, eò Xantorem ampliſsima familia natum, hominem, cum armata manu extruſit: ut quos rumores excepiſſet, ad ſe quam primum referret, & ſi opus eſſet, ſuborientē ſeditionem reprimeret. Qui cùm in agro Turſienſi & finitimis pagis menſe Martio inconditum militem à Renaudio ſub Amboſæ mœnia, ubi Rex cum Guiſianis conſultabat, præmiſſum, nullo ſigno, nullo duce, nullo ordine uagari didiciſſet, ſtatim duodeuiginti ex his comprehenſos in uincula coniecit. Moxq; mille non ampliùs paſsibus à ſuburbio captus Baro Caſtelnaus, cum XXII. alijs in cuſtodiā traditus eſt: & cum eo præfecti cohortium circiter duodecim. Nec ita multo poſt regiorum equitum ala, pedites circiter trecētos, qui Amboſam rectà pergebant, ex inopinato adorta, in fugam cōiecit, & ad octoginta ex ipſis cepit. Qui omnes Amboſam perducti, partim gladio puniti, partim de feneſtris ſuſpenſi ſunt. Quo ipſo tempore, ſubito morbo cōſternatus Oliuarius ſcribarū rex, magna cum indignatione animiq; dolore miſerè uitā finijt. Renaudius uerò ſummo mane cum quingētis ferè equitibus ad portā adequitauit, ut ea occupata, arcē ſimul caperet. Sed in hos Pardillano cum regijs ſatellitibus immiſſo, tumultuaria dimicatione certatū eſt, in quo cōflictu cum Pardillanus infeſtam contra Renaudiū bombardā explodere uellet, pulniſq; quo globus excutitur, ignē non cōciperet: à Renaudio duobus gladijs ictibus in dextrū latus adactis cōfoſſus cōcidit, ipſe uerò à Pardillani ſatellite, globo traiectus interijt. Atq; ita illud inceptū Amboſianū ad exitū perductū tum minime eſt: utcūq; callidè & diſſimulāter omnia ad ultimū uſq; geſta & adminiſtrata ſint. Hoc igitur tumultu repreſſo, Rex ſtatim edixit, ut deinceps ex præſcripto Pontificiæ eccleſiæ uiuerent, qui huius ſui errati ueniā impetrare cuperēt: ſed cum ſolito plures libelli ſupplices quotidie Regi in manus darētur, crebrioreſq; querelæ ad Curiā deferrētur: nouæ cōiurationis ſuſpicio enata eſt, iactantibus quibuſdā hoc ſupplicandi prætextu, meditatè ac artificioſè occaſionē opprimēdi regios captari, cum præſertim quidā extrinſecus ciuili ueſtitu tecta intra tunicam arma celarēt tegerentq;. Itaq; Rex omnibus modis ante prouidendū ratus, quàm Amboſam denuò irati accederēt, acrioribus edictis audaciam

Tumultus Amboſianus.

Ad Turſiū urbem, Hugonotorum nomen paulo antè hūc tumultū primò auditum, & à porta quadam urbis huius, quæ porta regis Hugonis appellatur, iuxtà quam Euangelici ſua conuenticula celebrabant conflictū eſt. Ita occaſione loci populus admonitus, Hugonotos hos appellauit: nouūq; nomen ab aulæ regiæ ſatellitio receptum, poſtea in contumeliā hæſit permāſitq;.

audaciam tumultuantiũ coercere decreuit, Maioq; menſe S.C. tulit, ut ad uetera offi-
cia Gallicanæ eccleſiæ proceres redirent, latentes abditaſq; hæreſes inquireret, erutas
& detectas iudicarent corrigerentq;: his ne magiſtratus politicus intercederet, niſi ſi-
quando opem eius collegiũ ſacerdotũ imploraret. Tandem Rex ſoluto cõuentu Am
boſiano & præſentibus procellis feliciter ſubductus, menſe Sextili ad Abelleium fon
tem indicto concilio, omnes in uniuerſum ſui regni proceres conuocauit, ut de ſum-
ma rei publico in Senatu ageretur, & perturbatiſſimæ ciuitates, ac controuerſiæ reli-
gionis, quæ tum mirum in modum turbata eſſet, componerentur. Nam indies illa cõ
tentio de fide Chriſtiana ingraueſcebat, & recens Rotomagus Normannorum caput,
à Pontificis religione diſceſſerat. Coacto igitur Senatu Rex & Regia mater obnixè
Gallicanam nobilitatẽ orare cœperũt, ut extremo tempore in negotio urgentiſsimo,
& ingruentiũ rerum turbulẽtiſsimis tempeſtatibus, laboranti patriæ, afflictæq; Reip.
conſulerent. Tum uerò aſſurgẽs Ammiralis, ſupplicum libellorum faſciculum quem
Rotomagi à Gallicano populo acceperat, in eo conuentu protulit. Horum hæc potiſ
ſima duo capita erant. Primò, ſe non ſolum ob proximum Ambolanum tumultũ ex-
cuſabant: ſed etiam ſua officia, obſequiaq; omnia regi in poſterum deferebant. Deinde
cõmunibus uotis optabant, ut per Regem ſibi liceret Diuino uacare cultui, quemad-
modum eruditi atq; inſtructi eſſent ab illius diſciplinæ ſectatoribus, qui Euangelico-
rum nomen ſibi aſciuerant. Has preces cùm Ammiralis regi in manus traderet, inter
alia adiecit, ſibi petenti ſupplicum ſubſcriptiones, reſponſum fuiſſe, ut regem ſenten-
tiam prius rogaret, nunquid uellet ille à paucis ea ſcripta ſubſignari, an à quampluri-
mis: quinquaginta enim hominũ millia, ſi res poſtularet, mox nomina datura, nec gra-
uatim ſubſcriptura. Præter hæc, eam de cenſu regio, deq; ærarij rationibus diu mul-
tumq; ageretur: ſubductis in utramq; rationem calculis, æſtimatũ eſt, uectigalia, por-
toria, tributa & exactiones, deniq; onera ciuibus impoſita decies centenis millib. au-
reorũ & amplius ſuperare cẽſum Regium. Quibus de rebus nouiſſimè cõcluſum fuit,
ut cõuentus maximus uniuerſæ Galliæ (quẽ ſtatum uniuerſalẽ uocant) in proximũ
Decembrem Aureliam indiceretur, quò demũ difficile illud Reip. cõſtituendæ nego-
tium diligenter excuteretur: quadrageſimo aũt die pòſt, domeſticus cõuentus celebra
retur, ubi de cõtrouerſa religione diſceptaretur. Interea quæſtiones & tormenta, qui-
bus in eos, qui de religione ſiniſtrè ſentire exiſtimarentur, ſæuitum hactenus eſſet, in-
termitterentur, laxarenturq;: modò ne quis tumultũ palàm excitaret, aut ad arma con
ſternaretur, ſeditionem'ue alio quouis pacto clàm aleret. Interim rex Aureliam cõceſ-
ſerat, quò ille paulo ante regem Nauarræũ quoq; ſcriptis ad eum literis exciuerat. Nec
enim Caſtelnaũ, Renaudiũ, Mazereũ, Daininam, Brikenaudũ, alioſq; eius factionis
homines, qui ſibi Amboſæ manus inijcere, ſeq; unà cum matre & coniuge alijſq; ſuis
intimis & familiaribus regno eijcere tentaſſent: ſolos huius ſceleris architectos auto-
reſq; fuiſſe. Quamplures enim qui tormẽtis admoti ſint, & in quorum uitam & facta
inquiſitũ fuerit, pro certo & cõſtanter affirmare ſolitos, Principem Condæum regis
Nauarræi fratrẽ, huius cõiurationis participẽ cõſciumq; extitiſſe. Itaq; ſe petere à Na-
uarræo, operam det ut Condenſem regulum ſecum Aureliam, adducat, quò ſe de tam
infami cõſpiratione coràm purget, excuſetq;. Condenſis itaq; opinionẽ nõ bonam ſu
ſceptæ de ſe ſuſpicionis refutare cupiens, tenuiculo apparatu cum rege Nauarræo fra
tre, ultimo Octobris Aureliam eſt ingreſſus: ſalutatoq; rege & matre regia, impoſitas
calumnias ac maledicta quibus ſibi obtrectatũ fuit, ita à ſe depulit & per autorum iu-
gula redire fecit: ut pleriſq; ampliſsimũ ſuæ integritatis & innocẽtiç teſtimoniũ tuliſ-
ſe uideretur. Sed nihilominus cõtra expectationem opinionemq; omniũ, paulo pòſt *Condæus ca-*
captus & in uincula coniectus eſt. Quem cùm Cancellarius & huic adiuncti alij, cau- *ptus.*
ſam ipſius audituri diſceptaturiq; acceſſiſſent, is quòd ſe priuato conſilio minimè ob-
noxium diceret, ad regẽ ſupremũq; forũ prouocauit: Ob quam rem uix tandem perfe
ctum eſt, ut Condenſi permitteretur aliquos ſibi in conſiliũ aduocare, quorũ matura
prudentia & animaduerſione ad defenſionem ſuæ cauſæ uteretur. Qua in re princeps
Condenſis, coniugis ſuæ, fratriſq; Cardinalis Borbonij & Rochaſuryonis inſignem,
fidelemq; operam expertus eſt. Interea Rex, ex nato ſecundũ aurem ſiniſtram apoſte-
mate, XIX Nouembris in febrim incidit, ex qua cum grauiter laborare cœpiſſet, No- *Franciſci re-*
nis Decemb. die ex quo eum morbus corripuit, decimoſeptimo, extinctus eſt, cũ re- *gis mors.*
gnaſſet anno uno, menſibus v. Hæc inopina Regis mors Condæum uinculis exemit.
Nam ſtatim poſt eius deceſſum, liberiore laxioreq; cuſtodia fuit uſus: donec à Caro-
lo, qui fratri Franciſco poſtea ſucceſſit, ad fontem Abelleium euocatus, cauſamq; di-
cere coactus eſt. Vbi Roberteto defendente peroranteq;, anno 61 die XIII. Martij à
Rege (cui Regia mater, rex Nauarræ, Purpurati duo Turonenſis & Caſtillonenſis,
Mompenſerius, Rocaſuryon, Guiſianus, Conneſtabilis, Cancellarius Hoſpitalis, Ma-

reſcallus

reſcallus Andreas, Amiralis, alijq; plures aſsiſtebant) ab ijs accuſationibus, quibus grauabatur, liberatus, & in integrũ reſtitutus, ſuæ innocentiæ teſtimoniũ retulit inſigne. Ita illis, qui principi innocenti calumnias has impingere auſi erant, idem accidit, quod præclaris illis Alchimiæ procis & amatoribus, qui poſtq; in res incertas multũ temporis, nimiſq; magnũ ſtudiũ, & ingentes impenſas contulerunt: ad extremũ cùm ſe oleũ & operam perdidiſſe, & omnia in fumũ uertiſſe cõſpiciunt, cõſternatis animis ualde dolẽt, anguntur q;. Sed ut ad inſtitutũ reuertamur, Franciſco mortuo ſtatim magno funebri apparatu iuſta facta ſunt, & cor, uitæ ſedes, Aureliæ in ſummo templo inteſtinaq; apud Minoritas recondita: corpus reliquum ex ueteri cõſuetudine ad Dionyſij fanum maiorũ ſepulchro illatum eſt. Libet hic recordari perpetuam proximorũ quatuor regũ fortunam, qui omnes inde à Carolo VIII uſq; uno excepto Ludouico XII, qui uentris profluuio perijt, notabili & huic axiomati, quo fungebantur, quodammodo impari exitu uitam cõcluſerunt. Nam Carolus VIII, ut Cominæus Gallicus eques refert, cum eſſet Amboſæ ad Ligerim, & eos qui ludo paruæ ſphæræ in arce exercebantur, unà cum uxore ſpectaret, uarijſq; de rebus ſermonem inſtitueret, inter cætera dixit, ſe nihil facturũ deinceps quo Deum offenderet. Quibus uerbis pronunciatis, eueſtigiò correptus apoplexia concidit: amiſſaq; loquẽdi facultate, quo in loco collapſus fuit, per nouẽ horas donec è uita migraret, permanſit. Qui potẽtiſſimi regis exitus ideò fœdior fuit, quòd cum tam multa tamq; ſplendida haberet ædificia, in loco arcis uiliſſimo, quo urinæ faciendæ cauſa omnes confluebant, animam exhalauit. Franciſcus uerò primus ex ulcere maligno mortuus eſt, quod ei circa ſedem enatũ, ſerpendo ad ueſicæ penetralia peruadebat, & omnia humani ingenij remedia reſpuebat. Huic ſuccedens Henricus II in militari decurſione lethali uulnere ſauciatus, in maximis miſerrimiſq; doloribus uitam finijt: quem filius Franciſcus II mox eſt cõſecutus, peſtifero ulcere ſecundùm aurem ſiniſtram conſumptus. Quò magis miſeriam noſtræ uitæ cogitare lubet: quã tantis laboribus & ærumnis defatigati ac feſsi, quocunq; temporis momento Deus præceperit, deponere & poſſeſſione cedere cogimur. Qua in re, illud quaſi domeſticum & hæreditarium Galliæ reges habuerunt, quod inde ab Hugone Capeto uſq; quingentis ſeptuaginta ſex annis, nemo Gallicorum regum ſexageſimum annum ſuperauit, excepto uno Ludouico XI qui diebus quindecim ſextã ætatis decadem tranſgreſſus eſt. TAM GRAVIS VIDETVR ET INTOLERABILIS REGNI MOLES.

CAROLVS IX. REX LX FRANCIAE.

CArolus Maximilianus, Aurelianus, quem compendioſius Carolum IX poſtea appellarunt, in fratris locum, decem modò annos natus ſucceſsit: ſtatimq; popularem applauſum, gratulationemq; meruit. Nam præter uota, aliaq; quibus nouorum dominorũ imperia proſequi homines ſolẽt: ex nominis quoq; alluſione per anagrammatiſmũ conuerſi quidã ſpem ampliſsimã conceperant fore, ut per eum religio Chriſtiana deplorata & proiecta, ad priſtinum decus reuocaretur. Si enim Regis nomen Gallicis literis hoc modo ſcriptũ, Charles de Valois, tranſpoſitis elementis tanquam Cadmi dentes diſſeminaueris & traieceris, ita exquiſitè hæc Gallicani idiomatis uerba, chaſſa leur idole, enaſcentur, ut nulla litera nec redundet uſpiam, nec deficiat: quæ in Latinũ ſermonẽ translata eũ denotant, qui idola eijciat & exterminet. Hunc igitur in fratris locũ ſuffectũ, cùm recepta tutelarum iure, donec annũ XV attingeret, propter imbecillitatẽ cõſilij in tutorũ poteſtate eſſe maiores uellẽt: ex imitatione atq; exemplo ſuperiorũ temporũ æquũ, iuſtũq; uidebatur, ut hoc tutelari quaſi interregno, Regina mater rerũ interea potiretur. Sed cùm illud ius principes à ſtirpe regia oriundi, multis nominibus ad ſe ſpectare cõtenderent

Tutela Caroli IX.



derent: ne tempus litigioſa magis quàm utili diſceptatione fruſtra perperamq́; tranſmitteretur, cunctis ſuffragijs VIII uiri, quorum conſilio regis pueritia niteretur, ex nobiliſsimis Gallorum familijs hi creati ſunt, Rex Nauarræus, Purpurati duo Lotharingus & Turonenſis, Guiſianus Magiſter equitum, Mareſcallus Andreas, Briſſacus, & Cancellarius, rex ſcribarum: Ita tamen ut Regina in conſilio principem locum obtineret, nullo uel gubernatricis uel moderatricis titulo honorata. Ad hūc ordinem poſtea aſſumpti ſunt Borbonius Cardinalis Nauarræi frater: Mompenſerius, Rocaſuryon, Ambarrus & Condenſis Nauarræi itidem frater: mox quoque duo Mareſcalli Memorancius & Thermus, eòdem acceſſerunt, ita ut pro VIII tutoribus, quibus regis cura commēdata erat, numerus ad XV uſq; excreuerit. Ab his auſpicijs priuſquā ad inſequentia progrediar, neceſſaria mihi hoc loco excuſatio imbecillitatis mei ingenij uiſa eſt, & emerēdi fauoris apud æquos iudices ſtudium. Nam rerum deinceps geſtarum ſimplex nudaq́; ueritas, quam nunquam rectè imitari caſus ſolet, adeò inuoluta eſt & tenebris abdita, ut niſi aliquo Delphico oraculo, quod dici ſolet, inſtinctus accedas, ſæpiſſimè in cauſarum & aliarum circumſtantiarum explicatione à ſcopo diſcedas & alienas ſequendo ſententias, hiſtoriæ lumen Veritatem obſcures. Quibus accedit, quòd cum ex hac difficultate facilè ſe explicare queant, qui ingenia & mores principum penitus cognorint, mihi ne hoc quidem contingere potuit, ut regum aut ducum familiaritatem aut notitiam haberem, ex quorum uita, dictis ac factis deprehenderem, quorſum eorum conſilia ſpectarent, & quibus ex cauſis nata eſſent. Alterum incommodū eſt, quod quocunq; modo ſcripſero, uel parum dixiſſe uel nimium mihi indulſiſſe uidebor. Eſt enim in utranq; partem magna uis affectuum, qui ſæpius rationem præcurrere ſolent, & ex præconcepto aliquo iudicio ac corruptiſſimis opinionibus nati, mentem tranſuerſam rapiunt & de ſua ſede dimouent. Verùm cùm aliud ſcribere, aliud ſentire ſit, me nullius partis fauore aut odio diſtractum, ſola ingenij liberalitate hunc laborem cōciliandi lectoris non alienandi ſtudio, me ſubijſſe teſtor: breuiter, quæ ſuperſunt, attigiſſe contentus, donec tempus, cuius filia Veritas dicitur, certius aliquid & exploratius afferat. Nam ut nunc quidem eſt, hoc unum propemodum conſtat, quòd, ut Cicero de bello Pompeiano inquit, IN ALTERA PARTE SCELVS, IN ALTERA SVPPLICIVM EST. Verùm ut quòd propoſuimus, perſequamur: Regina mater ſuſcepto tutelæ onere, nihil maioribus uotis optare uidebatur, quàm ut res quæ religionis cauſa perturbatæ eſſent, placida pacificatione componerentur. Itaq; cum minimè duris, aut crudelibus edictis noui regis gubernationem, ne hominum animi ſtatim alienarentur, inchoandam putaret, querelis autem ac ſupplicibus cunctorum ordinum precibus ſatisfaciendum uideret: Edicto leni mitiq́; rem ſtabiliendam exiſtimauit, quod in conuentu ad S. Germanum in Laya ex autoritate regis Nauarræi, Principum de familia regis, & priuati conſilij, xvij Ianuarij anno 61 promulgatum, ex euentu poſtea Ianuarienſe eſt appellatum, de quo deinceps tanquam pro aris focisq́; VTRINQVE GLADIATORIIS ANIMIS EST CERTATVM. Eius Edicti hæc ſententia fuit. *Edictum Ianuarienſe.*

Etſi ſuperiore anno, ipſo Iulio omnia conuenticula, in quibus contra ueterem Eccleſiæ morem preces fierent & ſacramenta adminiſtrarentur, Edicto regis Franciſci prohibita ſint, tamen cum huic promulgationi multis in locis non obſcurè fraus fieret, placere regi, matri regiæ, alijsq́; proceribus mederi præſentibus malis & rebus Galliæ afflictis, ea uidelicet ratione, ut quicunq; ſectatores Euangelicæ profeſſionis, templa aut eorum reditus occupaſſent, cederent templis, reſtituerent ornatus & reliquias, in poſterum ab εἰκονομαχίᾳ abſtinerent, ipſi nuſquam niſi in ſuburbijs aut extra urbes ſuos conuentus celebrarent, in ijsq́; peragendis à nemine impedirentur, moleſtarentur'ue, neutra pars alteram iniuria afficeret, aut prouocaret, inter ſe amicè degerent, nemo arma portaret prǽter nobiles, quibus gladius cum pugione permiſſus eſſet, miniſtri Euangelici neminem in ſuum ordinem reciperent, cuius uitā moresq́; non perſpectos antea exploratosq́; haberent: ne excluderent à ſuis conuentibus regios præfectos, quò minus illis audire liceret, quam doctrinā profiterentur, nulla iudicia, nullasq́; ſynodos ſine uenia officiarij alicuius regij celebrarent, nullos magiſtratus, leges, aut ſtatuta, crearent, conderent, ne'ue tributa, collectas pecuniæ, uoluntarijs eleemoſynis exceptis, indicerent; leges politicas, præſertim eas quæ gradus affinitatum & conſanguinitatum ſanciunt, conſeruarent, colerent: miniſtri iurarent ſe non allaturos doctrinam cum uerbo Dei, in ſymbolis & concilio Niceno & in libris ueteris nouiq́; Teſtamenti expreſſo pugnantem, in precando nulla conuicia in Miſſas & ceremonias ab Eccleſia receptas iacerent, nulliſq́; ſe inuicem in concionando iniurijs afficerent, inuitis Dominis, paſtoribusq́; in nullo pago conciones peragerent, reum ſeditionis

ne quiſquam receptaret, nullos libellos famoſos ſpargerent, imprimerent'ue. Huic
conſtitutioni qui quę'ue fraudem feciſſent, ſciret regem hoc admiſſum aduerſus ſe ſe-
uerius executurum. Atque hæc edicti Ianuarienſis capita fuerunt: quod cùm pleriſ-
que gratum accidiſſet, multis tamen minimè tolerabile uideri poterat, qui hac ratio-
ne decus Romanæ Eccleſiæ, autoritatemq́; Pontif. maximoperè labefactatum iri au-
gurabantur. Nec uerò hanc rationem eſſe ſedandarum turbarum, ſed potius alenda-
rum hæreſum, quibus feneſtram aperuiſſet nimia indulgentia Regia, in quo nonnul-
la etiam culpa regis Nauarræi eſſet. Sequendum igitur ſe autoribus Edictum Iulij pro
ximi à Franciſco rege promulgatum, eijciendos omnes miniſtros, impediendaq́; con
uenticula. Quod ſi ipſis aliud uideretur, in eoq́; pertenderent, ſe malle ex conſilio di-
ſcedere, quàm huius ſententiæ autores fieri. Itaq; cum Regina ab hoc inſtituto ſe non
diſceſſuram ſignificaret, & humaniorem ſententiam ne res antea debiles, uehemen-
tius exagitaretur ſequendam putaret: Guiſianus communicatis cum Conneſtablio
& Mareſcallo Andrea conſilijs, è conuentu ſe ſubduxit. Hoc ſangermanico conſilio
Colloquium Poſsiaci. ſoluto, ad ix. Septemb. Pontificiorum & Euangelicorũ colloquium Poſſiaci per Re-
gem indicitur. Vbi eccleſiaſtici ordinis purpuratis, Archiepiſcopis Epiſcopisq́; Gal-
liæ circiter quinquaginta congregatis, Rex unà cum regia matre, fratreq́; duce Aure-
lianenſi & ſorore Margarita, Rege Nauarræo, Principe Condenſi, alijsq́; de familia re-
gia principibus & regni proceribus, ſuperuenit: & ad ſuperiorem partem cœnaculi,
ubi conuentus agitabatur, in cathedram ſeſſum iuit. Huic dextrum latus dux Aure-
lianus frater & rex Nauarræus claudebant: ad ſiniſtram uerò regia mater & ſoror re-
gis conſederant. Vtrinque ſecundum longitudinem cœnaculi ſubſellia erant, quibus
eccleſiaſtici conſidebant: ad dextram ſuprà purpurati, Turnonenſis, Lotharingus &
Caſtillonenſis, infrà Archiepiſcopi Burdegalenſis & Ambronenſis, alijq́; deinceps
Epiſcopi ordine, qui cuiq; uel antiquitate uel autoritate debebatur. Ad læuam, ſuprà
purpurati Armeniacus, Borbonius & Guiſianus, alijq́; Epiſcopi. Hos ingens nume-
rus Theologorum, aliorumq́; togatorum ſequebatur. Aſſidentibus igitur his, ſilen-
tioq́; facto, Carolus rex huius concilij cauſas breuiter aperit, eademq́; per regem ſcri-
barum dilucidius & pluribus repeti iubet: qui in ſcimpodio in inferiore cœnaculi
parte conſidens, omnes ad concordiam hortabatur, omnes ſubtiles & curioſas diſpu
tandi cauillationes prohibebat: & ne quiſquam tacito præiudicio alterum condem-
naret ſplendida & prolixa oratione monebat.

Turnonius itaq; purpuratus, qui in eo conuentu Eccleſiaſticis præſidebat, propter
ætatis prærogatiuam, & quòd purpuratorum collegij Decanus ac Franciæ Primas eſ-
ſet, primam ſententiam rogatus, reſpondit, ſe quidem paratum fuiſſe ſententiam di-
cere de his, quæ literis ijs quibus euocatus eſſet, ſignificata fuiſſent: ſed quandoquidē
nunc grauia quædam, de quibus antea certior factus non eſſet, proponerentur: hoc
quidem tempore nihil ſe dicere poſſe: aut ſi maximè poſſet, ſe tamen quicquam prius
dicere nolle quàm ad alios, quorum hoc intereſſet, referret. Itaq; rogare ut ſibi exem-
plum rerum, de quibus referretur, & deliberandi ſpacium daretur. Tum Theodorus
Beza Theologus in genua ſe demittens, & rege honorificè appellato, confeſſionem
fidei Euangelicæ edidit. Quo perorante, purpuratus Lotharingus Romanæ religio-
nis capita uiciſſim recitauit: ſtatimq́; totus ordo Eccleſiaſticus ſurgens & ad regem
conuerſus, ut in hac Cardinalis fide, quæ ueriſſima & indubitata eſſet, permaneret,
eundem hortabatur. Sub ea Beza à Rege petere, ut ſibi ad ea quæ Cardinalis protuliſ-
ſet, reſpondendi facultas daretur. Rex uel quòd nox ingruebat, uel quòd aliquid aliud
impediret, ut in aliud tempus paratus eſſet, iuſſit. Sed cùm negotium lentum uidere-
tur, Beza ſupplicem libellũ regi aliquoties porrexit, donec tandē ad xxiij Septemb.
à rege colloquium indictum eſt, ubi amica collatione duodeni ab utraq; parte inter ſe
diſceptarunt: ſed tandem re infecta utrinq; eſt diſceſſum. Sub id ferè tempus Valentia
in Delphinatu & Aurengia in Ducatu à Pont. religione diſceſſerunt.

Annus qui ſequitur M. D. LXII poſt uirginis partum, Galliæ maximè luctuoſus
& funeſtus extitit. Iam enim edictum Ianuarienſe multis in locis Galliæ, præſertim ue
rò in ipſa Vrbe regni capite receptum erat: iamq́; Guiſianus, qui ſub finem Nouem-
bris in Germaniam ad militem cogendum Tabernas Alſatię ſe contulerat, Iunuillam
erat reuerſus, quæ non multum Vacceo abeſt. Vacceum antiquiſſimum in comitatu
Campaniæ oppidulum, in limitibus ducatus Barrenſis loco amœno & fertili ſitum
eſt. In eo oppidulo poſt colloquium Poſſiacum, miniſtri Troia euocati, eccleſiam re-
formarant. Id cum ex matre alijsq́; domeſticis Guiſianus cognouiſſet, ultimo Februa-
rij cum fratre Cardinali. Iuneuilla egreſſus in uico Dammartino, qui oppido primus
erat, pernoctauit: poſtridie, ipſis Cal. Martij, cum fratre & ducentis ferè armatis

Vacceum

Vacceum ingreditur: ac quod is dies Dominicus erat, Euangelicos in quadam area diſciplinæ cauſa congregatos, immiſſis ſatellitibus profligat & diſſipat. Circa hoc quoque tempus Mottegrandrinus eques ordinis & præfectus Delphinatium aliquot pedites coegerat, quos præſidij cauſa Valentiæ imponeret: iamq; portas urbis occuparat: cùm Euangelici incommodi aliquid timentes, à uicinis Monlimardis, Romanis, alijsq; ſubſidium petierūt: Ipſi uerò xxv Aprilis ad octoginta numero, portam urbis unam ceperunt. Quo nunciato cognitoq; repente Mottegondrinus cum ingenti armatorum globo aduolat: oritur conflictus in quo Mottegondrinus repulſus, domumq; ſuam ſe recipiens, ibi obſeſſus & igni, qui iam ædibus iniectus erat, coactus, ſe ſuosq; dedidit. Horum alij alio mortis genere perierunt, ipſe uerò de feneſtra ſuſpenſus & ſtrangulatus eſt. His confectis, Euangelici Turnonem urbem ceperunt, arcemq; obſederunt. Nec minus Lugduni tum quoq; res turbulentæ erant. Nam ad xij Aprilis Pontificij pluribus in locis tumultuati, circiter duodecim ferè ex Euangelicis obtruncarant: & Nemurcius apud Allobroges Delphinatesq; exercitum conſcribebat. Pontificijq; cum præfecto urbis colludentes, duo uexilla præſidiariorum militum iam introduxerant. Quibus de cauſis Euangelici ſibi metuentes, ipſi quoq; ad ducentos armatos coegerunt. Illi portas urbis, pontem Araris, ac domum urbis, in qua arma & munitiones bellicæ erant, tuebantur: hi in ſuo templo ac ante macellum cuſtodias agebant. Interim ad xxvi Aprilis Mogeronus diplomate regio inſtructus, cum mandato ut urbis cuſtodiæ præeſſet, Lugdunum eſt ingreſſus: is poſtridie à prandio Valentiam proficiſcens, ut Pontificijs qui illic premebantur, ſuccurreret: cùm in itinere de morte Mottegondrini certior eſſet factus, conuerſis equis domum ſuam ſe cōtulit. Valentini interea Lugdunenſibus Euangelicis milites ſubmiſerant: ultimo igitur Aprilis circa tertiam uigiliam coitione facta & tota manu in tres cohortes diuiſa, præcipua loca, uiasq; urbis occupant, illuceſcentéque die domum urbis adoriuntur: unde conſtanter repulſi, in uicinum templum ſe recipiunt, conſcenſaq; turri multis & continuis plumbearum glandium ictibus, eos qui in urbis domo curabant, ad deditionem cogunt: abductisq; inde tormentis, continuò Funigerorum, qui ſe ab inſtituti ſui autore Franciſcanos nominant, templum, indeq; alia atq; alia, nullo excepto occupant: fratres omnes unà cum ſororculis omnibus undiq; ejciunt ac proturbāt. His tumultibus magiſtratus ſummoperè conſternatus, ualde laborabat, anxieq; circumſpiciebat, quo pacto res in tranquillū & tutum collocarentur: cuius rei una medicina uidebatur, ſi Euangelicis templa in quibus ſuos cōuentus liberè peragerēt, diſtribuerentur. Itaq; aſsignatis ultra citraq; flumen templis, ad iij Maij Euangelium Lugduni publicè doceri cœpit: ac paulo pòſt Baro Adretus Condenſis factionis cum delecta iuuentute urbem eſt ingreſſus. Interim Guiſianus iter continuans, Luteriæ ineunte Maio armatus applicat: eodem ferè tempore, quo Condæus quoq;, ut Guiſianæ factioni reſiſteret, ſe armarat, & in urbem aduolarat. Neutro igitur cedēte, urbs Pariſiorum duabus contrarijs factionibus & potentiſſimis ualde conſternata fuit. Guiſianus ſe à populo retineri cauſabatur, metuēte ne Condenſis, qui multa nobilitate comitatus eſſet, urbem diriperet: Condenſis uerò ut hanc de ſe ſuſcitatam ſuſpicionem cōfutaret, ſe paratum unà porta egredi dicebat, ſi Guiſiani altera exirent. Sed tandem cum à regina his malis ſanandis Luteriam Antonius Vandomius rex Nauarræus ſubmiſſus ueniſſet, Condęus uinci ſe paſſus cum ſuis urbe exceſſit. Vicêre igitur conſilia Guiſiani, qui ſtatim magnis copijs ad regem, ac regiam matrem ad fontem Abelleium eſt profectus. Condenſis Aureliam ſe contulit, quò multi ex principibus, nobilibusq; & omni hominum genere conſecuti, eundem impoſito ducis titulo principem ſuæ factionis conſtituerunt: interq; ſe contra Guiſianum, præfectum aulæ regiæ, Conneſtablium Memorancium, & Mareſcallum Sanctandream, tanquam contra Triumuiratum (ita enim poſtea appellarunt) ſtabile fœdus percuſſerunt: continuoq; fortiſſima quæq; loca & munitiſſimas quasq; urbes occupare & ſecuritati ſuæ conſulere, tanquā in non dubio bello cœperūt: quibus ſe ſtatim reliquæ urbes, quæ à Pontificis religione diſceſſerunt, coniunxêre. Quod igitur belli præiudia non ambigua eſſent, & res utrinq; iam caleret, ne futurarum calamitatum, quas ciuilia & inteſtina bella ſecum certiſſimis rationibus ferre conſueuerunt, ueri autores laterent, eius'ue rei iudicium uulgi ineptæ inſtabiliq; opinioni & incertis rumuſculis cōmitteretur: uterq; & Condenſis & Guiſianus publicis ſcriptis editis ſuam cauſam tueri & hominum animis commendare conabantur. Ille honoris diuini regij'que defenſionem, libertatem regis, regni'que præferre: hic regium nomen, autoritatem'que & iuſſum prætendere: Condeæ factionis homines crimine læſæ maieſtatis regiæ traducere. Quibus malè auſpicatis initijs, tandem in aciem utrinque deſcenſum eſt. Guiſianus ingentibus

Princeps Condenſis Euangelicorū dux conſtituitur.

tibus copijs ex Gallis, Heluetijs, Germanis, & equitibus collectis inſtructus erat: cui Condæus ſuum exercitum ex ſolis indigenis Gallis, nullo externo milite tum quidem conſtantem oppoſuit. Qui duo infeſti exercitus, etſi in conſpectum duxerunt, tota tamen illa æſtate nihil memorabile geſſerunt, niſi quod Guiſianus ut captas à Condenſibus urbes reciperet, operam dabat, quod ad uoluntatem ipſius egregiè cecidit, receptis, direptisq; ferè omnibus, Aurelia & Lugduno exceptis. Dum hæc utrinq; geruntur, interim Condenſi auxilia ſuccreſcebant. Nam antea Dandolotus ad principes Germaniæ prenſandos Francofurtum miſſus, Menſe Octobri cum aliquot equitum peditumq; Germanorum comitatu in Galliam redierat, & Elizabetha Angliæ regina aliquas copias circa idem tempus ſubmiſerat. Is igitur menſe Nouembri Aurelia egreſſus, ad Lutetiana ſuburbia acceſſit, leuibusq; aliquot prælijs ſub ipſa urbis mœnia & propugnacula initis, Lutetianos ad pugnam elicere tentauit. Sed cum inde nihil moueri cerneret, urbem prætergreſſus, in Normandiam iter deflexit. Hic Guiſianus eum cum 3000 equitum & 22 millibus peditum ſecutus, ne is ſe cum Anglis, qui ad Portũ Gratiæ ſubſtiterant, coniungere poſſet, impedire uelle uidebatur. Id cum animaduerteret Condenſis, de prælio ſtatim cogitare cœpit, etſi hoſtis à delecta iuuentute, ex Germanis, Heluetijs & Hiſpanis conflata, paratior, & 30 bellicis tormentis inſtructior erat, ac in proximo tutum receptum urbem Druydum, à tergo flumen, ad latus ſaltum haberet. Sed ſuis conſilijs innixus Condenſis, ad xix Decemb. hoſtem tanta uiolentia adortus eſt, ut primo impetu ſex tormenta bellica receperit, aciem ruperit, equitemq; diſiecerit, capto Conneſtablio, Heluetijsq; magna ex parte conciſis. Secutus eſt & alter impetus, priore non minus terribilis, ſed in ea impreſſione, principis Condæi equo, ictu pilę per armum traiecto, cum ipſe nec ſui explicandi, nec in equum deſultorium ſe recipiendi poteſtatem haberet, in hoſtium manus uenit, à filioq; Conneſtablij captus eſt, cetera ſanus & integer, niſi quod uulnuſculum ex gladij ictu in aduerſum os recepiſſet. Diſsipati capto Principe ordines, cum ſe rurſum collegiſſent, derepente tres turmæ à Guiſiano in ſubſidijs reſeruatæ, ingenti cum procella ingruere cœperunt: ubi diu terribili furore concertatum eſt, donec Guiſiani repreſſi, pedem retulerunt. In eo conflictu Mareſcallus Andreas unus ex Triumuiris, Mombrunus Conneſtablij filius, Broſſæus cum filio & Ambarrus cæſi ſunt: Rochefortius uiuus captus eſt, Bellouacus poſtea ex uulnere perijt. Verum ex Condæis capti ſunt hi, Mouius, Arpaionus, Carlierus, Lignerius, Candiæus. Poſtridie eius diei quo hæc geſta ſunt, Condæi Aureliam ſe receperunt. Guiſianus uerò, licet ſatis periculosè duobus uulneribus confectus eſſet, collectis ſuis ad Aureliam obſidendam caſtra poſuit: Hoc prælio confecto rex ſtatim abolitionem omnium criminum publico edicto propoſuit, & iniuriarum, calamitatumq; utrinque acceptarum ἀμνηστίαν ſanxit. Guiſianus uerò cum duos propemodum menſes in obſidione Aurelianenſi conſumpſiſſet, & iam ſuburbium, quã Oliueti cœnobium eſt, & turriculas ponti imminentes cepiſſet: ad xviij Februarij anno M. D. LXIII per Ioannem Poltrotum Meræum ictu tormenti manuarij eſt interemptus. Poltrotus ſtatim captus, grauiſſime'que tortus, & acerbiſſimis ſupplicijs affectus eſt, Amiralisq; qui Poltrotum ſubornaſſe inſimulabatur, de hac ſuſpicione ſe purgauit, cuius ſcripta publicè edita extant. Paulo pòſt permutatione Conneſtablij, Condæus liberatus, & pax ab utroq; menſe Martio confecta eſt. Sed quandoquidem, ſuperior annus, qui fuit M. D. LXII uaſtitatem Galliæ attulit, operæprecium me facturum exiſtimo, ſi uno in loco obſidiones & direptiones urbium, hominumq; ſuis è ſedibus eiectorum profligatorumq; exilia commemorem. Nam præter eam calamitatem quæ ad Vacceum accidit: non minus atrociter fortuna apud Senones ſæuijt. Illic enim, ut cæteras miſerias prætercam, mortuorum cadaueribus uiui homines alligati ac in profluentem præcipitati feruntur: uirgines, mulieres ac infantes per cœnum in uijs tracti: ad demoliendas pertundendasq; occiſorum ædes, tormẽta bellica per ſingulos uicos diſpoſita. Ad Caſtelnaum cum Euangelici certo ſtatoq; die extra urbem ſecundum edictum Ianuarienſe ad concionem conueniſſent, alterius partis homines, ſclopetis, gladijs, contis, malleolis inſtructi, multis cum execrationibus inermes adorti, pars ignem portis inijciebant, pars eos qui ſe in fugam dederant, cominus gladijs cædebãt, eminus tormentorum glandibus traijciebant. Tholoſę cum Pontificij portas urbis occupaſſent, ingens cædes ſtragesq; totos undecim dies durauit: ſed Euangelici ad ſummas anguſtias redacti, noctu clandeſtino abitu urbem reliquerunt, & per portam quam unicam tenebant, Montaubanum perfugerunt. Tum uerò Tholoſæ tanta rerum omniũ impunitas incidit, ut ad integrum ferè ſemeſtre nihil aliud quàm homines cæderentur, ſuſpenderentur, bona diriperentur: ædes ſpoliarentur: ita ut eam urbem, in qua olim legum

Portus gratiæ, haure de grace.

Vrbs Druydũ, Gallis Dreux.

Condẽſis à Guiſianis captus.

Guiſius ictu ſclopeti interemptus.

Calamitoſa Galliæ tempeſtas.

æquabilitas

æquabilitas & iuris æquitatis'que doctrina mirabiliter uigebat, eo tempore turpiſſimam hominum lanienam, & carnificinam ſcelerumq; & crudelitatis aſylum dixiſſes. Nec enim ullus angulus ferè in tanta urbe fuit, in quo nō aliquod pulpitum iugulandis, aut tigillum ſuſpendendis hominibus erectum ſit. Nec multò mitiora in uicina urbe Grenada perpetrata ſunt: eademq; in Picardia apud Ambianos & Abbeuillam, in Borbonienſi agro ad Molinum acciderunt. Troia intra diem naturalem Euangelici excedere iuſsi, poſtea ab ijs qui in inſidijs erant poſiti, miſerabili cæde nullo neq; ætatis, neq; ſexus reſpectu habito, obtruncati ſunt. Per Daumalæum Diuione, Auxona, Belna, Cabilluno, Auguſtoduno, Turnone, Heduorum urbibus, omnes Euangelici eiecti ſunt. Carcaſſonenſes in prouincia Tholoſana, Euāgelicos qui extra urbem die Dominico ad concionem profecti erant, portis occluſis, tormētis à muris ſubmouerunt, & in exilium propulerūt. Bleſa tormentis expugnata eſt, Turone & Pictauij omnis generis crudeles cædes perpetratæ. Bituriges tormentorum tempeſtate coacti certis conditionibus ſe dediderunt, & qui turrem defendebant, ſuas ſarcinas pacti, dimiſsiq;, Aureliam ſe contulerunt. Limon urbs nō procul Carcaſſona diſtans, tormentis concuſſa, capta direptaq; eſt. Matiſconenſes à Nemurcio propemodum ſubtili machinatione capti. Eos enim qui in præſidio erant, pabulatum frumentatumq; emiſerant: quo animaduerſo Nemurcius ex ſuis quoſdam ſubmiſit, qui portis ſuccederet, Pſalmosq; cantillarent, ut oppidani præſidiarios rati, portis hos admitterent: ad eam rem & ad ueri ſpeciem aliquam faciendam, carros fœno onuſtos, tanquam commeatum importaturi, comparauerāt. Hoc dolo intromiſsi, cuſtodes portarum cædere incipiunt: ſed quoniam pauci erant, facilè repulſi & ſuo incepto fruſtrati ſunt. Non tamen ita diu poſt urbs ui capta & Pontificiæ religioni reſtituta: Vienna quoque mox per eundem Nemurcium recepta, Lugdunum uerò fruſtra tentatum eſt. Dum hæc à Nemurcio in agro Lugdunenſi & apud Delphinates geruntur, interim Flaccianus præfectus Aquarum Sextiarum, inito cum præcipuis Senatoribus conſilio, rebus in Prouincia innouatis mederi conſtituerat. Itaque Euangelici conſultare, & quæ ad ſui defenſionem opus eſſent, prouidere cœperunt: Cum in hac deliberatione occupatis utriſq; Cruſſolus ſuperuenit cum regis edicto, quo libera facultas prædicandi Euangelij omnibus concedebatur. Sed Aquenſes impoſito urbi præſidio, Euangelicos terrere & Cruſſolum cum mandato excludere. Verùm cùm ingens multitudo ad eum conflueret, & cum eo comes Tandæus ſe coniunxiſſet, iamq; ad urbem cum aliquot tormentis acceſsiſſet, oppidani uim metuentes de deditione agere cœperunt, ſed Flaccianus dux & princeps eius factionis, ad Cruſſolum ſe ire ſimulans, Brigolam aufugit. Cruſſolus igitur explicatis uexillis urbem ingreſſus, poſtridie Euangelium publicè doceri fecit, ſtatimq; ut Flacciani conatibus occurreret, copias eduxit. Interea enim Flaccianus ad ſexcentos ex ſuis coniuratis contraxerat, quibus comitatus in uicinos pagos excurſiones faciebat, & quoſcunq; Pont. religionis hoſtes inueniebat, paſſim obtruncabat. Hunc Barioli tandem Cruſſolus obſedit & poſt prælium ſatis atrox, urbem cepit, elapſo Flacciano. Hinc Pertuſam perrexit Cruſſolus, ad quam quòd nullis tormentis inſtructus eſſet, cuniculos agere cœpit. Interim dum hæc parantur, nunciatur Someriuum, comitis Tandæi filium, Pertuſianis auxilio ſubuenire: quamobrē hoc nuncio Cruſſolus conſternatus, ex Tandæi cōſilio Ciſteronem pergit. Huc quoque Someriuus hoſtem ſequi cogitans, per Fabricium Pont. Pij IIII nepotem (qui in comitatu Veneto præfecturam gerebat) ab eo propoſito deductus, & ut Aurengiam obſideret perſuaſus eſt, Someriuus itaq; ſtatim equitatu ad Aurengiæ mœnia præmiſſo, mox ipſe ſubſecutus, tormenta diſponere & fulminare cœpit. Sed tormentorum uiolentiæ cùm oppidani reſiſtere non poſſent, maximè quòd paulo antè præſidiarij milites Papillo præſidi, qui ad Burgum in uinculis erat, auxilio ierant, deditionem fecerunt. Aurengia capta uaſtataq;, Ciſteronem Someriuus iter accelerat, maximè quod Soreza, Mouuantius, Barrenſis, & alij nobiles, ut Adreto Baroni ad Gratianopolim ſuppetias ferrent, egreſsi dicebantur. Decimo igitur Iulij caſtra ad Ciſteronem ponuntur, utrinque circiter tres ferè horas confligitur, ſed oppidanis in urbem reiectis, oppugnatio paratur: directis'que murorum parietibus ab ea parte qua Solem orientem ſpectant non mediocri ruina labefactatis, hoſtes irruptionem adornant: Sed his acriter, animoſeq; repulſis, ruina ab oppidanis diligenti & continuo labore inſtaurata eſt. Ad xviij Iulij Soreza & Mouuantius oppidanis auxilio aduolant: quo cognito Someriuus Eſcallam pergit: oppidani itaq; egreſsi, poſtremum eius agmen carpere cœperunt, & Mouuantius ſuos quaq; educens, ab hoſte nuſquam digreſſus, caſtra in conſpectum Someriui poſuit. Poſtridie copiæ in aciem educuntur & toto exercitu belli fortuna tentatur: ſed Mouuantius, quòd hoſtes tormentis bellicis ſuperabant, ſigno receptui dato, militem Ciſteronem reduxit.

Conuerſis

Conuerſis itaque ſignis Someriuus ad xxvij Auguſti Ciſteronem rurſus conuolat eamq; denuo obſidione cingit: tentataq; fruſtra ad IIII. Septembris oppugnatione, in caſtra militem reduxit. Sed oppidani tandem tormentario puluere, alijsq; bellicis munitionibus defecti, uno conſilio omnes ſe ex oppido noctu eijciunt eo ſilentio, ut ij qui in muris erant, & ruinas deiectorum parietum reficiebant, non prius diſceſſum eorum ſenſerint, quàm ſatis longum ſpacium illi confeciſſent. Et iam hoſtes muris ſuccedebant, nemine igitur aut paucis reſiſtentibus, oppidum captum, in eosq; qui ſuperfuerunt, omnis generis atrocia deſignata ſunt. Ii uerò qui ex oppido profugerant, xxx circiter dies magna omnium rerum penuria, inſequente quoq; hoſte ac nouiſsimos carpente cedenteq;, per ſyluas & inuia ac longinqua itinera, duriſsimo ac incredibili labore per Gratianopolim Lugdunum ſe contulerunt. Interea Ioyeuſus regius legatus pro Conneſtablio, & Forkenaus præfectus Narbonenſis prouinciæ, Nitiobriges, quos hodie Monſpeſulanenſes uocant, obſederant: quorũ copiæ ſex millia peditum, 700 equites erant: munitiones bellicæ, ſex tormenta maiora & duę colubrinę. Monſpeſulanenſibus ſe Baro Adretus commodùm coniunxerat, cùm nunciatur Someriuum cum Suza auxilio Pontificijs uenire, qui ſupra Rhodanum, qui prouinciã à Campo Mario (quam inſulam corruptè Carmagniam hodie uocant) ſeparat, pontem facere deſtinaret, ut traductis copijs ad obſidentem Gillij fanum tenderet, indeq; ſe Pontificijs Mompeleriũ obſidentibus cõiungerent. Hoc rumore ad xvij. Septemb. in urbem perlato, Monſpeſulanenſes ſtatim Bouillargũ ad Gillij fanum miſerunt: qui cum muros inſpexiſſet, locumq; defenſioni aptũ cognouiſſet, loricas inſtaurare, mœnia reficere, militesq; recognoſcere cœpit: egreſſusq; paulò poſt cum aliquot paucis, in hoſtem non procul à Gillij fano incidit, eumq; inopinato caſu conſternatum in fugam coniecit: in qua multi à Bouillargo inſequente cæſi, multi Rhodano, quem tranare conabantur, abſorpti ſunt. Eius uictoriæ fama Mompelerium perlata, tota ea nocte quæ diem xxix. Septemb. inſecuta eſt, frequentes ignes in lætitiæ argumentum in ædificiorum tectis incenſi ſunt. Nam urbis eius ædificia tota ex ſaxis conſtructa, faſtigia magna ex parte plana habent, ita ut illic etiam deambulare, circumiacentiumq; omnium proſpectum latè captare animi gratia liceat. Hunc igitur caſum eorum qui auxilio ſibi ſubueniebant, cum ij qui urbem obſidebant, cognouiſſent, caſtris ſtatim motis obſidionem ſoluerunt: magnoq; ſuarum rerum cum detrimẽto, quod ab inſequentibus & nouiſsimũ agmen affligentibus, inferebatur, Villanouam primò, inde Agathopolim ſe receperunt: quam cum acriter tormentis concuterent, interimq; auxilia obſeſsis ſuperuenirent, tranſmiſſo fluuio qui ſecundum Agathopolim pergit, Narbonam ad extremum ſe contulerunt. Has omnes obſidiones, pugnasq; conſyderanti, facilè æſtimare licet, nullum ferè angulum Galliæ fuiſſe, qui non illius belli tempeſtatem ſenſerit, aut huius anni aduerſo ſydere contactus fuerit. Sed his turbis omnib. una Guiſiani mors remedium qualecunq; attulit: ac quaſi in ſolius ipſius uita pacis mora cõſtiterit, ita eo extincto pauliſper motuũ procellæ conſederunt, cõticueruntq;.

Anno 1563. rurſum à rege publico edicto, ad xiij. Martij propoſito, libertas prædicandi Euangelij permiſſa eſt. Sequente Iulio, xij eius menſis die, bellũ contra Anglos, qui Portum gratiæ occuparant, per Regem edicitur, proclamaturq;. Extremo itaq; Iulio Angli, qui ſub Comite Vvaruichio in urbe agebant, per Conneſtablium & Mareſchallum Montmorencium obſeſſi, poſt concuſſa aliquot diebus mœnia, ſarcinas ſuas pacti certis conditionibus urbem dediderunt. Quæ res ſanè feliciter & tempeſtiuè Gallis cecidit: paucis enim interiectis diebus mille octingenti Angli à regina miſſi appulerant: & Amrniralis Clithon cum LX nauibus ſuperuenerat: ſed cum deditione facta maxima pars Anglorum Portu exceſſiſſet, tempore excluſi in Angliam unde uenerant conuerſis uelis redierunt. Pace igitur per Galliam utcunq; conſtituta & portu Gratiæ ab Anglis recepto: Rex Carolus xiiij annum agens, ad xxiij Septemb. Lutetiæ in ſuprema Curia tutelam à ſe abdicauit & regni adminiſtrationem tanquam αὐτοκράτωρ & αὐτόνομος, ſuiq; iuris in ſe tranſtulit: annoq; ſequenti, qui fuit LXIIII, ad xxiij. Aprilis pacem inter ſe & Elizabetham Angliæ reginam Lutetiæ promulgauit: ſtatimq; per uniuerſam urbem in argumentum publici gaudij & lætitiæ diurni nocturniq; ignes excitati: & omnis generis indicia hilaritatis oſtentata ſunt. Sed non in uniuerſum hic annus ſine turbis abijt. Nam Candales quidam apud Aquitanos tumultuatus eſt: & in comitatu Mainenſi à Iulio menſibus anni ad Maium ſequentis, Mannenſes incredibilem crudelitatem exercuerunt: Cuius rei tota ſeries & narratio ſplendidè deſcripta, & regi ad x Auguſti huius anni per nobilitatem eius regionis oblata, publicè extat. Anno M.D.LXV. die xxx Aprilis, apud Burdegalenſes publicè regis edictum de religione propoſitum eſt. Pridie Idus Iunias Adrianus Turnebus, uir plurimis & grauiſsimis artibus atque uirtutibus ornatus & inſtructus.

Regius

Regius Philoſophiæ profeſſor, Lutetiæ mortuus eſt. Annus ab hoc alter, uidelicet LXVII, nouas rurſus turbas attulit, uulnusq; quod nondum conſanuerat, refricuit. *Bellum in Gallia renouatū.* Nam cùm Philippus Hiſpanus in Flandriam ad motus ob religionẽ excitatos, ſedandos ducem Albanum cum ualido exercitu miſiſſet, & ſimul regem Galliæ hortatus eſſet, ut quemadmodum ipſe ſuos Geuſios (ſic enim eos qui in Belgio Euangelicam profeſsionem ſequuntur appellant) facilè retudiſſet, ita quoq; ſuos Hugonotos ille in ordinem redigeret: Gallus uiribus & occaſionibus ex Hiſpania oblatis fretus, Heluetiorum millia ſex, quàm poteſt occultè conſcribit. Quæ copiæ cùm in Galliam aduentarent, & Condæo, eiusq; popularibus, ne id quod res erat, Rex hiſce opibus uim Hugonotis intentaret, metuentibus, nõ paruum timorem inijcerent: Rex ea de cauſa Heluetios ſe euocaſſe ſimulauit, ut eo præſidio contra Hiſpanorũ exercitũ iam aduentantem, ſi is fortaſsis oppidula quædam controuerſa extorquere obiter conaretur, regni fines munitiores tutoresq; redderet. Sed Condeus, cum ſe contra uim Hiſpanorũ, ſi opus eſſet, ſuæ religionis ſexaginta millia armatorum in aciem ducere, & ſub ſigna cogere poſſe prædicaret, idq; in aula de ipſo reſcitum eſſet, à rege, regiaq; matre eò eſt euocatus. Quò poſtquam perueniſſet, ac cum Duce Andegauenſi regis fratre, in colloquium peracto prandio incidiſſet, tum Andegauenſis, cognate, inquit, rumor eſt te ad bellum ſexaginta hominũ millia armare: ac te illud muneris, quod ad me ſolum pertinere nõ ignoras, ſupremum ſcilicet rei militaris imperium, tibi deſumere. Quod ſi ita eſt, idq; tentare uideberis, adeò in arctum tuas res redigam, ut omniũ totius Galliæ principũ ſis futurus minimus. Condæus, quanq; hæc per callidam interpretationem dici intelligeret, quòd LX illa millia hominũ non tanquam Imperator belli, ſuo imperio cogere uellet, ſed tantùm ſuo ductu tot euocare poſſet: tamen manu armatorum nobilium ſeſe ſeptum animaduertens, blandiſsimè pro tempore locutus, ſe uix ex illis anguſtijs extricauit. Nec multò poſt ad XXVIII Septemb. Hugonoti circa Moncealem ad arma conſternati, coitioneq; facta urbes quaſcunq; poterant occuparant, molasq; aliquas, quæ uentis circumaguntur, iniecto igne uaſtarant, combuſſerantq;. Huius conſternationis uarias cauſas multiplicesq; afferebant: ſed hanc præcipuè quòd pro certo comperiſſent, Guiſianos à priuato regis conſilio mandatum accepiſſe, ut quicunq; ſiniſtrè de Pont. religione ſentirent, aut noui aliquid contra uetera eccleſiæ inſtituta moliti conatiq; eſſent: eos omnes quacunq; ratione poſſent, è medio tollerent, excinderentq;. Ad eam rem Heluetiorum ſex millia iam eſſe conſcripta: omnes undiq; urbes & oppida, municipiaq; muniri, præſidijsq; firmari. Lugdunũ quoq; urbem totius Galliæ facilè potentiſsimam, Italorum poteſtati creditam cõmiſſamq; eſſe: qui præterquam quòd Euangelicæ profeſsionis homines ſuperbiſsimè aſpernarentur: ſic Pontificios amplexarentur, ſic familiariter atq; hilarè ſeducerent, ſic in manibus haberent, ſic fouerent, ſic oſcularentur: ut hoc modo maximè ſe Hugonotis ſtomachum facere certè arbitrarentur. Quid? illa intolerabilia tributa & exactiones acerbiſsimæ capitum atq; oſtiorum, quæ ab Italis Gallico nomini imponerentur, cui non etiam leniſsimo, mitiſsimoq; bilem mouerent? quem non afficeret regis tutela & ſeruitus, quàm miſere ſub huiuſmodi dominis ſeruiret? His igitur rebus circumſpectis omnibus, rationibusq; ſubductis, ſummam ſe ſuarum cogitationũ omnium feciſſe: & ſemel in acie honeſte potius & cum gloria cadere, quam in perpetuo metu & rerum omniũ perturbatione uiuere decreuiſſe. Contractis itaq; quam maximis copijs, Condæus cum regem in ciuitate Meldenſi eſſe, & unà cum illo ibi Heluetiorũ exercitum hærere intelligeret, cum equitatu ualido illuc perrexit, ut ſi regem uel ad uenationem uel alioqui Pariſios proficiſci contingeret, ex improuiſo eum adortum interciperet, ut quæ hactenus ob Guiſianorum autoritatem ab aula excluſus, non potuerat, deinde remotis aduerſarijs liberè de regni tranquillitate procuranda, tollendoq; multarum rerum abuſu externorum ingenijs excogitato, regem moneret, doceretq;. Sed nec rex ipſe Meldæ erat, ſicut falſò Condæo referebatur, nam is in caſtellum non procul à ciuitate Meldenſium, cum regina & magna aulæ parte ſeceſſerat: Et iam rex commodè ſubmonitus periculo ſe ſubduxerat. Intempeſta enim nocte clàm ad arcem ubi Rex dormiebat, pagi curio celerrime accurrens, caſtellanis nunciat copias Hugonoticas propinquas eſſe & proculdubio quiddam hoſtile moliri, regem itaque excitarent, cæteros'que quos ſaluos uellent. Hoc nuncio omnes conſternati, feſtinare, parare, rerum'que ſuarum ſatagere: rex Heluetiorum agmen ad ſe à Meldenſi ciuitate aduocare: quo ſtipatus hora poſt mediam noctem tertia, equos cum matre, fratribus, reliquisq; aulicis conſcendere. Condæus interim cum plures equeſtres copias expectans, regem longiuſculè iam proceſsiſſe cognoſceret: quanta potuit celeritate abeuntem inſequutus: ſed ab Heleticis copijs conſtanter exceptus eſt, donec rex in tutum ſe receperit. In ea fuga rex ex equo nunquam

deſcendiſſe,

deſcendiſſe,& inediam uſq; ad horam eiuſdem diei à meridie quartam ſuſtinuiſſe dicitur. Quare ſimulatq; primam urbis Pariſiorum portam eſt ingreſſus, cibo potuq; refici coactus eſt. Nam ex inedia & totius diei iactatione ita cōfectus erat, ut ad arcem ſuam Lupiparam, in altera urbis parte ſitam, niſi alimēto reſtitutus uix peruenire potuiſſe crederetur. Sub idem tempus in alijs quibuſdam ciuitatibus tumultuatū quoque fuit. Nam Turones, Amboſiani, Andegauenſes, Bituricenſes, Lugdunenſes, & multarum aliarum ciuitatum Pontificij ſuos Hugonotos profligabant. Econtrà Rupeliani, Montalbani, Aurelianenſes, & nonnulli aliarum urbium Hugonoti ſuos uiciſſim Pontificios eijciebant. Aurelianenſes ciues paulo antè illam regis fugam inter ſe fœdus percuſſerāt, & iureiurando inuicem Hugonoti Pontificijs, & hi illis ſe aſtrinxerant, ſexagenis utrinq; proceribus pro toto ciuium corpore fidem dantibus alteros alteris fidos amicosq; futuros. Sed cùm alteri alteris ſuſpecti & formidabiles fierent, quòd uanæ hominum quorundam ſuſpiciones rem exagitarent: & Pontificij ſolennem ſupplicationem & amburbialem luſtrationem in diem 28 Septemb. qui Dominicus erat, indicerent: Hugenoti pridie eius diei ad arma cōuolarunt. Nam & ipſa rei facies his ſuſpecta erat: & inueniebantur, qui affirmarēt fore, ut in illa poſtridiana luſtratione Pontificij tectè ſub ueſtibus armati comparerent, & in conciones inermiū Hugonotorum impetum facerent. Sed cùm Pontificij nocte illa, quæ diem Dominicum præceſſit, Hugenotis longè uiribus ſuperiores, ad horam à media nocte tertiam excubias egiſſent, & plerìq; iam de Hugonotorū motu ſecuri domum ſe recepiſſent: Hugonotæ cum à ſpeculatoribus rem omnem eſſent edocti, parati armatiq; proſilierunt: & ſtationes quaſdam Pontificiorum in foro alijsq; opportunis locis poſitas, fuderunt, fugaruntq;: ac totam tandem urbem, Pontificijs illis, qui nouas res molituri aut ſuo inſtituto incommodaturi uidebantur, eiectis profligatisq; occuparunt. Quę urbs horum motuum tempore omnium penè principum fœminarum & liberorum earum receptaculum fuit: quòd ea ciuitas totius Galliæ umbilicus eſt, & earum quæ Hugonotis addictæ, firmiſsima. Quare huc confluxit quicquid hominum bello ineptorū, uel in agro Aurelianenſi, uel in finitimis ditionibus, Hugonoticis partibus fauebat. Nam militares quidem homines omnes ad Caſtra Condæana ſe receperant. Condæus itaq; cùm Regem ſibi elapſum, & ſe ſpe ſua fruſtratum uideret, populares

Condæus Pariſios obſidet.

ſuos undiq; euocare, & caſtris ad Dionyſij fanum poſitis urbem Pariſiorum obſidere cœpit: molasq; uentoſas XVIII. ante urbem poſitas incēdit, annonamq; undequaq; intercluſit. Cal. Octobris, cùm iam undiq; ob hoſtium metum Pariſiorū mœnia clauſa eſſent, & ex caſtris quinq; aut ſex equites excurriſſent, tormentaq; manuaria ante urbis portas diſploſiſſent: ciues panico terrore correpti, magno impetu à portis fugiendo, in interiores urbis partes ſe præcipitarunt: ſed ſtationes uarijs opportunisq; locis diſpoſitæ, fugamq; fœdā ſiſtere conantes: multos ex fugientibus occiderunt: adeò ut eo die quinquaginta uel eo amplius ciues fugientes, à ſuis cæſi occumberent. Omnes ſanè Pariſienſes apertè ingenueq; fatebantur, quòd ſi initiò Condæus felicibus ſucceſsibus uſus, uictoriæ ſuæ non defuiſſet, & fortunam ſecutus eſſet, Pariſijs facilè fuiſſet potiturus. Tantus erat ob repentinam obſidionem metus ac omnium conſternatio. Sed ciues mora confirmatiores, ac ad defendendum paratiores paulò pòſt facti ſunt. Ad X Nouemb. qui dies D. Martini feſtum præcedit, pugna inter Condæanos & Regios, inter Luteriam & Dionyſij fanum orta eſt. Cùm enim Pariſini uel ab exploratoribus, uel ab eo, qui excubias agebat in turre templi, in edito mōte, quem Montmartyrium uocāt, extra urbem ſiti, ex qua turre in Condæana uſq; caſtra aſpectus patebat. Cùm igitur Pariſini exiguitatem Condæani exercitus cognouiſſent (nam comes Rupefucaltus ad Stempas aberat: Andelotus uerò cum Mouynio cum magna exercitus parte Poſsiacum expugnatum pridie profectus erat) & iam recepto extraneo milite ſatis copioſo ſuperbirent, copias ſuas per duas tres'ue diuerſas portas ſub horam à meridie ſecundam, cœlo ſatis nubilo & obſcuro paulatim per denos & uicenos educunt, ut non tam ad prælium quàm ad uelitationem inuitare hoſtes uelle uiderentur. Sed cùm numerus in horas creſceret, Ammiralicq; nunciaretur incredibilem regiorum exercitum è portis in patentem campum, quem Pariſienſes Landeium uocant, effundi: tum Ammiralis, ne uos numerus terreat, inquit, ſed occidamus prius, poſtea numerabimus. Statimq; Ammiralis & Condæus copias ſuas contra hoſtem educunt, præliumq; committunt, in quo Amiralis & Odetus præcipuam operam nauarunt: à regiorum uerò parte Annas dux Mommorantius, Galliæ Conneſtabilis ſeptem uulneribus à ductore copiarum Stuardo Scoto cōfectus occubuit. Cum enim Conneſtabilis homo ſenex LXXX annos natus, ex pugna laſſus, in Stuardum robuſtæ ætatis & ualidum uirum incidiſſet, ab eodem, fide ultro citroq; data, manus dare coactus eſt. Hunc cum Stuardus captū ad copias populares deduceret, & Pontificius quidam

Pugna ad Luteciam.

Conneſtablius cæſus.

quidam nobilis Conneſtabili ſuppetias allaturus adeſſet, animaduerſo auxilio Conneſtabilis de improuiſo capulum breuis ſed ponderoſi enſis, quē Galli coutelaſſum uocant, Stuardo in aduerſum os totis uiribus impegit, illicꝗ tres dentes excuſſit. Interea Pontificius tormentum in Stuardum diſplodendum intentat. Sed cùm ictus irritus eſſet, Stuarduſꝗ ipſe hoſtem à fortuna deluſum glande plumbea traieciſſet, ad Conneſtabilem ſanguinolento ore conuerſus. Et tu, inquit, perfide ſenex impunè hoc flagitium feres? Et ſimul cum dicto illum, altera quam habebat bombarda traijcit: & nutantem iam & lapſabundum, gladio punctim & cæſim feriens concidit, atꝗ ſe ad ſuos recepit. Mommorantius equo delapſus & ſuo hoſtiumꝗ ſanguine fœdatus, uix à Sanzæo cognato in iſto turbine repertus eſt: quem heros fortis in extremo penè ſpiritu, ut ſocios animaret ad hoſtem urgendum, hortatus eſt: & ne ſuorum alicui pauorem ſuo caſu incuteret, amictu iniecto uelari ſe, donec ipſe à ſociorum cohortatione ad ſe ſubleuandum rediret, mandauit. Sanzæo itaꝗ reuerſo & ab humo ſubleuanti, inquit, gaudere ſe & ſibi beatum uideri, cui pro regis patriæꝗ ſalute, honeſto uulnere occumbere liceret. Hæc elocutus & è pugna elatus, biduo poſt in fata conceſſit. Ita memorabiliſſimus heros Annas Mommorantius, Mommorantiorū dux clariſſimus Franciæ par & Conneſtabilis, cùm V regibus potentiſſimis, Ludouico XII, Franciſco I, Henrico II, Franciſco II, & huic Carolo IX fideliſſimè inſeruiſſet, regni antiquum decus retinuiſſet: nouum ſuaptè uirtute addidiſſet, rerum ſummam ſemper adminiſtraſſet: à periculis ſæpè ſeruaſſet, viij grauiſſima prælia, plerunꝗ feliciſſimè, ſemper fortiſſimè depugnaſſet: Eorum in extremo ad extremum uſꝗ diſcrimen ſtrenuiſſimè in prima acie imperans atꝗ prælians, vij uulneribus acceptis, conſtantiſſimo animo pro patrijs aris & focis mortem oppetijt: & regi, patriæꝗ ſalutem, uictoriam, gloriam, ſua morte partam reliquit, æternum ſibi poſteriſꝗ ſuis omnibus Mommorantiæ pietatis erga Deum, regem & patriam monimentum. Cuius talis ac tantæ uirtutis ergò, Carolus rex inuictiſſimus regiſꝗ mater ſereniſſima, cōcordiſſimi regis fratres, illuſtriſſimi principes, nobilitas omnis, clerus, ſenatus, populuſꝗ uniuerſus, publico funere atꝗ luctu, publicum mœrorem, delyderiumꝗ teſtati ſunt, plurimiꝗ ex doctis, diuerſis linguis, Hebraica, Græca, Latina, & Gallica, eius elogia condiderunt, Inter quæ illud elegans Ioannis Aurati Regij Poetæ Græci & Latini circumfertur.

Ioan. Auratus.

Πυρβόλου ἐκ βαλάνου νεφροὺς, κεφαλὴν δὲ μαχαίρῃ·
Τορτηθεὶς ἔπεσεν τάγματος ὁ πρὸ ποδῶν.

Octo qui decies peregit annos,
Octo prælia qui cruenta geſsit,
Octo uulneribus iacet peremptus.
Septem dicitis eſſe uos, nec octo?
Septem uulnera fecit hoſtis extrà:
Octauum ſibi fecit intus ipſe,
Cæſum ſe patria dolens inulta.

Hoc prælio confecto ad Condenſem Sedani hærentem literæ à rege miſſæ ſunt, quibus edictum Aureliæ ſuperioribus annis de pacificatione propoſitum, ratum & firmum ſe habiturum promittebat: & in eandem quoꝗ ſententiam literæ à regis fratre ſcriptæ erant. Ex quibus cùm ſpes pacis quædam affulſiſſet, in eaꝗ cogitatione Condenſis totus cum amicis eſſet, accidit interea ut Lanſaci filius, qui ſe comitatui legati Palatini adiunxerat, de uia interciperetur. Is in Germaniam clanculum ablegabatur, ut principes & regulos Germanos deterreret, ne ſuis auxilijs ſubleuarent Condæum, qui non religionis gratia contentionem omnem certamenꝗ ſuſcepiſſet, ſed ut ſe ad gubernacula regni intruderet: cuius rei argumentum ſatis apertum eſſet, quòd ſe Ludouicum XIII appellari ſuſtineret, & præter alia regni uſurpata inſignia, monetæ cudendæ ius ad ſe raperet. Dum igitur in hac pacis deliberatione inter ſpem metumꝗ dubius hæret Condenſis: iam Guiſiani Troia egreſſi, in Lotharingiam, ut illic Germanos equites ab ingreſſu prohiberent, armati pergebant, & ex altera parte Ambarrus cum Italicis & Heluetijs copijs adueniebat. Quo cognito Condæus cùm non admodum magnificè de pacificatione ſibi polliceri poſſet, in Lothoringiam & ipſe pergit: cui ad Aſpræmontium ſubſiſtenti rurſus literæ à rege de pace conſtituenda redditæ ſunt. Interim extremo Decembri, contra naturam Hyberni temporis cœlo tum maximè ſereno, minimeꝗ rigenti, ad Pontamuſſonem Ioannes Caſimirus Comes Palatinus Rheni cum 7500 equitibus & 3000 peditibus appulit, cuius expeditionem gratulatorio carmine eleganti Ioannes Scylletus Lunæburgenſis proſecutus eſt. Anno inſecuto, qui fuit ſexageſimus octauus poſt milleſimum quingenteſimum, die xiiij Ianuarij, cùm Aurelianum à Pontificijs duce militari comite Martinengo Italo obſidione premeretur: uir fortiſſimus & Imperator belli gerendi longè peritiſſimus Mou

uantius,cum exercitu X M hominum,ex Prouincia Gallica, Lemouicibus, Languedocia,& finitimis locis contracto,Aurelianum uenit, urbemq; obſidione liberauit: ſuasq; cum Ioannis Boucarti Aurelianenſis Reip.præfecti & Imperatoris, hominis ut bellicis ita & pacis artibus,ornatiſſimi,literarumq; peritiſſimi,copijs coniungens, Blæſam oppugnatum perrexit,quàm tormentis ualidè concuſſam deditione cepit: indeq; ad Condæana caſtra contendit.Erat Mouuantius omnibus Pontificijs maximè formidabilis :!Nam antequam copias Aurelianum ex Prouincia perduxiſſet, ter cum hoſte prælio decertauit,ac uias à Pontificijs interclusas, ui ac ferro aperuit. Prælium autem quod cum maximis hoſtiū copijs ad Coignacum inijt, memorabile eſt. Cum enim Pontificij ingenti exercitu eius copias circumueniſſent, & incredibilem agreſtium turbam ad exitus uiarum circumquaq; diſpoſuiſſent: mandatū ruſticis dederunt,ut ſi quos prẹlio inito in fugam ſe dare uiderent,hos ad unum omnes ſine delectu trucidarent,nec uociferaturis,& Pontificios ſe ſimulaturis,aut cruces albas(hẹc enim regiorum teſſera erat) oſtenſuris fidem haberent. Talia enim ipſos præ ſe laturos,ut periculum perrumpant,incolumesq; è fuga ſe recipiant. His ſatis calidè ut putabatur adminiſtratis,utrinq; infeſtis ſignis ita concurſum eſt, ut uictoria à Mouuantianis ſteterit:fugientesq; Pontificij & paſſim in ſuos ruſticos incidentes,nullo diſcrimine ab ijſdem trucidati ſint:quantūuis ſe Pontificios ueros eſſe clamarent,omnesq; diuos diuasq; implorarent. Ad vi Martij menſis diem Condæus & Io. Caſimirus Palatinus iunctis copijs Carnutenſium urbem opulentiſſimam & ſacrificorum ditiſſimorum pinguiſſimorumq; multitudine frequentiſſimam obſederunt : ac X I diebus furioſa tormentorum tempeſtate ita concuſſerunt, ut deiecta mœnium parte magna ad irruptionem ſe pararent. Cum itaq; milites in procinctu iam ſtarent,ſignumq; expectarent,ut impetu facto in urbis muros cōuolarent, illo ipſo quaſi temporis momento Rex Fecialē ſubmittit, qui certiſſimā pacis ſpem optimis cōditionibus,ſi modo ab expugnatione temperarēt,promitteret. Condæo itaq; Ammirali & Dandeloto,militē ad irruptionē intentū & totis animis prædæ inhiantē, uix minis precibusq; ab expugnatione diſtinere ualentibus : induciæ datæ ſunt ſpe optatæ pacis, quæ aliquot diebus poſt cōfecta,& ad xxx Martij in caſtris Condæanis proclamata eſt ex Regis edicto,quo Euāgelij publica prædicatio cōceſſa,ipſeq; Princeps in gratiā regiam receptus,ac omniū offenſarū,iniuriarumq; ἀμνηςία & obliuio ſancita eſt. Sed edicti tā ſalutaris autoritas nō diu uiguit:mox enim poſt dimiſſum militē, liberataq; ab externis Euangelicorū copijs Gallia,uetus ulcus recruduit:cui nulla medicina reperiri iam uidetur poſſe,niſi ſi quā Deus Opt.Max.facere dignabitur. Nam & in corporis morbis,quo quiſq; difficillimus eſt:ita medicus nobiliſſimus atque optimus quæritur, & nemo niſi ſtultus,cùm capiti mederi debet,REDVVIAM CVRAT. Ad iij Nonas April.tres Feciales magna ſolennitate pacis fœdera in foro Aureliano poſt ternū quaternarū tubarū editū clangorē promulgantes,belli exitialis finē ac pacis exoptatæ initium cōſtituerunt. Sed popularis lætitiæ breuis uſura fuit. Nam xxi Aprilis Rex Principem Dophinum Borboniū,Pontificiæ religionis iuuenē, Aurelianū cum xv cohortibus præſidiarijs ſubmiſit,nō ſine uehemēti Euangelicorū omnia ſiniſtra prẹſagientiū luctu,magna uerò Pontificiorū lætitia. Pridie aūt eius diei,quàm urbē Dophinus ingreſſus eſt,circiter decē ingentes bellicas machinas in foro collocatas,nobilis quidā Pontificius regis iuſſu,clauis,pinnisq; chalybeis,per foramina quibus puluis incenditur,malleo adactis,ita corruperat,ne ullū belli uſum poſtea prẹberēt,néue ciues his freti,præſidiū regium cum Principe Dophino miſſum,urbe arcerēt. Hoc pacto præſidiarij milites in urbē intromiſſi,mox ab ingreſſu portas forumq; occuparūt: & paulo poſt eaſdē machinas partim igni uehementiſſimo circūſtructo,partim inſtrumentis,limisq; chalybeis perruperūt:fragmentaq; Pariſios tranſmiſerunt. Qua re etſi Rex incredibilē iacturā tot tormētis uaſtatis ſenſit,affirmauit tamē ſe illas machinas, quæ glandes & globos cōtra ſe ſuosq; euomuiſſet,ſupereſſe nolle. Cumq; pacis cōſtitutæ prætextu,pleraſq; ciuitates à Condæanis antea occupatas,mox recepiſſet,& ſuſpecta oppida ualido præſidio muniuiſſet:acerbius Euāgelicos tractare, ac indies cauſas belli redintegrandi quærere cœpit. Cumq; Condæo ipſi inſidiæ ſtruerentur, & in caſtello quodam ut obſideretur caperetúrq; deliberatū eſſet,ille fœliciter elapſus,bellum cum ſuis popularibus renouauit. Tam repentè & inopinatò exarſit hoc bellū,ut anteq; Euāgelici per oppida undiq; diſperſi,in tēpore ſibi de fuga proſpicere poſſent, ad X.M uarijs in locis per regios trucidati ferantur. Nec ita multò poſt Martinengus, contra Dandolotum,qui in Armoricis ciuitatibus copias contraxerat, regis nomine exercitum eduxit & nocturno impetu ex Dandeloti militibus circiter ſeptingentos in pago quodam ignobili, in quo tum fortè pernoctabant, cecidit maioremq; partem diſſipatam & inopinato caſu perterritam, ultra fluuiolum Laueram in fugam coniecit , receptis quinque ſignis militaribus , quæ ad regem Pariſios tranſmiſſa,

tanquam

tanquam læta ſpolia triumphantium more in templo D. Mariæ ſtatim ſuſpenſa ſunt. In eo improuiſo tumultu Dandolotus, qui tum forte fortuna in uicino pago pernoctabat, periculis ſe ſubduxit, felici ſibi errore Martinenſi uſus, quem fortuna in auerſum ab hoſte locum deduxerat. Paucis diebus interiectis, ex Pariſiorum urbe, xx maiora tormenta, cum alia munitione bellica & ratibus ad pontes conſtruendos, ſi res poſceret, idoneis, ac CXXXVI curribus bellicis ad Heluetiorum exercitum, quem rex euocauerat Lanſenicum xxix Septemb. emiſſa ſunt. Menſe Octobri in agro Pictauienſi Mouuantij copiæ à regio exercitu ualidiſſimo, quem Mompenſerius & Briſſacus ducebant, fugatæ ſunt: qui xvij ſigna equeſtria à Mouuantianis recepta, duci Andegauenſi regis fratri, ſummoq; militiæ Imperatori, per Prouinciales ad Senonum urbem tranſmiſerũt. xvij Nouembris Hugenoti cum toto exercitu, ex XXM peditum equitumq; conſtante, ad urbem Luſinianam, fabuloſis Meluſinæ narrationibus celebrem, ut totis uiribus belli aleam tentarent, periclitarenturq;, contra Heluetiorum agmen duxerunt. Sed Heluetijs in æquiorem locum ſeſe recipientibus, ſclopettarij regij rem geſſerunt, ita ut poſt quatuor horarum ferè uelitationes, ſub noctem Hugoneti receptui canentes ſpacio milliarij Gallici recederent. Sed poſtridie Hugenotis in aciem rurſus prodeuntibus, uterq; exercitus ſub ſignis totum diem conſtitit, neutris æquiore loco cedere, pugnamq; tentare uolentibus. Ita tandem Hugenoti conuulſis ſignis caſtra mouerunt. Paulo poſt, iij uidelicet Decembris, Heluetij, quòd Auraicus princeps ex Belgio re infecta rediens, circa id temporis in Galliam perueniſſet, regiq; impetrandi per regnum tranſitus gratia, xiiij currulia tormenta donaſſet: & quòd Daumalæus Hugenotos, qui circa Neoburgum & Montembelligardi trium millium numero coierant, non procul à Mediomatricum urbe cecidiſſet, profligaſſetq;: lætitiæ publicæ & gratulationis cauſa omnia maiora tormenta emiſerunt. Sed ad xviij Decembris cum Hugenoti denuò in conſpectum Heluetiorum in Andibus ad Laodunum duxiſſent, leuibus quibuſdam prælijs certatum & maioribus tormentis fulminatum eſt: cumq; xx die eiuſdem menſis Hugenoti maiora Heluetici exercitus tormenta capere proditione conarentur, toto ideoq; exercitu ingruerent: Heluetij re detecta, collocatiſq; in prima fronte tormentis, hoſtem pilarum tempeſtate exceperunt, & (donec maiores copiæ, quas expectabant, conuenirent) acriter ſe defenderunt: Sed nocte ingruente uelitatio dirempta eſt. Statimq; ab hoc conflictu Hugenoti copias partiti, Heluetijq; reducti ſunt. Ineunte anno, M. D. LXIX princeps Auraicus è Belgio per Galliam reuerſus, Tabernis Alſatiæ, indeq; ſoluens, Argentinæ cum ſuis copijs appulit: Ipſoq; Februario mox Daumalæus quoq; ex Lotharingia cum exercitu Tabernas peruenit: ſed paulo poſt, unde uenerat, redijt.

Hæc hactenus.

DE HISTORIA RITE' SCRIBENDA, ET CVM *fructu legenda, quinq; præceptiones per* Ioannem *Tho-mam* Freigium.

I. Diuiſio hiſtoriæ. Nã hiſtoria uel eſt

- χρονική / τοπική — In hiſtoria enim ſequimur ſeriem, uel
  - Temporum: Vnde ſunt
    - Annales. Huc pertinẽt Chronologica
      - Euſebij.
      - Hieronymi.
      - Bibliandri.
      - Lucidi.
      - Mariani Scoti.
      - Lutheri.
      - Funccij.
      - Philippi & Chytræi.
    - Calendaria ſeu diaria ἐφημερίδες: ut Ouidij Faſti & Pauli Eberi Calendarium.
  - Locorũ, ut Strabo, Mela, Solinus, Mũſterus. Huc pertinet Geographia: quæ cõtinet deſcriptionẽ terrę, cuius tres partes apud ueteres,
    - Europa, cuius 34 regiones
      - Britannia.
      - Hiſpania.
      - Gallia.
      - Germania magna.
      - Rhætia.
      - Vindelicia.
      - Noricum.
      - Pannonia.
      - Illyris.
      - Dalmatia.
      - Italia.
      - Sarmatia Europæ.
      - Taurica Cherſoneſus.
      - Iazyges metanaſtæ.
      - Dacia.
      - Myſia.
      - Thracia.
      - Cherſoneſus.
      - Macedonia.
      - Epirus.
      - Achaia.
      - Peloponneſus.
    - Africa, cuius 12 regiones
      - Mauritania.
      - Numidia.
      - Cyrene.
      - Marmarica.
      - Libya.
      - Aegyptus.
      - Thebais.
      - Libya interior.
      - Aethiopia ſupra Aegyptum.
      - Aethiopia Auſtralis.
    - Aſia, cuius prouinciæ 48.
      - Pontus & Bithynia.
      - Aſia propriè.
      - Lycia.
      - Galatia.
      - Pamphylia.
      - Cappadocia.
      - Armenia minor.
      - Cilicia.
      - Sarmatia Aſiatica.
      - Colchis.
      - Iberia.
      - Albania.
      - Armenia maior.
      - Syria.
      - Arabia.
      - Meſopotamia.
      - Babylonia.
      - Aſſyria.
      - Suſiana.
      - Media.
      - Perſis.
      - Parthia.
      - Carmania.
      - Arabia felix.
      - Hircania.
      - Margiana.
      - Bactriana.
      - Sogdiana.
      - Sacæ.
      - Scythia.
      - Seria.
      - Aria.
      - Paropaniſus.
      - Drangiana.
      - Arachoſia.
      - Gedroſia.
      - India.
      - Sinarum regio.
      - Taprobane.
- περὶ τὰ πρόσωπα / περὶ τὰς πράξεις
  - Hominum, ut Suetonius, Plutarchus, Herodianus.
  - Actionum uel ſimilitudinem rerum, ut Valer. Max. Fulgoſus, Sabellicus in exemplis.

- **II. Duæ dotes hiſtorici apud Thucydidem, & Lucianum, ἐν τῷ πῶς δεῖ ἱστορίαν γράφειν,**
  - σύνεσις πολιτική, Prudẽtia rerum ciuilium, earumq́ quæ in hominum uita uarias uiciſsitudines & caſus mirandos efficiunt.
  - δύναμις ἑρμηνευτική ἢ φραστική Eloquentia: ut ornatè & ſplendidè res tractet & ædificet.

- **III. Duæ leges hiſtoriæ, σκόποι δύο,**
  - παῤῥησία, Licentia uel libertas loquẽdi, ne quid ueri nõ audeat dicere
  - ἀλήθεια, Veritatis ſtudium, ne quid falſi dicat
  - Quæ duo ita ſuſcipiẽda ſunt, ne qua ſuſpicio
    - ſimultatis
    - gratiæ
    - in ſcribendo ſit.

- **IIII. Exædificatio ſeu tractatio hiſtoriæ ſecundũ Ciceronem & Pontanũ in Actio, poſita eſt in**
  - Rebus: quarũ ratio deſyderat
    - Ordinem temporum χρονογραφίας.
    - Deſcriptionem regionum τοπογραφίας.
    - Conſilia, in quibus ſcriptor ſignificet, quid probet.
    - Res geſtas ſeu acta, in quib. declarãdũ
      - quid
      - quomodo
      - uel
        - actũ
        - dictũ
        - ſit.
    - Euentus, in quibus explicentur cauſæ uel
      - caſus.
      - ſapientiæ.
      - temeritatis.
    - Hominum qui fama ac nomine excellunt
      - res geſtas.
      - uitam ac naturam.
  - Verbis. Nam in hiſtoria genus orationis fuſum atq́ tractum & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine iudiciali aſperitate & ſententiarum forenſium aculeis.

- **V. Series hiſtoriarũ continua. Nam hiſtoria mundi cõplectitur res geſtas uel**
  - Ante diluuium, ut ſunt
    - initia
      - mundi.
      - generis humani.
      - eccleſiæ.
    - inſtitutio coniugij & dominij.
    - lapſus, qui cauſa eſt mortis & calamitatum humanarum.
    - reſtitutio eccleſiæ.
    - promiſsio de ſemine mulieris.
  - Poſt diluuiũ, ut ſunt
    - Poſteritas, Noæ
      - Sem, cuius poſteri Aſiam
      - Cham, cuius poſteri Africã
      - Iaphet, cuius poſteri Europã
      - occuparunt.
    - Turris Babylonica.
    - Diuiſio gentium.
    - Monarchiæ quatuor, & regna quæ ſingularum Monarchiarum tempore fuerunt.

Monarchiæ quatuor ſunt: quarũ

- 1 Chaldæorum & Aſſyriorum ſub qua conſyderentur Regna
  - Aegyptium.
  - Iſraëliticum.
  - Græcum.
  - Romanum.
- 2 Perſarũ, ſub qua conſyderandæ res
  - Græcorum.
  - Romanorum.
  - Aegyptiorum.
  - Iudæorum.
- 3 Macedonũ, in qua conſyd.
  - Duces & reges Iudæorum poſt Alexandrum.
  - Bella Romanorum.
- 4 Romanorum, in qua conſyd.
  - Imperatores
    - Ante diuiſionem Imperij à Iulio uſq; ad Conſtantinum Magnum.
    - Poſt diuiſionem Imperij
      - Oriẽtales ſeu Cõſtantinopolitani
        - Ante auulſiũ occidentem, à Cõſtantino Magno ad Carolum Magnum.
        - Poſt auulſum occidentem.
      - Occidẽtales ſeu Germani à Carolo Magno uſque ad Maximilianũ II, qui partim fuerunt
        - Franci.
        - Saxones.
        - Frãci rurſus.
        - Sueui ex ueteri Gibellinorum ſtirpe.
        - Auſtriaci.
  - Regna
    - Mahometicum.
    - Parthicum.
    - Aegyptium.
    - Gallicum.

PRIMA MONARCHIA.

Chaldæi & Aſſyrij.	Aegyptij.	Iſraelitæ.	Græci.	Romani.
Nemrod	Oſiris	1 Patres, ſeu	Erechtheus	Romulus
Ninus	Iſis	Oeconomia	Perſeus	Numa
Semiramis	Orus	à Noa uſque	Cadmus	Tullus Hoſtilius
Ninias	Bocchoris	ad Ioſephũ.	Argonautæ	Ancus Martius
Sardanapalus.	Buſiris		Bellũ Thebanũ	Tarq. Priſcus
Phul Belochus	Miris	2 Iudices ſeu	Bellũ Troianum	Seruius Tullius
Phul Aſſar	Seſoſtris	Ariſtocratia	Sibyllæ	Tarq. Superbus.
Salmanaſſar	Seſoſtris filius	à Moſe ad Eli	Phocylides	
Sennacherib	Proteus	uſq; ſub quo	Atlas	
Aſarhaddon	Rampſinitus	arca amiſſa.	Orion	
Merodach	Cephus		Linus	
Benmerodach	Cephris	3 Reges Iudæ	Orpheus	
Nabogdonoſor primus	Mycerinus	à Samuele &	Homerus	
Nabodgod. magnus	Anyſus	Saule ad Ze	Heſiodus.	
Euilmerodach	Sabacus	dechiã, ſub		
Balſaar.	Sethon	quo exilium		
	Pſammitichus	Babyloni-		
	Necos	cum.		
	Pſammis			
	Apryes			
	Amaſis			
	Pſammenitus.			

SECVNDA MONARCHIA.

Perſæ.	Græci.	Romani.	Iudæi.
Cyrus	Duo genera philoſophię orta, Ionicum & Italicum Solon.	Seruius Tullius.	Finis exilij Babylonici, inde fuêre duces ad Alexandrũ Magnum uſq;
Cambyſes			
Darius Hyſtaſpis			Ieconias.
Xerxes	Prælia ad Thermopylas, Artemiſiũ, Salaminem, Plateas.		Sealthiel. Zorobabel. Keſa Meſollam. Ioanna.
Artaxerxes Longimanus	Bellum Peloponneſiacum	Decemuiri Athenas miſſi.	Iudas Hircanus I. Ioſeph I.
Darius Nothus.	Bellum in Sicilia.		
Artaxerxes Mnemon.	Pugna ad Aegos Potamos. Athenę captę. Triginta tyranni. Cyri ἀνάβασις. Prælium ad Leuctra, & ad Mantinæam.	Roma à Gallis capta.	
Ochus	Bellum ſacrum Philippus rex Macedonum, dux Græcorũ nominatus.		
Arſames			
Darius ultimus.	Alexander rem pręclare gerit.		

TERTIA MONARCHIA.

Macedones.

1 Alexander.

2 Succeſſores Alexandri: in quib. notandum
- Bella poſt mortem Alexandri.
- Diuiſio Monarchiæ in 4 regna quæ fuerunt
  - Macedonia, quam tenuit Antipater, Caſſander, &c.
  - Aſia minor, quam tenuit, Antigonus, Demetrius, &c.
  - Syria in qua regnarunt
    - Seleucus
    - Antiochus Soter
    - Antiochus Theos
    - Seleucus Callinicus
    - Antiochus Magnus
    - Seleucus Philopator
    - Antiochus Epiphanes
    - Antiochus Eupator
    - Demetrius
    - Demetrius Nicanor
    - Antiochus Sedetes
    - Tryphon
    - Antiochus Gryphus
    - Antiochus Cyzicenus
    - Seleucus.
  - Aegyptus quã tenuit
    - Ptolemæus Lagi filius
    - Ptol. Philadelphus
    - Ptol. Euergetes
    - Ptol. Philopator
    - Ptol. Epiphanes
    - Ptol Philometor
    - Ptol. Euergetes
    - Ptol. Phyſcon
    - Ptol. Alexander
    - Ptol. Lathurus
    - Ptol. Auletes
    - Cleopatra.

Iudæi.

Abner Semei
Eli Matathia
Aſarmahat
Nagid Artaxad
Haggai Eli
Maslot Naum
Amos Syrach
Matathia Siloah
Ioſeph iunior
Ianna I Hircanus
Matathias
Iudas Macabæus
Ionathas
Simon
Ioannes Hircanus
Ariſtobulus
Alexand. Ianneus
Alexandra
Hircanus
Antipater Idumæus
Herodes I Aſcalonita
Archelaus & Herod. Antipas.
Herodes Agrippa.
Agrippa.

Romani.

Bella Rom.
- cum Pyrrho.
- primum Punicum.
- Galliçum cum Ariouiſto.
- ſecundum Punicum.
- Macedonica cũ Philippo, Antiocho, Perſeo.
- tertium Punicum.
- Numantinum.
- Achaicum.
- Cimbricum.
- Inteſtina
  - Sociale.
  - Ciuile
    - Syllanum.
    - Iulij cũ Pompeio.

QVARTA MONARCHIA.

Impp.Rom.Ante diuiſionem Imperij

Iulius.
Auguſtus.
Tiberius.
C.Caligula.
Claudius.
Domitius Nero.
Veſpaſianus.
Titus Veſpaſianus.
Domitianus.
Nerua Cocceius.
Vlpius Traianus.
P.Aelius Adrianus.
Antonius Pius.
M.Aurelius Antoninus.
Commodus.
Pertinax.
Didius Iulianus.
Seuerus.
Antoninus Baſſianus.
Popilius Macrinus.
Varius Heliogabalus.
Alexand.Seuerus.
Maximinus.
Gordianus III.
Philippus Arabs.
Decius. Valerianus.
Gallienus.
Fl.Claudius.
Valerius Aurelianus.
Tacitus.
Valer.Probus.
Carus Narbonenſis.
Diocletianus.
Conſtantius χλωρός.

Impp.Conſtantinopolitani ante auulſum Occidentē

Conſtantinus Magnus.
Conſtans. Conſtantius.
Iulianus apoſtata.
Iouinianus.
Valentinianus.
Gratianus.
Theodoſius.
Arcadius & Honorius.
Theodoſius II.
Martianus.
Leo. Zeno.
Anaſtaſius Dicorus.
Iuſtinus. Iuſtinianus.
Iuſtinus II.
Tiberius Conſtantinus.
Mauritius Cappadox.
Phocas. Heraclius.
Conſtans.
Conſtantinus Pogonatus.
Iuſtinianus.
Philippus Bardanes.
Arthemius.
Leo III Iſauricus εἰκονομάχος.
Conſtantinus Copronymus.
Leo IIII. Irene.

Impp.

Impp. Orientis ſeu Conſtantinopolitani poſt auulſum Occidentem.

- Nicephorus
- Michael Curopalates
- Leo Armenius
- Michael Balbus
- Theophilus
- Michael
- Baſilius Macedo
- Leo Philoſophus
- Alexander
- Conſtantinus
- Romanus iunior
- Nicephorus Phocas
- Ioannes Cimiſces
- Baſilius Porphyrogenitus
- Conſtantinus
- Romanus Argyrus
- Michael Paphlago
- Michael Calaphates
- Conſtantinus Monomachus
- Michel Stratioticus
- Iſacius Comnenus
- Conſtantinus Ducas
- Romanus Diogenes
- Michael Parapinacius
- Nicephorus Boloniates
- Alexius Comnenus
- Caloioannes
- Manuel Comnenus
- Alexius Comnenus
- Andronicus Comnenus
- Iſaacius Angelus
- Alexius Angelus
- Alexius iunior
- Balduinus comes Flādriæ
- Henricus
- Robertus
- Balduinus II.
- Michael Palæologus
- Andronicus Palæologus
- Andronicus iunior
- Ioannes Palæologus
- Emanuel Palæologus
- Ioannes Palæologus
- Conſtantinus Palæologus.

Impp. Germani poſt auulſum Occidentem.

- Carolus Magnus Frācus
- Ludouicus Pius
- Lotharius
- Ludouicus II.
- Carolus Caluus
- Ludouicus III. Balbus
- Carolus iunior Craſſus
- Arnolphus
- Ludouicus IIII.
- Conradus I.
- Henricus Auceps Saxo.
- Otto I.
- Otto II.
- Otto III.
- Henricus Sanctus ſeu Claudus
- Conradus II. Salicus
- Henricus *III.* Niger
- Henricus *IIII.* ſenior
- Henricus *V.* iunior
- Lotharius Saxo
- Conradus *III* Franciæ & Sueuiæ dux
- Fridericus *I.* Barbaroſſa
- Henricus *VI.* Aſper
- Philippus
- Otto *IIII.*
- Fridericus *II.*
- Interregnum
- Rhodolphus Habſpurgenſis
- Adolphus Naſſauienſis
- Albertus Auſtriacus
- Henricus *VII.* Comes Lucelburgenſis
- Ludouicus Bauarus
- Carolus *IIII.*
- Vuenceslaus
- Iodocus Barbatus
- Albertus Bauarus
- Sigiſmundus
- Albertus Auſtriacus
- Fridericus *III.*
- Maximilianus *I.*
- Carolus
- Ferdinandus
- Maximilianus *II.*

Mahometicum.

Mahometus dux Saracenorum ſub Heraclio, Imperat anno Chriſti 623.
Amiras
Ahumar
Muhauias
Hos Saracenos pepulerũt Turcæ anno 1051. quorũ hi Imper. ante irruptionem Tartarorum.
Zadocus
Dogriſſa
Aſpaſales
Meleclas
Belchiarocus
Turcas Bilioneus pepulit.
Bilionei poſteros Tartari profligarunt.
Tartaros rurſus Turci expulerunt anno 1300.
Nam poſt irruptionem Tartarorum in interregno, paulò antè imperium Rhodolphi, extulerunt ſe quatuor familiæ Turcorum, quæ reliqua uniuerſa regna abſumpſerunt excepto Perſico. Fuerunt autem familiæ hæ.

- Aſsimbei, ex quibus Vſumcaſanes.
- Candelori.
- Caramani.
- Ottomani, ab Ottomano cuius filij 3. ex quibus minimus natu Orchanes, cuius filij
  - Amurathes I.
    - Iacuppus.
    - Baiazezetes I.
      - Orthobules
      - Celebinus
      - Mahometes I.
      - Amurathes II.
      - Mahometes II.
        - Muſtapha.
        - Gemes.
        - Baiazetes II.
        - Selymus.
        - Solymanus.
        - Selymus.
    - Sauces.
  - Solymanus

Parthicum.

Gempſas Suldanus Parthorum & Perſarũ anno 1350.
Malaonchres
Vſumcaſſanes
Iacuppus
Iſmael Sophus, cũ quo Selymus in Calderanis campis ad Coim dimicauit.

- Helcas.
- Becramus.
- Tamaſus naturu maximus.
- Somirza.

Aegyptium: quod unum ex primis fuit.

Pharaones ſuos proprios reges habuit uſque ad Cambyſen Perſam.
Perſæ.
Alexander
Ptolemæi
Romani. Nam Auguſtus uicto Antonio & Cleopatra, redegit eã in prouinciæ formam.
Græci.
Calipha Saracenus anno 703.
Sarraco Sultanus Syriæ, Caliphas Aegypto ſpoliauit, anno 1153. tempore Bilionei.
Saladinus
Melechſala. D. Ludouicũ Gallorum regem uicit: Mamaluchos inſtituit.
Turcemenius.
Cothus.
Bendocader.
Melechſait.
Elpis.
Vſtrephus.
Melechnaſer.
Melechadel.
Caitbeius.
Campſo
Tomumbeius.

SERIES ET ORDO REGVM FRANCORVM IN GALLIA.

420 1 *FARAMVNDVS* Marcomiri filius Sicamber, regnauit an. 11

431 2 Clodio comatus fil. an. 18

449 3 Meroueus fil. an. 10

459 4 Childericus filius, an. 26

458 5 Clodoueus Magnus fil. primus Rex Chriſtianus, fidei protector electus. Lutetiæ ſepelitur in baſilica, quã Apoſtolis Petro & Paulo erexerat: hodie tẽplum Genouefes appellatur. an. 30

515 6 { Childebertus Pariſiorum / Clotarius Sueſsionum / Clodamirus Aurelianenſium / Theodoricus Mediom atricũ } ſepel. Lut. ad S. Germani, quam erexit. filii. an 45

560 7 Clotarius ſolus Regni Monarchiam tenuit, in Baſilica S. Medardi Sueſsionibus quam erexerat conditur, regnauit an. 5

565 8 { Cherebertus Pariſiorum / Chilpericus Sueſsionum / Guntrannus Aurelianenſium / Sigibertus Mediomatricum } filii. an 9

574 9 Chilpericus ſolus, conditur Lutetiæ in templo S. Germani. an 14

588 10 Clotarius *II.* filius cum patre ſepelitur. an. 44

632 11 Dagobertus fil. ſepelitur in baſilica D. Dionyſii quam extruxit. an 14

646 12 Clodoueus *II.* fil. cum patre inhumatur, an 17

663 13 Clotarius II. fil. ibidem ſepelitur. an. 4

668 14 Childericus II. frater, in uenatione interficitur, cum uxore prægnante, uterque ſepultus eſt Lutetiæ in æde S. Germani an 12

680 15 Theodoricus frater, Atrebati ſepultus eſt in æde D. Vedaſti quam extruxerat. an 14

694 16 Clodoueus III. fil. an 4

698 17 Childebertus II. frater, Canciaci conditur, in æde D. Stephani, an. 18

716 18 Dagobertus *II.* fil. ibidem conditur. an. 4

722 19 Chilpericus II. fil. ſacerdos, aliàs Daniel, Nouioduni ſitus eſt. an 5

725 [2]0 Carolus Martellus Francorum Princeps, conditus in Mauſoleo Dionyſiaco in ordine Regum.

727 20 Theodoricus II Cala, fil. Dagob. ſepultus eſt in æde D, Dionyſii. an. 15

742 21 Childericus III fil ſtupidus, ultimus huius familiæ, regno exactus, monachus efficitur. an 9

PIPINORVM GENVS.

751 22 *PIPINVS BREVIS* Caroli Martelli Frãciæ Principis fil. Pariſiis obijt an. 18

769 23 *CAROLVS MAGNVS* fil Imp. Aug. Aquiſgrani ſepelitur. an. 46

815 24 Ludouicus I. Pius, fil Imp Aug. in Mediomatricibus ſepelitur. an 26

841 25 Carolus *II.* Caluus fil. Imp. Aug. Mantuæ ueneno interiit. an 38

879 26 Ludouicus II fil Balbus, Imp. Aug. Compendii obiit, regnauit an 2

881 27 Ludouicus *III.* & Carolomanus eius frater nothi ex Balbo, an 5 Poſt Carolomanum nonnulli aiunt Ludouicum eius fil, inertem an. 5 regnaſſe.

886 28 Carolus Craſſus Imp Aug. an 5

891 29 Odo, Roberti Andium Ducis fil. an 9

900 30 Carolus Simplex, fil. Lud. Balbi, Peronæ obijt. an. 27

927 31 Rodulphus Burgundio, fil. Ricardi, nepos Balbi ex filia, Senonibus ſepultus an 2

929 32 Ludouicus tranſmarinus, Caroli Simplicis fil. Rhemis conditur. an. 27

956 33 Lotarius *VI.* fil. Rhemis obijt. an 31.

987 34 Ludouicus *V.* fil. Theuto Francorum poſtremus, ueneno perijt, Compendij ſepelitur. an. 1

CAPETORVM GENVS.

988 35 *HVGO* Capetus, Comes Pariſienſis, ui & fauore militũ, Primus Gallus Gallorum Rex. an. 9

Rober-

997 36 Robertus fil. obijt Meleduni, translatus eſt in ædem D.Dionyſij. an.34
1031 37 Henricus fil ibidem ſepultus. an.30
1061 38 Philippus I. filius Meleduni decedit, translatus ad D.Benedicti propter Ligerim. an.49
1110 39 Ludouicus *VI.* Craſſus fil. Lutetiæ moritur, regnauit an 28
1138 40 Ludouicus *VII.* Iunior fil. Pariſijs obijt, ad Barbeli cœnobiũ trãslatus. an.42
118[illegible] 41 Philippus *II.* Auguſtus fil. à Deo datus, Medunte interijt, ad Dionyſij delatus. an.43
1224 42 Ludouicus *VIII.* D.Lud. pater. Montiſpenſerij moritur. an.3
1227 43 *DIVVS LVDOVICVS* in obſidione Thunetis ex ꝓfluuio interijt. an.44
1271 4[illegible] Philippus *III.* D Lud fil. Nauarræ Rex, Perpeniani decedit. an.15
1286 4[illegible] Philippus *IIII.* Pulcher Nauarræ Rex, ad Fontem Blaudi locum natiuitatis decedit. in æde D.Dionyſij ſepultus. an.28
1314 4[illegible] Ludouicus Hutinus fil. Nauarræ Rex, ad Vicenarum ſaltũ moritur. an 2
1316 4[illegible] Philippus Longus frater, Nauarræ Rex, in æde D.Dionyſij conditur. an.5
1321 4[illegible] Carolus Pulcher frater Nauarræ Rex, ad ſaltum Vicenarum moritur. ſepultus in æde D.Dionyſij. an 7
1328 49 Philippus Valeſius *VI.* Caroli Valeſij fil. nepos Philippi III. ex Carolo fil. obijt ad Nogentum Regium, ad Dionyſij delatus. an.22
1350 50 Ioannes fil. Londini moritur, ad D.Dionyſij ædes translatus. an.14
1364 51 Carolus *V.* Sapiens fil obiit ad Saltum Vicenarum, ibid. conditur. an.17
1381 52 Carolus *VI.* fil. ibidem ſepultus. an 42
1423 53 Carolus *VII.* fil. deceſsit Magduni Biturigum, apud D. Dionyſium conditur. an.38
1461 54 Ludouicus *XI.* fil. obiit Pleſsiaci ad Turones, Cleriaci ſepelitur in æde D. Mariæ. an.23
1484 55 Carolus *VIII.* fil, repente Ambaſiæ moritur, conditus eſt apud D.Dionyſium. an.14
1498 56 Ludouicus *XII.* Dux Aurelianenſis, ſororius, fil. Caroli Aurelianenſis nepotis Caroli Sapientis, apud D.Dionyſium ſepelitur. an 17 in chronico.
1515 57 Franciſcus I. Valeſius, Dux Engoliſmenſis, gener, fil. Caroli Valeſii pronepotis Caroli Sapientis, omnium magnarum artium ac ſcientiarum parens, piè & ſanctè animam Deo reddidit in Caſtro Rãbuleti, pridie Cal. Aprilis 1546. ad D.Dionyſii ædes celebri pompa translatus eſt, unà cum duobus liberis, Franciſco Delphino Viennenſi Duce Britanniæ, qui obiit 4 Idus Auguſti, 1536. & Carolo Duce Aurelianenſi, qui animam egerit 5. Idus Oct. 1545. Faxit Deus Opt. Max. ut cœleſtium ſpirituum ordinibus adſcribantur, regnauit an.32
1547 58 Henricus II fil. Rhemis ſacratur & coronatur. 7. Cal. Auguſti, in fana Dionyſii ſepelitur regnauit an.13
1559 59 Franciſcus II. fil Rhemis coronatur. Ad Dionyſii fanum ſepelitur. an.1. meſ.5
1560 60 Carolus *IX.* fil. Henrici II. Faxit Deus ut ipſius regnum perturbatiſsimum, in tranquillum breui locetur.

*GALLIAE MAGISTRATVS PALV*dati, ſeu Palatini ex Lupano.

1 Regia maieſtas. Eſt autem regnum Franciæ παμβασιλεία: habet itaq; rex omne ius belli indicendi, pacis firmandæ, uectigalis imperandi, legum ſanciendarum, magiſtratuum creandorum.
2 Delphinus regis hæres proximus & deſignatus rex: Apud Germanos deſignatus imperator dicitur rex Romanorum: apud Hiſpanos, Princeps: apud Græcos δεσπότης.
3 Regens Franciæ: qui adhibetur regibus Francis adhuc pueris, uel in longinquam expeditionem proficiſcentibus: uel mente aut prælio captis.
4 Magiſter equitum, dictus Comes ſtabilis, nomine ex aula Græca ſumpto, quòd eum regi ſemper aſsiſtere ex uſu bellicarum rerum expediat. Eius inſigne eſt gladius liuatus: ad eumq; ſpectat cognitio actionũ perſonaliũ inter milites apud ſe litigãtes: & cognitio criminum militarium: Pertinet igitur ad eum perſecutio emanſorum & eorum qui abſq; honeſta aut cauſaria miſsione diſceſſerũt, & ad diem commeatus non uenerunt: item exploratorum, proditorum, transfugarum, deſertorum, prædæ, manubiarumq;, redemptionem, ſtationis relictæ &c.
5 Parens Franciæ *XII*, qui proxima ſecundum Regem ac uelut pari (unde nomen habent

habent)dignitate ſunt & ſoli regis ſacrandi ius & quaſi in poſſeſsionē regni mittendi habent. Ex quibus Laici ſex, totidemq́ Eccleſiaſtici. Laici ſunt Burgundus, Normannus, Aquitanus, tres duces, Flander, Campanus, Toloſas, tres Comites. Eccleſiaſtici ſunt Remenſis, qui regem inungit, Laodunenſis, Lingonenſis, tres Archiepiſcopi & duces: Nouiodunus, Cattalaunus, Bellouacus, tres Epiſcopi & Comites.

6 Mareſchalli, id eſt, Tribuni ſeu præfecti militum, ſeu minores Equitum Magiſtri. Ipſius enim Comitis ſtabilis edicto ac imperio parent, & ſunt quatuor: ad quos poſt Magiſtrum equitum rei militaris ſumma refertur. Horum partes ſunt, caſtris locum eligere: unde à nonnullis magiſtri caſtrorum dicti ſunt: item milites in officio continere, in quos uitæ & necis poteſtatem habent: quod munus eis mandant, quos uulgò Præuoſtos Mareſchallorum uocant, olim Irenarchas uel latrunculatores dictos: quibus regio edicto abſq; prouocatione, capitali ſupplicio afficere licet emanſores, per laſciuiam aliquid agentes, mulierum ſtupratores, ferarum confectores, &c.

7 Ammiralis, id eſt, maris præfectus, θαλασσίαρχος. Eius inſigne eſt anchora: Eiusq́ eſt procuratio portuum, triremium, naualium: diſceptatio rei maritimæ. Nam Gallica uox ex Græca mutuata eſt: ἅλς enim mare eſt: unde & Halmerotes dicitur. Eius quoq; eſt cognitio criminum & litium inter nautas & mercatores litigantes: item decima prædæ, manubiarumq́: in ſua uerba adigere nauium triremiumq́ præfectos, fidem publicam dare, cum hoſtibus aliquot dierum inducias paciſci.

8 Equites ordinis, ſeu Torquati equites, quòd aureo torque inſigniuntur. Hi à Ludouico *XI.* inſtiti ſunt Amboſæ Cal Auguſti anno 1469.

9 Locum tenentes regij, ſeu legati regis, per quos reges Franci bella gerunt. Hi uel proreges dici poſſunt, uel præſides.

10 Gubernatores regionum ſeu Præfecti, quibus etiam ſuus legatus uel ſuppræfectus eſt, Græcis ἐπίσκοπος. His præfectis ſimiles erāt apud Lacedæmonios Harmoſtæ: apud Rom. præfecti limitum, ſeu præſides limitanei, quos Marchiones hodie nominant, apud Aegyptios Νόμοι: apud Iudæos Toparchæ & Tetrarchæ: apud Thraces, στρατηγοί: apud Perſas, Satrapæ: apud Chriſtianos Diœceſes & Curiæ. (brorū.

11 Magnus Magiſter Artilariæ i. præfectus tormētis: ſicut apud Rom. præfectus Fa-

12 Heraldi. i caduceatores, Græcis κήρυκες. Rom: feciales & patres patrati: per quos bella indici & finiri ſolent. Hi ſpinther geſtant uel armillam: in prælijs uerò paludamentum, quod eos tutos reddit ab omni iniuria & ἀσύλους: Monomachijs quoque & decurſionibus intereſſe ſolent.

13 Familia regis & primarij aulæ miniſtri:

- Magnus Chābellanus. i. Admiſsionalis uel ſūmus Cubicularius: Græcis Imp. παρακοιμώμενος. Nam à cretarijs deſignatorib duo cubicula regi deſtinantur. Vnum ubi cubat, alterum penetralius ueſtiario attribuitur: cuius hic ſummus cubicularius decurio eſt.
- Magnus Magiſter. i. aulæ regiæ præfectus ſeu magiſter Curiæ. Eius præcipua autoritas eſt in miniſterium aulicum, & ipſos etiā Oeconomos.
- Magnus Scutarius, ἀρχιπποκόμος: qui regi equū aſcenſuro adeſt: unde Græcis ἀναβολεύς, Spartano ſtrator. Enſē & baltheū liliatos præfert, ut olim ſcutum. Præeſt quoq; Hippocomis: qui ueluti fiduciariā ab eo curā habēt regij equitij Hic munus ſuū mandare ſolet Contrarotulatori poſtarū.
- Magnus Venator. Venaticus autē apparatus in duas turmas diuiditur. Vna eſt Venatorum, qui pro inſigni geſtant corneam uel æneā tubam. Hæc in duas turmas diuiditur, cinericiorum & alborum canum. Altera eſt Falconariorum: qui pro inſigni ſcapum pinnarum geſtunt.
- Præuoſtus hoſpitij. i iudex Prætorianus, perpetuus aulæ regiæ aſſecla.
- Magiſtri hoſpitij. i. Architriclini ſeu Oeconomi: qui (Præfectus Celerū. rei familiari præſunt: & pro inſigni habent ſcirpū Indicum argentatum.
- Nobiles ſeruientes. i. Diſcophori ſeu Dapiferi: qui regi accumbenti cibū: & Pincernæ, qui potum miniſtrāt.
- Secretarij, qui diplomatibus & edictis regijs, quæ in interiori conſilio decerni ſolent, ſubſcribendi curam habent.
- Centum nobiles ſeu anteambulones, μαχαιροφόροι. Hi pro inſigni haſtā gerunt, quam beccum falconis antiqua Gallica uoce appellant.
- Guardia. i. ſatellitium ſeu regia cohors prætoria. σωματοφύλακες. Satellites & Celeres Romuli, ſuntq́ centum Scoti, centum Heluetij & 24. cuſtodes corporis: reliqui equites, qui uocantur Archieri.
- Mareſchalli hoſpitiorum & Forieri. i. Epiſtathmi: qui præſunt hoſpitijs diſpertiendis regis comitatui. Quibus adduntur cretarij deſignatores.

MA-

MAGISTRATVS TOGATI: OCVLI ET AVRES REGIS.

1 Tres ſtatus πανηγύριον: ſeu trium ordinum cõuentus, nobilitatis, Eccleſiaſticorum, plebis Hoc conuentu olim de rebus grauib. & ad Remp. pertinentibus cõſultabatur.

2 Strictum ſeu priuatum conſilium, quod conſtat agnatis, neceſſariisq́; regis, proceribus, antiſtitibus, cum Cancellario & Iuriſperitis.

3 Cancellarius, Vnum uirtutis præmium apud Gallos, βασιλέως ὀφθαλμός καὶ οὖς. Iuris præfectus Annuli curam habet.

4 Magiſter Requeſtarum. i præfectus libellorum uel ſcriniornm ſacrorũ magiſter. Item princeps ſacri laterculi. Rex Scribarum.

5 Parlamentum, Baſilica ſeu Curia: ut apud Athenienſes Areopagus: apud Rom. Senatus. Sunt autem apud Gallos plura: Toloſanum, Gratianopolitanum, Aquenſe, Burdegalenſe, Diuionenſe, Rothomagenſe, Pariſienſe.

6 Procurator generalis regis. i. Cognitor: & duo aduocati regii: ſeu collegium Triumuirorum.

7 Magnum conſilium: ſeu conſilium aulicum ambulatorium: cuius caput eſt Cancellarius, ad idq́; referre ſolet rex de rerum ſumma.

8 Baliui & Seneſchali, i. Iuridici & præfecti.

9 Theſaurarius chartarum, χαρτοφύλαξ: qui curam habet monumentorũ ad regnum pertinentium.

PROVINCIAE POPVLI ET FLVmina Galliæ.

Galliæ
- Prouinciæ maiores in extremis eius oris
  - Burgundiæ Ducatus: in quo populi, Hedui, Mandubii Lingones, & pars Sequanorum.
  - Campania, in qua Rhemi, Catalauni, Trecenſes.
  - Picardia, in qua Sueſsiones, Ambiani, Bellouaci, Veromandi, Morini.
  - Normania, in qua Neuſtrij, Ambilates, Bellocaſtri, Lexouii, Eburonices, Aulerci.
  - Britannia minor in qua Oſiſmi, Diablintres, Veneti, Curioſolitæ, Rhedones, Nanetes, Cadetes, & Armoricæ ciuitates.
  - Xanthones.
  - Guienna, in qua Vibiſci, Cadurci, Heluii, Rhuteni.
  - Vaſconia, in qua Tarbelli, Datii, Bigerones, Auſci, Cantabri.
  - Languedocia, in qua Toloſates, Volcæ, Nitiobriges.
  - Prouincia, in qua Maſsilienſes, Auenio, Aquæ Sextiæ, Maſsilia, Arelate, Tollonum.
  - Delphinatus, in quo Blagonii, Brannonices, Eburodum.
- Populi interiores
  - Frãci quorum caput Lutetia, Carnutes, Cenomam, Andes, Turones, Bituriges, Ambarri ſeu Niuernenſes, Boii ſeu Borbonii, Aruerni, Lemouices, Pictones, Petracorii, Vellauni.
- Flumina.
  - Matrona, Sequana, Ligeris, Arar, Rhodanus, Garumna, Somia, Iona, Elauer, Alabis, Axona, Oſia, Druenſia, Iſara, Moſa, Alduaſdubis, Scaldis.

ETYMOLOGIAE ALIQVOT Gallicorum Vocabulorum.

Pharamundus, Vuarmund: uerax ἐλευθερόνομος.

Meroueus, Meieruuig, qui dignitate reliquis anteit. Nam Meier Germanis præfectum domus regiæ ſignificat.

Marcomirus Marcmeier. præfectus regionis alicuius, Marchio.

Ludouicus uel Clodoueus, Luduuig, fortis. Nam uuig apud Germanos robur & fortitudinem ſignificat.

Carolus, Kärle generoſus & fortis

Dagobertus, Degenbrecht, Armis inclytus.

Chilpericus, Hilfreich, auxiliaris ἀμυνόμενος.

Childebertus, Heldenbrecht uel Heldenuuert: inter heroas celebris.

Henricus, Hendreich, robuſtus, acer, uel Erendreich, dignus honore, honorandus.

Fridericus, Fridenreich, pacificus.

ERRATA IN PARALIPOME-
nis ſic emendabis.

Pag. 4. linea 11. Bononiæ leg. 5. 39. in Italia ibidem lin. 42. ſuæ 7. in margine, pro occupat, lege obſidet. eadem pagina, ſed l. à fine 9. l. iuuentus, 9. 15. hic pro hinc, 9. 16. Rionius pro Reucius, 9. 17. Cancem, 9. 26. elapſus 9. 32. poſſet, 9. 34. relicto, 9. 36. Sequentis, 10. 1. Viraginem illam quod incendiorum, 10. 14. lucu pro loco, 11, 8. duum. 11. 23 poſt patriæ duo puncta tollantur, 11. l penul. ad arma, 13. l. à fine 11. Valentinis ibid. à fine lin. 4. Valfenariam, 14. 25. quà peruadere, 14. 39. Dandelotus, 16. l. 26. à fine: lege bellorum pro Gallorum, 16. l à fine 22. Arnperganus, 17. 37. Vendofordus, 17. 13 à fine leg. motu, 18. 4. reuocarentur, 18. 3. à fine, leg. minus pro intus, 19. 13. Boulana, 20. 15. Dorlente, 20. 32. uulgò, 21. 9: expediri. 22. 1. radium, 22. 10. Anatomia, 23. 24. præſidio, 23. 31. deeſt ne poſt unde, 23. à fine lin. 4. tenere, 24. 13. ullum, 24. 31. ut ſi prius, 24. à fine 6. decimoquarto pro quatuordecim, 26. in margine leg. confictum eſt, pro conflictum, 27. 23. cum de cenſu, 27. 35. Daminam, 28. à fine 7. recepto, 30. 14. Sangermanico concilio, 30 à fine 5. ducatus, 30 à fine 2 proximus pro primus 31 3. Motegondrinus, 31. 36 continuans, 33. 2. dixiſſes, 35. 22. à fine pro quàm, leg. quam, 35. ult. leg. recepit, 39. 3. Martinengi, 41. 5. exædificet, 48. ult Pares.